Eruditissimo et Amicissimo
Guil. Dindorf
Auctor.

Dr. CAROLI GOTTLOB KÜHN

OPUSCULA

ACADEMICA MEDICA ET PHILOLOGICA.

LIPSIAE

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA HIRSCHFELDI.



D. CA. GOTTLOB KÜHN,

Professor physiolog. et patholog. p. o. in literar. univers. Lipsiensi plurium societat. erudit. membr. honorar.

Natus Spergaviae in Saxonia d. XIII Jul.
CIƆIƆCCLIV.

CAR. GOTTL. KÜHN

MEDICINAE AC CHIRVRGIAE DOCTORIS, PROFESSORIS PHYSIOLOGIAE ET PATHOLOGIAE IN ACAD. LIPS. PUBL. ORDIN. PLURIUMQUE SOCIETATUM ERUDITARUM SOCII HONORAR.

OPUSCULA

ACADEMICA MEDICA ET PHILOLOGICA

COLLECTA, AUCTA ET EMENDATA.

VOL. I.

CUM ICONE AUCTORIS ET TABB. AEN. II.

LIPSIAE, SUMTIBUS LEOPOLDI VOSSII.
MDCCCXXVII.

Non poteris mirari, Vir Amicissime, quod ego Tibi potissimum Opusculorum meorum academicorum collectionem, quae nunc prodit, inscripserim, modo memineris amicitiae nostrae diuturnitatem, quam animorum similitudo genuit, eadem studiorum ratio aluit, communisque amor erga veteres, quos Graecia Latiumque protulit, medicos confirmavit. Ex quo enim Tuam commentationem in Aretaei de pulmonum inflammatione locum, Tuarumque exercitationum Aëtianarum specimen legeram, annis superioris seculi nonagesimo et sequenti edita, intelligebam, quanta et lux et medicina scriptis horum medicorum Tua opera accessura esset, et plus Te amabam, quoniam medicorum Graecorum studium, quod tunc fere frigebat, Te commentatore, plures amatores nacturum esse praevidebam. Non sine summa cum voluptate audiebam, Te in Italia commorantem omne tempus studiumque impendere et conferendis codicibus manu scriptis Aretaei Aëtiique, quos prae caeteris amabas, cum editionibus impressis, et describendis opusculis

medicorum graecorum, quae typis nondum expressa in bibliothecarum carceribus latebant et adhuc latent. Nuper cum Te convenirem, congestas a Te hujuscemodi copias summa cum admiratione conspexi, nihilque magis dolui, quam quod Tibi aegrotorum multitudo, quae Te semper obsidet, suamque et sanitatem et vitam, modo Tu utriusque curam habeas, sospitem incolumemque putat, nunquam tantum otii concessura sit, ut illas divitias in rei publicae literariae utilitatem publici juris facere possis. Quae sors tam amplam ineditorum et codicum manuscriptorum collectionem, librorumque, collationibus codicum margini adscriptis divitum, apparatum aliquando mansura sit, haec cogitatio animum meum tanto afficit moerore, ut jam nihil amplius addere possim, quam hoc, velis Tuam amicitiam, de qua hucusque laetatus sum, etiam in posterum, quam diu hac vita frui mihi licebit, mihi conservare. Vale, iterumque vale.

PRAEFATIO.

Haud sine timore aliquo opuscula mea academica, in unum collecta, nunc in publicum prodire jubeo. Vereor enim, ne sint, qui reiteratam eorum editionem superfluam pronuntient, certe non necessariam. Causae igitur adferendae sunt, quae me diu dubium cunctantemque tandem permoverunt, ut voluntati Leop. Vossii, Viri Honestissimi, qui eorum redemptionem optabat, obtemperarem.

Et prima quidem causa haec est, quod, si libellos academicos, diversis temporibus inde ab anno superioris seculi septuagesimo octavo a me promulgatos, conjunctim ederem, votis plurimorum, qui mei quondam fuerunt discipuli, responderem. Saepe enim accidebat, ut, quando disputatio aut programma quoddam, a me scriptum, ab illis desideratum, a me postularetur, equidem huic desiderio ob exemplorum penuriam satis facere haud possem.

Deinde cogitatio quoque, me, si ipse horum opusculorum editionem iteratam susciperem, illis emendatricem manum admovere posse, multum contribuebat, ut ad ea colligenda serio animum applicarem. Cum enim ejusmodi libellorum academicorum promulgatio saepe praecipitanda sit, quippe quod summorum artis medicae honorum candidati discessum a nostra literarum universitate, quam celerrime id fieri potest, parare coguntur, fieri haud potest, quin interdum haud satis compta atque polita in publicum prodeant, quae talium solemnitatum academicarum indicendarum causa apud

nos scribenda sunt programmata. Saepe intelligebam, cum aliquamdiu post editos relegerem libellos, aut illis nonnulla addi posse, quae ad rem pertinebant, aut emendari debere, quae minus accurate scripta erant. Quae cum ipse optime sentirem, nullam peperci operam, ut pro virium mearum modulo haec nova opusculorum meorum editio auctior atque emendatior comparere posset.

Commentationum mearum quamquam duplex est genus, quorum alterum ad rem medicam, alterum ad philologiam pertinet, tamen utrumque haud ita disjunxi, ut omnes medici argumenti simul et conjunctim ponerem, easque aut antecedere, aut sequi philologicas juberem, sed temporum, quibus scriptae editaeque sunt, inprimis habui rationem. Sed huic chronologico ordini non ita me mancipavi, ut eas, quae ob argumenti similitudinem conjungi debebant, ob temporis, quo prodiere, rationem longo intervallo separarem atque divellerem. Sic omnes libelli, qui de morbo vaccino-varioloso a me scripti sunt, quamvis diversis temporibus in lucem editi fuerint, sese tamen proxime excipiunt, et sola typothetae culpa factum est, ut prima de hoc argumento commentatio interventu programmatis, quo anatomes chirurgicae specimen, a vesica urinaria desumtum, exhibui, a septem continuationibus sit disjuncta et separata. Proximo volumine eandem sequar rationem in commentationibus, ad Celsum, Caeliumque Aurelianum, et ad historiam medicinae militaris apud veteres Graecos Romanosque pertinentibus.

Caeterum nihil magis in votis habeo, quam ut hisce laboribus meis aequi justique judices contingant.

Scribebam Lipsiae A. R. S. CIƆIƆCCCXXVII.

CONSPECTUS

LIBELLORVM, HOC PRIMO OPUSCULORUM VOLUMINE COMPREHENSORUM.

		Pag.
I.	De causa mortis hominum, aqua submersorum, eosque in vitam revocandi ratione, veteribus Graeciae medicis usurpata	1 — 12.
II.	Epistola ad Chr. Fr. Lvdwigivm. Insunt quaedam de dubia Aretaei aetate constituenda: novaeque editionis ejus specimen	13 — 46.
III.	De philosophis ante Hippocratem medicinae cultoribus, ad Celsi de medic. praefat. Specim. I.	47 — 86.
IV.	De forcipibus obstetriciis, recens inventis. C. tab. aen.	87 — 118.
V.	Momenta quaedam, quae ad vitam hominum submersorum restituendam multum facere videntur	119 — 127.
VI.	De morbo vaccino - varioloso collectanea quaedam	128 — 189.
VII.	Anatomes chirurgicae specimen. Vesica urinaria. C. tab. aen.	190 — 210.
VIII.	Collectaneorum de morbo vaccino - varioloso. Contin. I.	211 — 221.
IX.	Collectan. de morbo vaccino - varioloso. Cont. II.	222 — 227.
X.	Collectan. de morbo vaccino - varioloso. Cont. III.	228 — 233.
XI.	Collectan. de morbo vaccino - varioloso. Cont. IV.	234 — 239.
XII.	Collectan. de morbo vaccino - varioloso. Cont. V.	240 — 246.
XIII.	Collectan. de morbo vaccino - varioloso. Cont. VI.	247 — 252.
XIV.	Collectan. de morbo vaccino - varioloso. Cont. VII.	253 — 259.
XV.	Febrifuga remedia, quae cortici Peruviano vicaria succedunt, considerantur	260 — 268.

		Pag.
XVI.	Hospitiorum, infantibus expositis dicatorum, commoda expenduntur	269 — 277.
XVII.	Hospitiorum, infantibus expositis dicatorum, incommoda expenduntur	278 — 284.
XVIII.	Hospitiorum, infantibus expositis dicatorum incommoda fusius expenduntur	285 — 290.
XIX.	De verisimli combustionis corporum humanorum spontaneae causa. Partic. I.	291 — 297.
XX.	De verisimili combustionis etc. Partic. II.	298 — 307.
XXI.	De physices atque chemiae recentioris meritis in artem medicam	308 — 315.
XXII.	Insunt tres de eclampsia parturientium observationes	316 — 323.
XXIII.	De eclampsiae causis.	324 — 331.
XXIV.	De variolis bis eundem hominem infestantibus	332 — 338.
XXV.	De variolis bis eundem hominem infestantibus. Cont. I.	339 — 346.
XXVI.	Num artuum amputatio statim post inflictum vulnus instituenda sit	347 — 355.
XXVII.	Larreyi sententia de amputationis festinatione statim post vulnus inflictum expenditur	356 — 361.
XXVIII.	De medicorum meritis in jurisprudentiae studium	362 — 367.
XXIX.	Laesiones aëriae expenduntur	368 — 375.
XXX.	Nonnullarum, quibus polypi narium exstirpari solent, methodorum dijudicatio. Part. I.	376 — 383.
XXXI.	Nonnullarum, quibus polypi narium exstirpari solent, methodorum dijudicatio. Part. II.	384 — 389.
XXXII.	Nonnullarum etc. etc. Part. III.	390 — 397.
XXXIII.	Nonnullarum etc. etc. Part. IV.	398 — 404.

I.

DE CAUSA MORTIS HOMINUM,

AQUA SUBMERSORUM EOSQUE IN VITAM REVOCANDI RATIONE, VETERIBUS GRAECIAE MEDICIS USURPATA.

Epistola gratulatoria ad Io. Glo. Tennerum et Demetr. Polychronium, cum summos in arte medica honores adipiscerentur, a. d. VII. Cal. Oct. cIↃIↃCCLXXVIII. scripta.

Quamvis mandatum Commilitonum Amicissimorum, vobis honores, quos vestra merita meritos consecuta sunt, gratulandi, et ab honore, quem secum adferre videtur, (quis enim sensum erga hoc fiduciae specimen obtusum pectore alat?) et a suavitate, qua omnes perfundat necesse est, (quis enim tam durus sit, quin amicis necessariisque, uti privatim, ita et publice, honores acceptos omninoque fortunae favorem gratulari, data occasione, lubenter velit?) haud parvam habeat sui commendationem: tamen, nisi mihi legem fixissem hanc, ut, si fieri ulla ratione posset, amicorum atque commilitonum voluntati nunquam deessem, has illius et honorifici et jucundi officii peragendi partes hoc quidem tempore plane recusavissem. Cum enim praeter illam studiorum necessitudinem, quae mihi tecum, Doctissime Tennere, intercedit, vix quidquam habeam, quo fretus me amicorum tuorum, quae te gratulabunda cingit, coronae immiscere possim: cumque tristis illa tui, Eruditissime Demetri, a nobis discessus imago illam, quam tua mihi amicitia suggerit, fiduciam animo eripiat meo: videor, cum illic metus, ne impu-

dentiae incurram crimen, urgeat, hic cogitatio acerba animum perturbet meum, me brevi ab eo relictum iri, quem, quo rara omnia atque peregrinis adportata regionibus excipere solemus, studio amplectebar: quem, quam sibi eruditio atque humanitas plane singularis pariunt, admiratione prosequebar: quem denique eodem, quo me dignum existimabat, amore fovebam: videor, inquam, mihi his quidem temporibus impar provinciae, qua me Commilitones ornarunt mei, recte administrandae. Sed quemadmodum TUA humanitas, TENNERE, animum subtimidum erigebat atque confirmabat spe illa dulcissima, fore, ut hominem TIBI ignotum illum quidem, sed a personae, quam sustinet, dignitate commendabilem, non omnino rejicias: ita nostra amicitia, DEMETRI, quae publicum aliquod poscere monimentum videbatur, animum a tristitia retractum impulit ad scribendi partes in me suscipiendas. Quam ob rem excusatus jam satis apud VOS ero, si, cum fortasse nonnisi immatura mei ingenii immaturitas proferre posset, tamen ea proferre, quam omnino tacere satius esse duxerim. Argumentum vero, quod, ne epistola mea nimis tenuis evaderet, VOBIS cum communicandum sumsi, haustum est e veterum, quos Graecia, magnorum quondam ingeniorum fecunda mater, protulit, aluit, sinuque suo liberaliter admodum fovit, medicorum scriptis. Collegi nimirum ea, quae mihi in illis experientiae medicae thesauris de causa, quae aqua mersis hominibus mortem inducere olim credita est, atque de remediis, illos hac misera sorte defunctos in vitam revocandi, occurrebant. Intelligebam enim tum, cum nuper occasione, cujus memoria, cum et recens admodum, et tristis sit, disertiori aliqua descriptione vix indiget, invitatus ingentem illam libellorum sylvam, qui de submersis, eorumque vitam revocillandi subsidiis conscripti sunt, pervolverem, veterum Graeciae medicorum hac de re sententias aut plane negligi, aut tam negligenter adferri, ut ego quo-

vis contendere pignore vellem, plerosque illorum recentiorum scriptorum ipsos fontes non adiisse, sed e turbidis rivulis illorum hausisse, qui primi veterum in hoc de submersis loco sententias in scenam producerent.

Jam vero cum in causa mortis hominum aqua submersorum rimanda facile praevideam, me, nisi ostensum ivero, veteres in ea fuisse sententia, ut homines strangulatos, aqua mersos atque suffocatos, una eademque morte perire crederent, felici successu iri destitutum: patiamini, ut ea ante omnia exponam, quae animum induxerint meum, ut illud a veteribus fuisse defensum statuam. Ac primum quidem, cum in omnibus, quotquot mihi de submersorum cura, in antiquis Graeciae medicis occurrentia innotuere, locis semper sororio veluti vinculo conjunctam legerem curationem hominum strangulatorum eorumque, qui in mari morte oppressi occubuerunt, atque ab utrorumque interitu, tanquam a formis, transitum fieri ad summum, quo hae comprehenduntur, genus, nempe ad suffocatos: concludendum exinde esse putavi, mortis utriusque unam eandemque causam a veteribus fuisse adsumtam. Si lubet, audiatis par medicorum graecorum illud, quod a recentioribus laudatum quidem reperi, sed ita, ut quilibet facile intelligat, neutrum locum ab ullo esse accurate inspectum. Prior prodeat igitur Paulus Aegineta, qui *de re medica III. c. 27. p. 39. edit. Aldin.* 1528. haec scripsit: *τῶν δὲ ἀπαγχομένων, οἷς μὲν ἀφρὸς ἤδη περὶ τὸ ςόμα, μὴ ἐγχειρεῖν Ἱπποκράτει πειθομένους. τῶν δὲ ἄλλων ἀνάκλησις γίνεται ὄξους ἐγχύσει καὶ πεπερέως ἢ κνίδης καρποῦ ἐν ὄξει τριφθέντος δριμυτάτου* (forte *δριμυτάτῳ*, uti quoque ed. Basil habet.) *ἐργωδῶς δὲ παραδέχονται, ἀλλὰ χρὴ βιάζεσθαι. διαλυομένων δὲ τῶν περὶ τὸν τράχηλον ἐρυθημάτων, εὐθὺς ἀναβλέπουσι καὶ ἀνίονται.* Hucusque pertingit eorum, qui suspendio vitam amiserunt, tractatio, quam statim relinquerem ad rationem progressurus, qua idem auctor vitae submersorum succurrendum esse statuit, nisi auxiliatrices manus flagitaret

vitium in ultimis Aeginetae verbis haerens. Haud enim dubito, quin quilibet mecum conveniat, ΑΝΙΟΝΤΑΙ esse corruptum: sed an in ratione quoque hujus corruptelae sanandae omnes mecum sint conspiraturi, decernere nolo. Verbo, legendum esse videtur, ἀνάγονται h. e. *in vitam reducuntur, ad se redeunt*. Nolitis huic meae emendationi objicere consensum Aeginetae atque Aetii in idem vitium. Hos enim scriptores ex uno eodemque fonte hausisse, satis e totius orationis similitudine adparet. Comparetis modo adducta Aeginetae verba cum his Aetii *Tetrab. II.* 4. *c.* 49. ἀνακαλοῦνται ἐνίοτε οἱ ἀπαγχόμενοι ὄξους ἐγχεομένου τῷ ςόματι μετὰ πεπερέως ἢ κνίδης σπέρματος. ἰσχυρῶς δὲ οὐ *) κατέχονται, ἀλλὰ βιάζεσθαι δεῖ καὶ ἐγχεῖν τῷ ςόματι, καὶ ἐρεθίζειν πρὸς ἔμετον. λυομένων δὲ τῶν περὶ τὸν τράχηλον etc., nec amplius repugnabitis, opinor, mihi defendenti, illud vitium e communi fonte in utrumque dimanasse scriptorem. At enim quisnam tandem is fuerit? — Equidem, si conjecturae in tali re indulgere liceat, illum statuo fuisse Theophrastum Eresium. Certe inter opera ejus extat fragmentum aliquod, quod magnam cum hac, quam tracto, materia similitudinem prodit. Quidquod et Oribasius *libr. VIII. c.* 57. disertis verbis adfirmat, haec e Theophrasto esse sumta. Inscriptum enim illud caput: *de submersis e Theophrasto*, haecce tradit: *Suffocati revocantur aceti infusione atque filicis aut urticae in aceto acerrimo trito atque diluto. Difficulter autem quidquam sumunt, sed vi cogendi sunt. Dissolutis vero colli impedimentis statim respiciunt atque anguntur*. E qua Rasarii versione (graeco enim Oribasii textu nondum publici juris facto, hac usus

---

*) Certo certius corruptum est hoc verbum. Proximum accedit ad vulgatam, quod conjicio ab Aetio esse profectum, καταδέχονται. Occurrit vero opportune idem hoc verbum apud Hippocratem de cibis adsumtis adhibitum, v. c. *Epidem. VII. p.* 359. *ed. Froben. ed. Lind. I. p.* 847. πόμα κατεδέξατο καὶ χυλοῦ (τι haud dubie subintelligendum).

sum) adparet, ut hoc obiter moneam, Rasarium pro corrupto *ἀνίονται* legisse *ἀνιῶνται:* conjecturane ductus, an Msti auctoritate adjutus hoc fecerit, nescio. Sed video, tandem aliquando esse redeundum, unde nimis longa me deduxit via. Nimirum his tribus, quae attuli, locis continetur curandi ratio, qua strangulatorum vitam veteres Graeciae medici revocillare tentarunt: jam e sequentibus horum scriptorum verbis ostendam, arctissime olim conjunctam fuisse rationem hominibus suffocatis aeque ac submersis medendi. Revocabo igitur, quem paulo ante missum feci, Aeginetam, qui *l. c.* curationi strangulatorum hominum subjicit statim haec: *ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ναυαγῶν· καὶ ὅλως τῶν ἐκπνυγομένων* (scrib. *ἐμπνιγομένων.*) *ΑΝΑΖΩΠΥΡΕΙΤΑΙ ΓΑΡ ΤΟΥΤΩΝ ΤΟ ΘΕΡΜΟΝ.* Quae omnia cum Oribasio amice conveniunt, qui *loc. add.* de submersis ita exponit: *hi,* strangulati sc. *non secus revocari videntur, ac illi, qui naufragium fecerunt, et ad summam* (male sic *τὸ ὅλως* expressum est. Haec enim particula cum transitum a speciebus ad commune aliquod genus indicaret, reddenda potius erat per: *omnino.*) *ut qui suffocatione fuerunt oppressi, siquidem eorum calor ita recreatur.* Neque vero abludit Aetius ab horum duumvirorum sententia, cum supra laudato loco ita pergit: *παραπλησίως δὲ δεῖ ἀνακαλεῖσθαι καὶ τοὺς ἀπὸ τῶν ναυαγίων, εἴγε σώζεται ἔτι ποσῶς αὐτοῖς ἡ ἀναπνοή.* Praeter illam vero, quam jam idoneis scriptorum testimoniis demonstratum ivi, conjunctionem atque similitudinem medelae, qua iis, qui strangulatione non minus, quam qui suffocatione interempti sunt, opitulari olim solebant, videor mihi aliud argumentum ad demonstrandum, ab antiquis unam eandemque causam mortis strangulatorum, suffocatorum, atque sub aquis pereuntium fuisse adsumtam, invenisse in eo, quod Galenus in illo Hippocratis aphorismo II, 43. explicando (*Tom. III. p.* 249. *ed. Basil.* 1538.) permutat verba *πνίγεσθαι, suffocari,* atque *ἀπάγχεσθαι, strangulari,* quod

facturus non erat pro sua, qua Hippocratem prosequebatur, religione, nisi cognitum babuisset, illud ipsum aut ab Hippocrate jam alibi esse defensum, aut pro medicinae, quam sua ipsius aetate induerat, forma ex illo loco commode deduci posse. His igitur confectis, via et breviori et tutiore ad causae indagationem tendere licebit, quae submersos e vita subripuisse olim existimabatur. Nolo hic producere illam mortis submersorum causam, quam mihi reperisse videor in Galeni opere *de decret. Platon. atque Hippocr. II. c.* 5., ubi in capitibus hominum, quibus aqua vitam abstulit, narrat inventa esse vasa rupta atque discissa. Quibus quidem e verbis fortasse alius paulo cupidior de veterum meritis judex statim cogeret, Graecos illos derivasse mortem sub undis peremtorum ab effusione sanguinis in cerebrum, atque inde orta apoplexia sanguinea. Ego vero, cum certis atque firmis judiciis res decerni posse videtur, tunc conjecturis parum aut nihil tribuens, hoc Galeni loco relicto, ad aliam rem transgredior, quam in causa mortis submersorum aeque ac strangulatorum esse, disertis verbis adfirmat idem, quem modo laudavi, Galenus. Etenim *libr. de respirat. utilit.* in quo contra Erasistratum pugnat, qui respirationi negaverat esse aliquam utilitatem in conservando calido innato, variis in locis contendit, homines, simulac caloris illius naturalis conservatio perturbata collabatur, suffocari. Eandem vero sententiam de suffocatis fovit aliquot ante Galenum seculis jam Theophrastus Eresius, in illo *de animi deliquio* opere, supra laudato, quod, utinam integrum ad nostra pervenisset tempora, nobis clariorem in illa de calido innato, diu multumque ab eruditis agitata, controversia lucem accenderet. In hoc igitur fragmento (*Oper. Tom. II. p.* 472. *edit. Dan. Heinsii, Tom. I. p.* 325. *ed. Schneid.*) suffocationem derivat a respiratione impedita, hanc a calidi innati perturbatione: *πνίγεται γάρ*, haec sunt ipsa ejus verba, *ἢ πνιγομένῳ ὅμοιός ἐστιν, ὁ μὴ δυνάμενος ἀνα-*

πνεῖν etc. Quantae vero auctoritatis haec sententia olim fuerit, patet vel exinde, quod sese per tot secula, quae rara esse solet hypotheseum fortuna, infracta atque inconcussa defenderit. In Servii quidem, qui quarto post C. N. seculo vixisse videtur, commentario in Virgilii *Aeneid. I. v.* 93. ejusdem opinionis vestigia impressa conspiciuntur. Ut enim Aeneam a dedecore illo, e mortis timore, ab herois ingenio atque persona alieno, in illum redundante, liberaret, haec ibidem ad vocem *ingemit* commentatus est Servius: *non propter mortem, sed propter mortis genus, quia* anima ignea est, *et extingui videtur in mari* h. e. *elemento contrario.* Quae cum ita sint, ego satis quidem miror temeritatem quorundam recentiorum, qui, ne omnino hospites ac peregrini in veterum graecorum medicorum scriptis videantur, audacter illinc sententias proferunt, quas, a se ipsis exclusas, veteribus tribuere haud erubescunt. In horum virorum censum, sit pace Viri Clarissimi dictum, non possum non, quin referam Gummerum, qui in illa, *de causa mortis submersorum, eorumque resuscitatione etc.* *Groningae* 1761 habita, dissertatione haec (c. 1. §. 4.) scripsit: *communis quippe apud veteres invaluerat opinio, os, nares, fauces, thoracem, in genere omnia cava hominum viventium submersorum ipsa submersione eo usque repleri, ut inde variae partes rumperentur, vel saltem pro sua lege vitales actiones exercere impedirentur* etc. Laudat hujus opinionis auctores Galenum *de vict. rat. in morb. acut. III. comment.* 40. (ubi ridiculo plane errore sese abripi passus est Vir Doctus. Ibi enim Galenus non de aqua in submersorum cadaveribus inventa, sed de aqua in potum cedente ordinarium, atque ex illius sententia non alimento, sed alimenti vehiculo, exponit), Paul Aeginetam, Aetium *ll. cc.*, quorum cum in neutro quoque illius, quam Gummerus defendit, opinionis vestigia reperiantur ulla, facile potest colligi, quantum sit ejusmodi veterum medicorum graecorum laudatoribus tri-

buendum. Sed manum de tabula. Satis enim jam de causa mortis actum esse puto, qua ii, qui animam sub undis exhalant, periisse ab antiquis crediti sunt: jam in curationem inquiram, quibus iisdem succurrere conabantur.

Bene igitur memores eorum, quae paulo ante de calido innato, in submersis suppresso atque fere extincto, disputavimus, facile conjectura adsequi poterimus, quamnam viam veteres ingressi sint, auxilium suffocatis laturi. Omne enim studium, principemque operam ponebant in eo, ut calorem illum naturalem seu insitum revocarent, quem contrario elemento nisi omnino suppressum, certe multum debilitatum esse credebant. Cujus quidem studii testes producturus libenter ordinis principium ornarem venerabili Hippocratis nomine, nisi, in hujus viri scriptis nullum de submersorum revocatione locum mihi occurrisse, ingenue fatendum esset. Nolo enim huc cum Cl. Gummero trahere *Aphor.* II., 40. *τῶν ἀπαγχομένων καὶ καταλυομένων, μηδέπω δὲ τεθνηκότων οὐκ ἀναφέρονται, οἷσιν ἂν ἀφρὸς περὶ τὸ ςόμα ᾖ*, cum de submersis ne litera quidem in illo occurrat. Nisi forte malimus conjecturam sequi Cornarii, in notis ad *Aeginetae de R. M. III, 27.* pro *καταλυομένων* legentis *καταδυομένων*, non *κατακλυζομένων*, ut ipsum emendasse Io. Conr. Dietericus ad calcem editionis aphorismorum Hippocratis, Gissae 1657. ab ipso paratae, sola Hippocratis versione a Cornario facto ductus, conjiciebat. Sed haud dubie defendenda est vulgata. Nam *καταλύεσθαι*, quod *h. l.* non per: *resolvi*, sed potius per: *animi deliquium pati, in agone mortis versari*, (cf. Galen. *de utilitate respir. c.* 4.) est interpretandnm, commode jungitur *τοῖς οὐδέπω τεθνηκόσι.* Dein spuma ante os hominum submersorum observatur nulla: hinc verba illa, *οἷσιν ἂν ἀφρὸς περὶ τὸ ςόμα ᾖ*, quae egregie quadrant in strangulatos, plane non convenirent cum altero verbo, *τῶν καταδυομένων.* Majori fortasse cum jure indigebat me-

dicina aliqua Galenus in *Comment. ad h. l.* (*Tom. V. p.* 249. *ed. Basil.* 1538.) ἔνιοί γε μὴν ἐν τῷ σπανίῳ τῶν ἀπαγχομένων ἀπήνεγκαν, ἀφροῦ ἤδη φανέντος περὶ τὸ ςόμα. Legendum enim videtur ἀνήνεγκαν, quod verbum apud Hippocratem, subintellecto τὴν αἴσθησιν, quod addit Aretaeus *de cur. morb. acut.* 1. *c.* 2. *extr.* ἢν δὲ ἀναφέρῃ τὴν αἴσθησιν h. e. *si sensum recuperaverit, ad se redierit,* de iis dicitur, qui ad vitam redeunt. Sed haec hactenus. Redeo ad studium, quo veteres calorem innatum revocare tentarunt. Quo quidem haud dubie Archigenes spectavit, cum picem atque nitrum una cum aqua juberet suffocatis, atque adeo submersis quoque, hauriendum exhiberi. Inesse enim infuso picis liquidae stimulandi aliquam virtutem, hoc Barckleji, aliorumque in hanc rem instituta experimenta probant, adeo, ut non esset, quam ob rem Galenus illud Archigenis consilium non probaret. Disputat vero ita contra hoc medicamentum *de medic. compos. secund. loc. libr. VI.* (*Tom. II. p. m.* 250. *lin.* 46.) πίσσαν δὲ μεθ᾽ ὕδατος καὶ νίτρου ποτίζειν, οὔτε τινα θεασάμενος ἄλλον, οὔτε τῷ λόγῳ ποδηγούμενος ἀπεσχόμην. His calorem resuscitandi conaminibus jungebant alia medicamenta partim excitantia, fibrasque musculorum torpentes stimulantia, partim vomitum producentia. Sic. v. c. acetum cum pipere, aut semina urticae in acerrimo trita aceto ori infundebant: Galenus vero eodem consilio suadet, ut vena secetur, fortiori paululum enemate alvus ducatur, et vesicatoria denique extremis adplicentur, quae humores a capite ad inferiora derivent. Aetius *Tetrab. IV. Serm. I. c.* 84. in Msto, quod in bibliotheca Amplissimi Senatus Lipsiensis servatur, πθ. *Libr. XVIII fol.* 183. praeter venaesectionem in brachio instituendam praecipit, ut acris et irritans pulvisculus, sternutationis proliciendae causa, naribus injiciatur. Sed gratum me harum literarum lectoribus facturum esse spero, si totum hunc Aetii locum, quem Franzii, Viri Experien-

tissimi, humanitas, pro qua has ipsi ego publicas decerno gratias, mecum communicavit, adponam: *περὶ τῶν ἀπαγχομένων. τοῖς δὲ ἀπαγχομένοις, ἔτι καὶ ἐμπνέουσι, πταρμικὸν ταῖς ῥισὶ προσαγόμενον βοηθεῖ, καὶ φλεβοτομία**) *ἀπ᾽ ἀγκῶνος. πότιζε δὲ καὶ πέπερι σὺν ὄξει καὶ ὀξυκράτῳ, καὶ ἐμεῖν ἀνάγκαζε. τοῖς δὲ προσθλιβεῖσι τόποις τοῦ τραχήλου ὑδρέλαιον θερμὸν προσάγειν, ἢ ἄνηθον θερμὸν, ἢ στέαρ χήνειον, καὶ ἐρίοις μαλακοῖς καταλαμβάνειν τὸν τράχηλον καὶ θάλπειν.* Jam vero altera, qua continebatur curatio hominum aqua extinctorum, pars adhuc restat, quae illud sequebatur, ut aqua sub submersione hausta ejiceretur. Unus hujus consilii auctor suasorque mihi quidem innotuit Aetius *Tetrab. II, 4. c.* 49. *ἐπὶ τούτων* (h. e. *praeter illa in vitam revocandi subsidia, jam enarrata,*) *δὲ πρότερον χρὴ ἐπὶ κεφαλῆς κρεμῶντας βιάζεσθαι ἀπεμεῖν τὸ καταποθὲν ὕδωρ, ἐρεθίζοντας μὲν πτεροῖς, ἢ* (vitiose Aldin. edit. *ἡ* exhibet) *δακτύλοις, τῇ δὲ ἐπιθέσει τῶν χειρῶν ἔξωθεν βοηθέντας τῷ τῆς γαστρὸς τόνῳ.* Quam quidem tractandi submersos rationem etsi haud ignoro a recentioribus medicis tanquam inutilem, imo perniciosam esse proscriptam, quippe cum sic humorum copia major adhuc ad caput alliceretur, et, nisi jam antea rupta fuerint distenta encephali vasa, nunc vehementiore atque ampliore sanguinis flumine inundante, certissime rumperentur: tamen nescio, an experientiae, cui alibi tantopere fidendum esse in rebus medicis contendimus, in hac re sola non sit credendum. Felices enim hujus inversionis corporum successus narrat Grulingius *Centur. II. cur. et observ.* 10. hujusque viri observationes suis firmat indubitatae fidei vir, Thom. Bartholin. in *Act. Med. Hafniens. Vol. V. p.* 137. Nec dubito, quin recentiorum

---

*) Malim *ἐπ᾽ ἀγκῶνι* — Haec enim praepositio constanter in hac formula adhibetur v. c. apud Aretae. *de Morb. acut. cur. I.* 1. *οὐ χρὴ τὴν ἐπ᾽ ἀγκῶνι ταμεῖν φλέβα. de Morb. diuturn. cur. I,* 2. 4. et 5. etc. — aut *ἐν ἀγκῶνι·* ut apud Hippocr. Aphor. V, 69. *ἡ ἐν μετώπῳ ὀρθὴ φλεβοτμηθεῖσα ὠφελέει.*

in eandem rem extent observationes atque experimenta. Quam ob rem ego quidem veteres Graeciae medicos non omnino contra rationem atque experientiam egisse putarim, dum submersos, capite ad terram inclinato, pedibusque paululum elevatis, per aliquot temporis momenta collocarent. Cum enim externa totius corporis superficies frigore rigeret, calorem innatum, nisi omnino extinctum, certe in interioribus corporis cavitatibus coactum latere putabant. Hic igitur ut rursus revocaretur, atque in pristinas sedes restitueretur, quid melius conveniebat, quam remotio impedimentorum, quae sese ejus reditui objiciebant? Eorum autem primarium ipsis frigida videbatur, ventriculo, quem principem sedem calidi innati putabant, recepta. Ergone credebant veteres Graeciae medici, aquam sub submersione in ventriculum irruere, hujusque cavitatem totam explere? Credebant vero, (nec in eo ab illis aliquid erratum fuisse probant experimenta a viris fide dignissimis instituta,) aquae flumen intrare quidem uti pulmones, ita et ventriculum, illud vero tantum fuisse, quantum a recentioribus, ut haberent, quod in illis carperent, est confictum, quis unquam ex eorum scriptis probaverit! Sed urgent adversarii paulo pertinaciores et hoc: tam exiguam aquae receptae copiam non nocituram fuisse corpori, quippe cum saepe aequalis, imo interdum major adhuc aquae frigidissimae copia potu absorbeatur sine vitae ullo periculo. Audio, nec sum tam coecus meritorum veteribus tributorum admirator, ut, si solam aquae deglutitae ejectionem hac corporis inversione spectassent antiquae aetatis medici, eos humani aliquid perpessos esse, non lubenter concedam. Sed aequitas postulat, ut, cum hujus submersos tractandi rationis veteres nullam reddiderint rationem, eam investigemus nosmet ipsi antea, quam illorum curandi viam aut laudibus extollamus, aut vituperiis insectemur. Fortasse igitur subita tali corporis inversione spectabant hoc, ut illa,

quae hoc corporis motu instituto necessario evenit, ventriculi aliarumque partium, quae abdomine continentur, impressione in diaphragmatis septum facta, hoc ad contractionem invitarent, atque sic respirationem suppressam restituerent. At, tamen apoplexiae metus instat. Hunc vero larga venaesectione, vesicatoriis, clysmatibus acribus injectis, aliisque remediis, quibus humorum flumen a cerebro ad extremas, minusque nobiles partes derivare solemus, e medio tollebant, certe minuebant egregie. Nolo tamen diutius sententiarum, ab antiquis Graeciae medicis defensarum, patrocinium in me suscipere, quod a VESTRORUM ingeniorum acumine, eruditionisque amplitudine feliciori cum successu tuebitur.

II.

EPISTOLA AD CHR. FR. LUDWIGIUM

A. D. XII. CALEND. SEPT. CIƆIƆCCLXXIX SCRIPTA.

Insunt quaedam de dubia Aretaei aetate constituenda: novaeque editionis ejus specimen.

Nisi amicitia, quae animorum consensu suscepta atque nata, studiorum similitudine alta et sustentata, aliisque necessitudinum vinculis firmata, arctiusque contracta nosmet intercedit, me iterum ad scribendum invitasset: voluntas tamen Viri Experientissimi, D. Leonhardi, cujus tot in me extant merita, ut, nisi ingratus esse velim ac videri, nullam animum erga illa non omnino hebetem atque obtusum declarandi occasionem dimittere debeam, me, ab illa provincia antea alienum, ad eandem nunc, quod bene eveniat, suscipiendam erat revocatura. Nosti enim labores illos, qui me jam exercent: nosti virium imbecillitatem, quae illis, aliorum humerorum robori levioribus visis, sustinendis vix, ac ne vix quidem, sufficit: nosti denique animum meum, quem natura paulo timidiorem finxit, atque in virorum eruditorum conspectum prodire cunctitantem. Quae quidem omnia quamvis me ad illam provinciam declinandam cohortarentur: tamen pietas erga Praeceptorem Optimum, amicitiaque erga TE vicit. Cum igitur locum anquirerem, cujus tractationem una cum laetitiae nostrae de honoribus, hodie TIBI tributis, significatione, e more consuetudineque recepta, conjungerem: incidi, ut fieri solet, in illum scriptorem, cujus lectio repetita me nunc detinet, oblectatque, ex eoque constitui argumentum hujus epistolae desumere. Non ignoro quidem, me jam aliquoties coram TE disse-

ruisse de eodem rei medicae scriptore: sed idem quoque ille novi egregiam animi TVI indolem, qua TE, quae amicis grata acceptaque sunt, repetitis vicibus enarrata non laedant, aequiorique feras animo eorum garrulitatem, quam Horatius, qui, cum ipsi ignotus occurreret homo, ipsumque, apprehensa manu, quid agis dulcissime rerum? *interrogaret, artibus, ejus loquacitatem effugiendi, omnibus vanis, aures demittebat, ut iniquae mentis asellus. — Poteram vero locum absolvere illum, quem nuper simili ceperam occasione, praesertim cum in illam rem mecum multa, eaque egregia communicasset Vir Illustris, TRILLERUS, cujus venerabilis senis in notitiam me venisse, dignumque habitum esse, et adhuc haberi, quem per literas interdum doceat ea, quae ut ex ipsius ore haurirem, sors noluit mea, in maxima meae felicitatis parte pono. Sed nolui amico nostro suavissimo, in eodem argumento elaborando occupato, ea praeripere atque occupare. Jam igitur satis, puto, haesimus in limine: introeamus, si placuerit.*

Inter scriptores veteres, si quis alius, certe Aretaeus merebatur, qui ex abditis bibliothecarum latebris in lucem protractus, eruditorum virorum studiis excoleretur. Nam sive rerum tractatarum ordinem spectemus, sive observationum, saepe non vulgarium, quas de causis, signis, curationibusque morborum instituit, multitudinem, sive imaginum, quibus morborum haud paucorum formam peritissime effinxit, vivos quasi et ad naturam expressos colores, sive denique orationis suavitatem atque brevitatem, ab asiatico illo dicendi genere abhorrentem, quod ubertate interdum displicet sua: semper Aretaeo, si aequi judices sedere velimus, praecipuum inter antiquos de medicina scriptores locum concedere debebimus. Quae vero solet esse fortunae iniquitas, ut viros virtute doctrinaque illustres saepe ibi relinquat, ubi paucis tantum innotescere atque prodesse possint: contra ea ignobiles homines terraeque filios eo evehat, ubi, velut in theatro constituti, stupentis vulgi oculos in se convertant, diuque interdum retineant fixos: ea ipsa Aretaei scripta ad obscurissimos bibliothecarum angulos proscripsit, ibique pulvere atque situ deformia latere jussit: multorum vero aliorum libellos, in quaestionibus tenuibus inutilibusque solvendis occupatos, virorum eruditissimorum studiis commendavit ita, ut horum doctrina ornati excultique jam sine contemtu versari publice possent. Quam sinistram Aretaei sortem dolui eo magis, quo saepius ejus lectionem repeterem, ex eaque semper nova voluptate delinitus, novisque locupletatus scientiae medicae copiolis redirem. Hos animi mei sensus cum aliquando aperirem, cui ob singularem Ejus in me amorem nihil harum rerum celo, Viro Experientissimo, D. Krausio, is, probato meo de Aretaeo qua-

licunque judicio, me cohortabatur, ut, quem antea legeram ita, ut placita illius medicorum familiae cognoscerem, quae, cum πνεύματα in subsidium explicandarum naturae functionum morborumque vocaret, πνευματική vocata est, relegerem ita, ut vitia, quibus a librariis deformatus est, pro ingenii viriumque modulo detegerem, detectaque tollerem, loca obscura explicarem, alios medicos veteres laudarem, et cum Aretaeo componerem, denique ut editionem pararem, quae optima quaeque reliquarum contineret, faciliorque esset comparatu. Et sane operam perdere, atque in latere lavando collocare mihi non videbatur is, qui Aretaei scripta et emendatiora et minori pretio emenda ederet. Nam quae novissime apud Batavos prodiit, Herm. Boerhaavio, ut libri quidem titulus prae se fert, Ioan. vero van Groenefeld, uti Boerhaavius ipse in praefatione testatur sua, curante, ea omnia quidem continet, quae a commentatoribus ad explicandum emendandumque Aretaeum scripta sunt; eo tamen ordine omnia sunt collocata, ut insignis patientiae homo requiratur, qui tam vastam indigestamque molem digerere atque in usus convertere possit suos. Dein vero etiam erroribus typographicis scatet quam plurimis, ideoque omnis apparatus criticus plane nullius usus esse potest, nisi *Wigani* editio, unde pleraque hausta sunt, simul adhibeatur.

Quam ob rem constitui ego, virorum gravissimorum excitatus cohortationibus, rudem illam formam paulo majori cum cura effingere, superflua rescindere, necessaria addere, sicque pro ingenii viribus juvare studium eruendi e veteribus medicis thesauros experientiae, tam longa seculorum serie probatae atque confirmatae. Vulgati enim illius: *graeca sunt*, nullus me metus tenet, cui in hac literarum academia contigisse laetor medicae artis magistri, qui studium graecae linguae saepius, non propter insignem, qua suos amatores perfundit, ucunditatem, sed propter

necessitatem commendabant summam, atque adeo gloriam linguae graecae excolendae singularique amore fovendae tuebantur, quam inde a reviviscentibus quasi post illam medii aevi barbariem literis medici sibi quodammodo (praefiscine tamen dixerim!) vindicarunt. Rem actam agerem, si sententiae hujus vindices laudarem illustria illa nomine CORNARIORUM, FOESIORUM, CONR. GESNERI, Germanorum PLINII haud temere cognominati, HERINGARUM, BERNARDORUM, HEBENSTREITIORUM, et ut ad vivos adhuc, iis tamen, inter quos vivo, omissis, ne veritatem praedicando adulatoris agere videar personam, transeam, (quorum selectus quam difficilis!) TRILLERORUM, MUSGRAVIORUM, GRUNERORUM, VILLEBRUNÉORUM.

At forte onus susceperam, meis quidem humeris vix et ne vix quidem ferendum? Ego vero, si quis alius, non e sermonibus aliorum, sed ipsa edoctus experientia, noveram, quam gravia alteque descendentia vulnera essent inflicta Aretaeo, quorum medicina aliqua deberet tentari: quam multae ejus cicatrices, infelici quidem, laudanda tamen opera summorum virorum inductae, refricandae: quam saepe, vitiis nimis abditis, nec conjectura consequendis, depositus conclamatusque mihi foret relinquendus. Idem vero ille conceperam etiam spem suavem, et eam mihi solam in hac lubrica provincia et recipienda et administranda ante oculos positam, fore, ut, quod in aegrotis desperatis facere solent medici, ut consilia conferant, conjunctisque viribus de salute aegroti restituenda, confirmandaque sint solliciti, etiam in Aretaeo vitae sanitatique reddendo faciant viri eruditissimi, concedantque mearum precum humanitati liberalissime omnia, aut ab ingenii sagacitate, aut a librorum antiquorum auctoritate profecta, quae illi medelam possint adferre.

Nunc vero liceat pauca de Aretaei subjungere aetate, de qua quot viri egerunt eruditi, tot fere etiam extant variae sententiae: reliquis, quae de placitis ejus disse-

renda erant, in aliud tempus reservatis, aut, nisi haec virorum doctorum calculos tulerint, in spongiam, cum Augusti Ajace, abire jussis.

Aretaeus quidem qua aetate vixerit, magna, uti monui, inter eruditos controversia est. Fuerunt enim, qui eum [1]) vetustissimum pronuntiarent auctorem: alii eum seculo [2]) primo floruisse adserebant: nonnulli denique ejus aetatem in [3]) Hadriani tempora incidisse putabant. Quorum virorum argumenta, quibus quisque sententiam stabilire conabatur suam, si repetere omnia, ac incongrua rejicere atque refutare velim, vereor, ne rem ingratam suscipiam, taedioque plenam: eam potius conjecturam exponam, quae mihi vero proxime accedere videtur, eamque iis argumentis confirmabo, quae me ad eam amplectendam quodammodo deduxere.

Cadet igitur Aretaei aetas post Augusti tempora, si fides habenda [4]) *Caelio Aureliano,* qui (juvat ipsa barbara atque horrida scriptoris hujus proferre verba,) *scribentium medicinam nullum ante Themisonem tardarum passionum curationes principaliter ordinasse* adserit. Fuit autem Themison, discipulus [5]) Asclepiadis, non Archi-

---

1) Föesius in *oecon. Hippocr. s. v. ἀποπληξίη p. m.* 79. *b. s. v. κρίσις p.* 359. *a. s. v. νεαίρα p.* 425. *b.* etc. nec non Vossius *de philosoph. c.* 13. hoc inprimis argumento inductus, quod jonica usus sit dialecto Aretaeus. Quod argumentum quam fallax sit, ostendit vel unus Arrianus, qui de expeditione Alexandri magni scripsit, quem contra Vossium excitavit jam Menagius in *amoen. juris*, a Clerico laudatus in *historia med. p.* 516.

2) Hujus sententiae fuerunt Saxius *onom. liter. p.* 273. et Harless. *p.* 346. Certo tamen tempori adstringunt alii, quorum Lindenius *p.* 87. eum Strabonis coaevum facit: Hallerus in *bibl. chirurg. Tom. I. p.* 64. eum ante Plinii tempora ponit: Plinii coaevum statuit Clericus *l. c.*

3) Matthiae in *conspect. histor. medicorum chronolog. p.* 18. Petr. Petitus vero in praef. ad commentarium in hunc scriptorem, Galeno minorem facit ex hujus de illo silentio. Conf. et Wigani disputationem de Aretaei aetate praemissam editioni suae Aretaei.

4) Cf. *praefat. libr. I. chron. p. m.* 5.

5) Plinii *hist. natur. Lib. XXIX. c.* 1.

genis, uti quidem male contendit Petr. Petitus, Augusto imperante nobilis. Jam vero circumspiciamus scriptores, qui aliquam Aretaei mentionem injecere, ut videamus, an forte ex illis conjectura de ejus aetate duci probabilis possit. Aetium quidem, qui, quidquid Clericus (*histoire de médicine p. m.* 765.) aliique contradicant, seculo quinto certissime vixit, et Paulum Aeginetam, qui sexto et ineunte septimo floruit, de industria dimitto, quamvis ille multa Aretaei, saepius tamen celato prudenter fonte, in sua derivarit: est enim horum scriptorum aetas ita a Themisonis temporibus remota, ut fines, intra quorum spatium Aretaei aetas coërceri debeat, nimis lati vagique constituantur. Prodeat potius *Pedacius Dioscorides*, Anazarbaeus ille, cui praeclarum illud *de materia medica* debemus opus, qui Cappadocis nostri mentionem injicit *de medicam. fac. parabil. II. c.* 112. *p. m.* 112 *ed. Wechel.* 1598. ἀκακίας τὸ σπέρμα ἄριστα ποιεῖ λιθιῶσι μετὰ πεπερέως καὶ οἰνομέλιτος· Ἀρεταῖος ὄνομα ἐν τοῖς νεφριτικοῖς ἔγραψεν: *) qui locus forte e *libr.* 2. *de curat. morb. diuturn. c.* 4. *p.* 131. petitus est (nam in nostris Aretaei editionibus frustra quaeritur, in quibus quantae occurrant lacunae, ignorare non poterit is, qui vel primam tantum hujus scriptoris paginam inspexit).

E quo Dioscoridis loco quam certa de Aretaei aetate conjectura ferri possit, prius et de Dioscoridis ipsius aetate quaedam monenda sunt, et ostendendum, eundem fuisse utriusque operis, tam illius *de materia medica*, quam hujus *de medicamentis facile parabilibus* **) auctorem: utrumque enim viros doctos in di-

---

*) *Ackermann* in *Bibl. gr. Fabric. To.* IV. p. 682. dolet, Gesnerum, hunc Dioscoridis locum excitantem pro firmanda eadem, quam ego hic protuli, sententia adhibuisse locum typothetarum errore corruptum. Videtur tamen hic error typothetarum non ad Aretaei nomen, sed ad sequentem vocem ὄνομα pertinere, pro qua Saracenus p. 134. edit. supra memor. bene legendum suasit ὄνοσμα.

**) Hoc opus Andromacho dicatum est. Num hic Andromachus

versas distraxit sententias. Ac prius quidem, de quo controversia moveri poterat, optime ex Dioscoridis ipsius scriptis finiri atque constitui potest. Is enim cum in praefatione *libri I. de mater. med. p.* 2. commemoret Licinium, vel, ut aeque male in aliis libris legitur, Licanium Bassum, cujus familiaritate fruatur Areus, cui illud opus dicatum est [6]): Lecanius autem Bassus, si consulatum, incidentem illum in Neroniani imperii undecimum, suo anno *h. e.* XLIII. aetatis gesserit, Tiberio imperatore sit natus, obieritque eo ipso anno, quo Plinius historiam suam naturalem scripserat, (*cf. libr. XXVI c.* .4.) *h. e.* Tiberio imperatore ad summam rerum haud ita pridem

---

6) Consulatum gessit cum M. Licinio eodem anno, quo illud a Nerone, ut ajunt, conflatum incendium maximam Romae partem absumeret. Cf. Taciti *annal. XV. c.* 38—41., ubi tamen *c.* 32. non Q. Lecanius, sed Caj. Lecan. vocatur. — Harduin. ad Plinii *l. c.* errat, cum Dioscoridem scribit de Lecanii familiaritate esse gloriatum. Nam illud de Areo valere ostendunt ipsa ejus verba *l. c.* *δεῖγμα δὲ οὐ σμικρὸν τῆς ἐν σοι καλοκἀγαθίας, καὶ ἡ τοῦ κρατίστου Λεκανίου* (ita leg.) *πρός σε διάθεσις.* Hic igitur Lecanius Bassus diversus est a Jul. Basso medico, qui sub Augusto vixit, observante Burmanno ad *Quinctil. instit. VI,* 3. et cujus varia a variis laudantur medicamenta. Cons. Dan. Vinkii *amoen. philol. med. p.* 367.

ab eo differat, cui Erotianus suam *ἐξήγησιν* dedicavit, a viris doctis in dubium vocatum est. Certe *Paul. Cigalinus,* quem Franzius ad *Erotian.* p. 3. laudavit, posteriorem Andromachum juniorem habet. — *C. Sprengel* (*Geschichte d. Arzneyk.* T. II. p. 82. ed. tert.) Dioscoridem Neronis aevo vixisse inde concludit, quod *Euporista* Andromacho archiatro inscripta sint; quod Plinius Major saepissime e Dioscoride sua verbotenus hauserit, quamvis ejus nullam omnino mentionem injecerit; quod Anazarbus, patria urbs Dioscoridis, imperante demum Nerva, hoc nomen adepta sit. Hoc ultimum argumentum cum Vir Amicissimus omnium speciosissimum habeat, nescio, quomodo subjungere potuerit, Suidam esse sublestae fidei auctorem. Nam si hoc fuit, quod negari nequit, profecto ejus testimonium nullam omnino habere poterit auctoritatem, si alii, iique gravissimi scriptores contrariam ipsi sententiam adseruerint. Id autem factum est a Plinio Majore, qui libr. V. c. 27. *Intus autem dicendi Anazarbeni, qui nunc Caesarea Augusta.* Ita enim interpungendum existimo. Ad q. l. conf. Harduin. — Quod ad *Erotiani* locum p. 214. ed. Franz. attinet *Διοσκουρίδης δὲ ἐν τῷ ε τῶν ὑλικῶν φησὶ τὸ ἀκόνιτον εἰρῆσθαι ὑπό τινων κράμμαρον,* Foësio adsentior, qui in Oecon. Hippocr. p. 304. a. statuit, locum hunc non nisi melioris codicis ope satis explicari posse.

evecto: cum igitur, Lecanius Bassus jam auctoritate pollere deberet, ut ejus amicitia Areo in honorem cedere posset: videtur conjectura illa non omnino rejicienda, qua Dioscoridis aetas imperio Neronis adstringitur: quamquam non ignoro Ammiani [7]), et Suidae, si qua hic valere possit, auctoritatem contra hanc sententiam proferri posse, qui ante Nervae tempora Anazarbi, unde ortus est Dioscorides, mentionem non inveniri adserunt. In quo tamen hic aeque multum a vero recessit, ac contendendo, Dioscoridem hunc, de quo jam agimus, fuisse eundem cum illo, qui a lentiginibus, quibus ejus vultus erat obsessus, cognomen *τοῦ Φάκας* reperit, Anazarbo quidem ortum, sed tamen Antonii atque Cleopatrae temporibus viventem. Quod si verum esse largiamur Suidae: tunc viderit ipse, quomodo repugnantia componere, atque Dioscoridis vitam inde a Cleopatrae temporibus usque ad Nervae imperium producere possit. Talia vero condonanda sunt homini, qui omnia undiquaque corradebat, atque nulla, certe admodum exigua judicii vi adhibita, in suum referebat opus.

Cum igitur Dioscorides Anazarbaeus tempore Neronis vixisse videatur: Aretaei aetas in idem illud caedium crudelitate, rapinarum frequentia, libidinum foeditate, omniumque flagitiorum fecunditate insigne redditum imperium incidat necesse est: nisi forte libros *de medicamentis facile parabilibus* ab illo, qui *de materia medica* scripsit, auctore profectos esse negaverimus. Sed quae pro hac sententia ab aliis v. c. Jano Cornario, Lambecio etc. excogitata in medium protulit *Saracenus*, Dioscoridis commentator, ea et ipsi viro docto nimis levia videbantur, quam ut iis commotus illos *εὐποϱίστων* libros ab aliis Dioscoridis Anazarbaei scriptis sejungeret, et a Wigano novis argumentis ita sunt labefactata atque concussa, ut non

7) Ammian. Marcellin. XIV, 8.

possint non gravi corruere ruina. Etiamsi enim neque Erotianus, qui tamen suam Hippocraticarum vocum collectionem eidem Andromacho dicasse videtur, cui et sua εὐπόριστα inscripsit Dioscorides, neque Galenus horum librorum ullam faciat mentionem: tamen ex ejusmodi scriptorum, quamvis gravium alias locupletiumque testium silentio *), quod magnopere, et nimium urgent viri docti, quotusquisque genuinos aut fictos alicujus scriptoris libros comprobare studeat, is mihi injuste magis et cupide, quam accurate et aequiter judicare videtur. Quo accedit etiam, quamquam hoc non magnopere presserim, quod, quaecunque Oribasius atque Aetius, omnia fere sua ex aliorum scriptis haurientes, e Dioscoridis εὐποϱίστοις transscripsisse profitentur, ea in iisdem, quae sub ejus nomine nostro adhuc circumferuntur tempore, inveniuntur: nec uterque scriptor vel minimam prodidit suspicionem, opus illud spurium vel esse vel haberi. Denique in hocce de medicamentis facile parabilibus opere nihil occurrere, quo probari queat, illud aetati Dioscoridis penitus repugnare, Celeb. Ackermannus quidem l. c. p. 682. asseruit: at idem quoque concessit, quaedam illi libro inesse, quae eundem recentiorem Dioscoride nostro esse demonstrent. Huc refert voces, temporibus Dioscoridis nondum usitatas, et moschi commemorationem, qui tamen seriore demum aetate inter medicamenta relatus sit. Nescio equidem, quomodo posteriorem sententiam, occurrere nempe in hoc libro varia, quae Dioscoridis Anazar-

---

*) De hujus silentii ad rem, de qua agitur, probandam levitate egit Exp. *Ackermann.* in *Fabric. bibl. gr.* To. IV. p. 682. Pluribus tamen de eodem argumento disputavit *Wiganus* in *comm. de Aretaei aetate p.* 10. ed. Boerh. ostenditque, eundem Galenum Plinii, cujus tamen historia naturalis magnam partem e rebus medicis constet, et Erotiani, qui diligentem dederit vocum Hippocraticarum interpretationem, quamvis saepe ad verbum exscripserit, semel tantum meminisse, ipsumque illud opus, quod Dioscoridis saepius commemorandi occasionem praebere potuisset, non genuinum, sed suppositicium esse.

baei aetate nondum erant in usum recepta, cum priore, nihil in illo contineri, quod aetati Dioscoridis penitus repugnet, conciliare velimus, nisi ponamus, talia ab empiricis posterioris aevi, qui hoc Dioscoridis libro tanquam fonte, unde omnem medicinae practicae cognitionem haurirent, utebantur, esse adjecta. Quam quidem sententiam probabilem habebo, donec excussis codicibus et vetustioribus et melioris notae, quam ille Augustanus fuit, unde primus hunc Dioscoridis librum edidit *Jo. Moibanus*, extra omnem dubitationem positum fuerit, omnia illa loca controversa vere in Dioscoridis textis legi.

Jam autem hac relicta controversia ad priorem redeo litem, de Aretaei aetate probanda intentam, et, cum antea in eo occuparer, ut hunc scriptorem Nerone posteriorem non fuisse ostenderem, jam ex ipsis illius libris testimonia promam, unde illum nec Neronis imperium antecessisse demonstrare possim. Scilicet inter medicamenta, quibus adversus morborum impetus pugnandum esse Aretaeus contendit, commemorat et *φάρμακον διὰ θηρίων*, seu *διὰ ἐχιδνῶν*, et *διὰ βησασᾶ*, quod utrumque sub Neronis imperio inventum atque adhibitum in medicos usus fuit. Priori enim titulo insignitur notissima illa ab Andromacho, qui Neronis inter medicos principes princeps erat, inventa, atque versibus elegiacis ad imperatorem scripta theriaca, quos refert auctor illius, inter Galeni libros male relati, libelli: *περὶ θηριακῆς πρὸς Πίσωνα. Tom. II, p. m.* 460. et Galenus *περὶ ἀντιδότων libr. II. ibid. p.* 428. *seq.* Alterum vero medicamentum, quod linimentum erat, ad stomachi inflammationes leniendas olim in usus vocatum, a Galeno *περὶ συνθέσεως φαρμάκων τῶν κατὰ τόπους libr. VI. p. m.* 244. ipsis Andromachi, inventoris, verbis descriptum est, a qua compositionis formula recedunt eae, quas et Paul. Aegin. *libr.* 7. *c.* 14. *p.* 668. et Alex. Trallianus *libr.* 4. *c.* 1. *p.* 196. *ed. Stephan.* tradiderunt. Vocatum est a ruta silvestri, quae prin-

ceps erat ingrediens species, a Syris, teste Dioscoride *de mater. medic.* 3. 53. *p.* 195., besasa cognominata, cui quantas tribuerint veteres vires, Plinius *hist. natur. XX,* 14. *Tom. II. p.* 209. enarrat.

At vero, quid fiet [8]) loco illi, in quo laserpitii cyrenaici usus ad rigorem, nervorumque distentionem tollendam imperatur? Nam illud Plinius *libr. XIX,* 15. *Tom. II. p.* 428. *multis jam annis in ea terra non inveniri, quoniam publicani, qui pascua conducant, majus ita lucrum sentientes, depopulentur pecorum pabulo: et unum omnino sua repertum memoria caulem, ad Neronem principem missum esse,* memoriae tradidit. Videtur igitur Aretaeus eo claruisse tempore, quo copia illius medicamenti adhuc dabatur, adeoque ante Neronis imperium. — Quae quidem quamquam videntur aliqua veri specie sese commendare, tamen illam sententiam non subvertunt, quam, aliis viris doctis facem praeferentibus, de Aretaei aetate supra tuli. Ego enim multum absum, ut diffidam tamgravi scriptoris auctoritati, quae et a Strabone (*libro* XVII. *p. m.* 165.) magis adhuc firmatur, qui *Silphium* (Ferula asa foetida L.), e quo laserpitium *h. e.* lac serpes, (nam σίλφι, σίρφι, et σέρφι, monente Salmasio ad *Solini polyhist. c.* 29. unam eandemque significant herbam:) propemodum defecisse scribit, irruptione barbarorum aliquando facta, radicibusque fere omnibus odio coëmtis et extinctis. Sed poterat illa laserpitii cyrenaici raritas eo tantum valere, ut e ciborum condimentis exemtum medicis tantum usibus destinaretur. Quid? quod nec illo Plinii loco effici posse puto hoc, ut ejus tempore praeter oblatum Neroni caulem silphii nullum laserpitium Romae fuisse credatur. Etenim videtur tantum Plinius significare, congestas superioribus temporibus laserpitii copias cum sua aetate nullum amplius Romae ob publicanorum quaestus cupidinem importaretur, tanta

8) de *curat. morbor. acut. I,* 6. *p. m.* 86.

cum diligentia ac parsimonia esse conservatas, ejusque pretium exinde ita exarsisse, ut laserpitii frustula, argentei denarii pondus aequantia, ad eandem pecuniae summam venderentur. Ex his dictis explicandus alter Plinii locus *libr. XXII. c. 48. p. m. 248. e Syria nunc maxime importatur* sc. laserpitium, *parthico deterius, sed Medico melius, extincto omni cyrenaico.* Alias quidem vix videtur intelligi posse, quo tanta laserpitii vis pervenerit. Solus enim Caesar, teste Plinio l. c. ex aerario MD. ejus pondera cum auro argentoque protulit: quantum tandem illius, in futuros repositi usus, privatorum aedes non servarint! Certe suavitas ejus non tanta fuit, quae homines ita alliceret, ut illud in deliciis haberent, et in ejus usu extra oleas facile vagarentur. Aretaeus quidem *l. c.* ejus acrimoniam, foedumque, si ructibus redierit, saporem, melle involvendum suadet: *ἄριστον γὰρ ᾧδε* (sc. melle obtectum) *καταπιεῖν διδόναι, ὡς τὴν ὑπερῴην λάθοι παραλλάξας. δριμὺς γάρ, καὶ τὴν ἐρυγὴν ἀπηνὴς καὶ κάκοδμος ἐών·* in quo consentit Plinius *libr. XXII. c. 48. p.* 281. seu potius Dioscorides, e quo hausit sua Plinius, *III,* 94. *p.* 212. cum illud *in cibis aegre concoqui: inflationes facere et ructus: urinae quoque noxium esse adserit.* Quodsi tamen quis nec his motus sententiam suam adhuc mutare voluerit: illi et ego haec omnia liberaliter concesserim, Aretaei tamen aetate ultra Neronis imperium non promota. Etenim Aretaeus laserpitii cyrenaici meminit, non ut necessarii ad rigoris curam absolvendam, sed ut perquam utilis in hanc rem medicamenti, *εἰ εὐπορίη αὐτοῦ, si ejus copia haberi possit.* Plane ut Scribonius Largus *compos. medic. c. XVII. p. m.* 45. *medicamenta autem simplicia haec* (sc. anginae curationem) *faciunt: laser cyrenaicum,* si poterit inveniri: *sin minus, syriacum aqua dilutum.* Cf. *Walther* progr. de silphio in vett. numis ac diversis plantae speciebus Lips. 746. 4. *Reiske* opusc. med. ex monumentis Arabum et Ebraeor. Hal. 776. 8. p. 21.

Jam liceat unum adhuc attingere, quod ad aetatem Aretaei investigandam aliquo modo ducere videtur. Scilicet *de caus. et sign. morb. acut. II. c.* 11. tradit Aretaeus causam alti soporis, quam more veterum in carotidum arteriarum compressione ponit. Juvat ipsa auctoris verba audire: ἀπεπνίχθη κοτε ἡ ἄνθρωπος, τρόπον τὸν ἐπιληπτικὸν, ἄνευθεν σπασμῶν· ἐπιέζετο γὰρ ὠκέως στενοχωρίῃ ἧπαρ, διάφραγμα, πνεύμων, καρδίη. τοὔνεκεν ἀπνοίη ξυνεῖναι δοκέει, καὶ ἀφωνίη. ἀτὰρ καὶ αἱ καρωτίδες ξυμπαθίῃ τῆς καρδίης πιέζονται. διὰ τόδε καρηβαρίαι τε καὶ ἀναισθησίη ξύνεστι καὶ καινῷ κάρῳ, h. e. *mulier interdum epilepticorum more, sed absque nervorum distentionibus, suffocatur; angustiis enim jecur, septum transversum, pulmones, et ipsum cor celeriter opprimuntur: qua de causa spiritus interclusio cum vocis suppressione adesse videtur: praeterea arteriae carotides per consensum cum corde constringuntur: unde capitis gravitas et sensus privatio, cum novo quodam sopore sequitur.* In quibus verbis me dedisse ἀφωνίη, quod jam Wiganus conjecit, pro vulgato ἀτονίη, monuisse sufficiat. Vocis enim privatio inter perpetua suffocationis signa ab Aretaeo refertur: uti paulo post, ξὺν πνιγὶ καὶ ἀφωνίῃ, et *sect.* 3. πνὶξ καρτερὴ, ἀφωνίη, ἀναισθησίη: Rufusque Ephesius, loco infra laudando, inter casus a carotidum compressione oriundos, numerat non ἀτονίαν, sed ἀφωνίαν. Dein quoque saepius hae voces in scriptore hoc permutatae leguntur. Ita quidem in extremo hoc capite, expositis vulvae morbis, mulieribus tantum propriis, transit ad alia vitia, quae huic quoque parti accidere possunt, feminisque cum maribus communia sunt, inflammationem puta, et sanguinis profluvium: γίγνεται δὲ καὶ ξυνὰ πρὸς ἄνδρας πάθεα τῇ ὑστέρῃ, φλεγμονὴ, αἱμοῤῥαγίη. ξυνὰ δὲ καὶ τὰ παρεόντα σημεῖα, πυρετοὶ, ἀσφυξίη, ψύξις, ἀφωνίη, h. e. *porro quaedam huic parti mala incidunt, quae cum viris communia habet, sicut inflammatio, et sanguinis profluvium, cum illis etiam communes habet notas, febrem, pulsus defectum, frigus, suppressionem vo-*

cis: ubi ego quidem lubentius legerim, ἀτονίη: partium enim debilitas longe facilius sequi solet nimium sanguinis profluvium, quam vocis interclusio. Sed haec de his, quae critica sunt, *h. e.* sterilia, atque jejuna, quae lubentius statim relinquerem, nisi me ultima prioris loci verba retinerent, καινῷ κάρῳ, quae medicinam adhuc exposcunt. Legerim igitur cum Mattairio, καὶ νῷ κάρος h. e. *animusque veluti sopore profundo opprimitur.* Ab illa vero Aretaei sententia, qua carotidum compressione effici contendit illam somnolentiae formam, quam κάρον Graeci vocant, recedit Rufus Ephesius [9]), Trajani imperatoris temporibus clarus medicus, qui *de part. corp. hum. cognom. libr. I. c.* 34. loco in eandem rem jam a Wigano *p. m.* 491. allato, haec habet: καρωτίδας δὲ τὰς διὰ τοῦ τραχήλου κοίλας ὠνόμαζον πάλαι, ὅτι πιεζόντων καρώδεις καὶ ἄφωνοι ἐγίνοντο. ὤφθη δὲ νῦν τὸ πάθημα οὐ τῶν ἀρτηριῶν, ἀλλὰ νεύρων αἰσθητικῶν πεφυκότων πλησίον, h. e. *cavas autem per collum subeuntes, carotidas antiqui nominarunt, quoniam compressae hominem sopore gravabant, vocemque adimebant. Ceterum nostro seculo non arteriarum, sed nervorum sensoriorum prope jacentium id vitium esse compertum est.* Quod-

---

9) Testis in hanc rem, quantum equidem scio, solus SUIDAS. Fuit vero medicus haud ignobilis, qui multa quoque scripsit. Ad nostra inde tempora pervenit opus *de partium corporis humani cognominatione*, e quo, ut hoc h. l. interseram, multa hausit Pollux, Commodo imperatore clarus, atque in suum transtulit onomasticum: *de medicamentis purgantibus*, unde hausta esse videntur plurima, ab Oribasio e Rufi scriptis laudata: *de vesicae renumque adfectibus.* Contra ea interierunt *libri IV. de herbis*, carmine heroico compositi, teste GALENO *de simpl. medic. facult. libr.* 4. *init. Tom. II, p.* 68. libri *de curationibus morborum*, laudati ab eodem Galeno, *l. c.* ad quos pertinere videtur partim illud περὶ μελαγχολίας opusculum, a Galeno περὶ μελαγχολίας *Tom. IV, p.* 357. *lin.* 54. inter optima, de hoc morbo exponentia, scripta relatum, et a Constantino Africano, italico undecimi seculi medico, in libro *de melancholia*, ita citatum, quasi ex illo, tunc temporis adhuc superstite, omnia hauriret sua: partim illud fragmentum, quod ab Oribasio *collect. medicin. VI. c.* 38. servatum est, de commodis ex usu coitus opportuno atque moderato in sanitatem redundantibus.

si ergo Aretaeus aut Rufi aetate, aut post illum vixisset, haud dubie erat commemoraturus hanc novam causarum, κάρον efficientium, explicationem, praesertim cum et eadem fere utrique patria esset, Asiam puta minorem, et Rufi scripta magno honore foverentur. Quamquam vero hoc Aretaei de illa sententia silentium non inter certissimas retulerim notas, unde conjectura duci possimus ad illius aetatem constituendam: tamen non omnino negligendum esse videbatur, praesertim aliis praemissis, iisque gravioribus in hanc rem argumentis.

Poteram illud denique observare, magnam esse conspirationem inter Aretaei scripta, Archigenisque, et utraque interdum nulla re alia differre, quam orationis genere. Sed ut taceam, illam similitudinem jam a Wigano esse observatam, prudenterque suo, Aretaei aetatem definiendi, consilio accommodatam: consilium quoque meum, specimen exhibendi novae editionis Aretaei, effecit, ut ea omnia intacta relinquerem. En igitur illum sermonem de syncope, (*libr. II. de caus. et sign. morb. acut. c.* 3.) non quod hunc reliquis praestare putarem, sed quoniam, quidquid tandem excerperem, Aretaei merita apud intelligentes harum rerum arbitros firmaturum esse, intelligebam.

Κεφ. γ.
Περὶ Ξυγκοπῆς.

1. Εὖγε ὅλως ὁ ἰητρὸς, ἠδὲ ὁ δημότης, εὖγε ἐπικλήσιος τοῦδε τοῦ πάθεος, * * * ὠκυφόνου κακοῦ ἐστὶ οὔνομα.[1] τί μὲν γὰρ μέζον, ἢ ὠκύτερον ξυγκοπῆς δυνάμιος; τί δὲ οὔνομα ἕτερον ἐς ἐπίκλησιν τοῦδε τοῦ πρήγματος μᾶλλον

Cap. III.
De Syncope.

Recte medicus atque vulgus; recte plane hunc adfectum nominarunt: etenim nomen mali est, quod celerrime occidit. Ecquid enim *syncopes* vi majus celeriusve est? ecquodnam aliud nomen hujusce rei possit esse significantius? Quaenam vero pars magis,

---

1) Locus vario modo vitiatus. Nam videntur verba ὁ ἰητρὸς ἠδὲ ὁ δημότης non habere, quo commode referantur. Siquis enim subintelligere velit οὐ, atque allata verba explicationis causa, quisnam sub illo οὐ intelligi debeat, adjecta esse contenderit, vereor, ne haec difficultatis tollendae ratio nimium dura sit, et ab Aretaei stylo prorsus aliena. Fortasse melius anacoluthon statuitur, ita, ut, cum Aretaeus ab initio scribere vellet εὖγε ὅλως ὁ ἰητρὸς ἢ δημότις scil. ἐπεκάλησε τόδε τὸ πάθος, subito mutaverit consilium, atque scripserit εὖγε τῆς ἐπικλήσιος τοῦδε τοῦ πάθεος. Qui Lucianum (Dialog. Deor. 23. To. I. p. 274. ed. Reiz.) εὖγε ἐκείνη ποιοῦσα, in auxilium vocant, ut probent, εὖγε etiam cum nominativo construi posse, ii, ubi Luciani et Aretaei loca invicem comparaverint, invenient magnam inter utrumque intercedere differentiam. Nam in Luciano ἐστὶ suppleri tantummodo debet, hoc sensu: *et recte quidem illa hoc fecit.* In Aretaeo prorsus alia orationis ratio. — Post τοῦ πάθεος deesse aliquid Petitus contendit, v. c. ἡ γὰρ ξυγκοπή. — Denique praeter Mattair. et Fabric. in omnibus Aretaei codicibus, quibus et bibl. Paul. Lipsiens. addo, nec non in omnibus editt., quae Wiganianam antecesserunt, ὦ κύφων οὐ legitur, pro quo lectionis monstro Wiganus recte secutus codd. Matt. et Fabr. ὠκυφόνου recepit. Sed nec sic integritas loci videtur penitus restituta esse. Nam primo post ὠκυφόνου addi γὰρ omnino necessarium erat; dein tautologia in scriptore, summae brevitatis amantissimo, vix toleranda, pessime me habet: ὠκυφόνου κακοῦ, et τί μὲν γὰρ μέζον ἢ ὠκύτερον ξυγκοπῆς δυνάμιος; Quam ob rem cum ratio aptae morbi denominationis optime reddatur verbis: τὶ μὲν γὰρ μέζον etc. mihi ὠκυφόνου κακοῦ ἐστι οὔνομα glossema esse videntur. Reiskius, cujus ineditas in Aretaeum conjecturas possideo, initium capitis sic legit: Εὔβουλος ὁ ἰητρὸς ἠδὲ δημότης ἐγέλα τὴν ἐπίκλησιν τ. τ. π.

εὔσημον; τί δὲ καρδίης ἄλλο καιριώτερον ἐς ζωὴν, ἢ ἐς θάνατον; οὐδὲ τὴν ξυγκοπὴν ἄπιστον τῆς καρδίης νοῦσον ἔμμεναι, ἢ αὐτὴν σίνος τῆς ἐν αὐτέῃ τοῦ ζῆν δυνάμιος. τόσον τε [2]) τάχος τοῦ ὀλέθρου, τοιήδε καὶ ἰδέη. ἔστι γὰρ τὸ πάθος λύσις τῶν δεσμῶν τῆς *) ἐς ζωὴν δυνάμιος, ἀντίξουν τῇ ξυστάσει τοῦ ἀνθρώπου ἐόν. τῆς δὲ γὰρ ἀπρὶξ λαβόμενον, οὐ μεθίησι, ἀλλ᾽ ἐς διάλυσιν τρέπει. καὶ οὐ μέγα τό θωῦμα. καὶ γὰρ καὶ ἕτερα πάθεα ἴδια καὶ ἐπίκαιρά τινων μερέων ἐστὶ, οἷσί περ [3]) ἐμφύνει, καὶ τουτέων ἐξάπτεται· βουβῶνες μὲν οἱ λοιμώδεες ἥπατος [4]), καὶ σφόδρα κακοήθεες, ἐξ ἄλλου δὲ γίγνονται οὐδενός· νεύρων δὲ πέτανος, ἐπιληψίη δὲ κεφαλῆς. ὧδε οὖν καὶ ἡ ξυγκοπὴ καρδίης ἐστι καὶ ζωῆς νοῦσος. 2. ὁκόσοι δὲ στομάχου ἡγέονται τὸ πάθος ἔμμεναι, οὕνεκα σιτίοισί τε καὶ οἴνῳ, μετεξετέροισι δὲ καὶ ψυχρῷ, ἡ δύναμις ἐστάθη [5]), καὶ τὸ κακὸν ἐξελάθη, οἵδε μοι δοκέουσι καὶ τὴν φρενῖτιν τριχῶν τῆς κεφαλῆς καὶ τοῦ δέρματος νοῦσον ἡγέεσθαι, οὕνεκεν κουρῇ καὶ τέγξι αὐτέων ῥηΐζουσι οἱ φρενιτικοί. ἀλλὰ γὰρ τῆς καρδίης γειτόνημα καίριόν ἐστι ὁ στόμαχος, ἐξ οὗπερ ἕλκει ἡ καρδίη οἰκεῖον, ἢ ἀξύμφορον. καὶ γὰρ καὶ διὰ πνεύμονος ἕλκει πνεῦμα ἐς ἀναπνοὴν ἡ καρδίη, ἀλλ᾽ οὐχὶ πνεύμων ἐξ ἴσης ἀρχῆς ἀναπνέει. οὐ γὰρ ἐν τοῖσι ὀργάνοισι αἱ δυνάμιες, ἀλλ᾽ ἡ ἔνθα ἀρχὴ ζωῆς ἦν καὶ ἰσχύος. στόμαχος δὲ οὔτε

---

2) An δὲ potius?

3) Codd. Harlei. August. οἷσι παρεμφύνη. Goupyl. et Henisch. v. l. παρεμφήνη, Fabric. οἷσί περ ἐμφύησι, cod. Paris. 2. ἐμφύνει, idque placet Mattairio. Sic II, 8, 2.

4) Sic quidem omnes codd. constanter, sed falso tamen. Wigan. inde ἥβης conjicit, quoniam bubones in pube, in hepate vero nunquam oriuntur. Rufus Ephes. *de part. c. h. adpellat.* 24. βουβῶνες δὲ τὰ ἔμπροσθεν τῶν μηρῶν τὰ παρὰ τὴν ἥβην. Reisk.

νεύρων δὲ τέτανος.] Accipitur hic τέτανος in genere pro convulsione qualibet, non de ea praecipue, qua recta et immobilis intenditur cervix. Superius vero *libr. I. c.* 6. non nervorum solum, sed et musculorum, eorumque maxillae inferioris praecipue, adfectum esse scripserat auctor. *Petit.*

ζωῆς νοῦσος.] *h. e.* morbus vim vitalem adfligens. Sic ζωὴ paulo post quoque accipienda in verbis, στόμαχος οὔτε ἀρχὴ οὔτε χωρίον ζωῆς. Inde etiam derivat nomen *Cael. Aurel.* acut. morb. libr. II. c. 30. ita ut notet, alios aliter sentire.

quam cor ad vitam mortemque confert? Neque enim *syncopen* adfectum cordis esse incredibile videtur, aut vitalis in eo facultatis detrimentum: tanta mortis est celeritas, talisque species. Hic quippe morbus vinculorum quaedam dissolutio est, quibus facultas continetur vitalis: et humanae constitutioni plane adversarius: nam cum eam tenaciter adripuerit, non dimittit, quoad hominem dissolverit. Quid mirum? siquidem alii graves adfectus certis quibusdam partibus, quibus innascuntur, proprii sunt, easque solas attingunt: *bubones* pestiferi, iique pessimi moris, e jecinore, neque ex alia quavis parte, oriuntur: nervis *tetanus* est proprius: *epilepsia* capiti: ita *syncope* cordis vitaeque morbus est. 2. Quicunque vero hunc stomachi adfectum existimant, quia cibo vinoque, quibusdam etiam frigida vires auctae, malumque sit depulsum, mihi quidem eodem jure *phrenitidem* morbum esse capillorum cutisque capitis videntur arbitrari posse, quia detondendis perfundendisque crinibus relevantur phrenitici. Verum enim vero stomachi vicinia cordis plurimum interest, quippe e quo cor tam utilia, quam noxia sibi attrahat. Siquidem aërem etiam per pulmones, respirationis gratia, cor adducit, neque tamen ex aequo principio pulmones spirandi facultate potiuntur. Etenim haud instrumentis inest vis, sed illic, ubi vitae atque roboris principium est. Porro stomachus nec vitae principium est, nec sedes. Potest quidem fieri,

---

vocem ἥπατος quidem pro corrupta habet, sed quomodo emendari debeat, nescit.

5) Codd. Vatic. August. ἐστάθη, id quod et Wigano placet. Vulgata in cod. Harlei. Reisk. ἐνετάθη.

*) Reisk. inserit ἀναγκαίης.

οὐ γὰρ ἐν ὀργάνοισι αἴδε.] Sensus est hic: *non in ipsis organis sunt vires agendi suaque munia obeundi:* (id enim sibi vult δύναμις) *sed illa vis motrix debet a vitae fonte* i. e. corde *accedere.* Quam in sententiam delabebantur veteres, cum viderent morte *i. e.* quiete cordis, omnia instrumenta s. organa ab illa peractione munerum suorum abstinere. Legantur omnino ea, quae Senacus scripsit de hoc syncopes morbo *traité de la structure du coeur — et de ses maladies Tom. II. p.* 564 *seqq.*

ἀρχὴ, οὔτε χωρίον ζωῆς. Βλαβήσεται δέ τις διὰ ἀτονίην· καὶ γὰρ καὶ τὰ καρδιοβόλα βρώματα οὐ τὸν στόμαχον σινεται, ἀλλὰ δι' αὐτέου τὴν καρδίην· ἐπεὶ καὶ οἱ ἐπὶ τοῖςδε θνήσκοντες σημεῖα ἴσχουσι καρδίης πάθεος, σφυγμοὺς μικροὺς, ἀδρανέας, πάταγον τῆς καρδίης ἐπὶ πηδήσι καρτερῇ· σκοτόδινος, λειποθυμίη, νάρκη, καὶ παρέσιες μελέων, ἱδρὼς ἄσχετος πουλὺς, ψύξις ὅλου, ἀναισθησίη, ἀφωνίη. 3. Ποῦ δὴ τὸν στόμαχον πάσχειν τάδε; ἅττα γὰρ αὐτέου ἴδια, ναυτίη, ἔμετος, ἀποσιτίη, λύγξ, ἐρεύξιες, ὀξυρεγμίη. Ἐπὶ δὲ τοῖσι *) καρδιώσσουσι, καὶ αἰσθήσι [6]) ὀξύτεροι, ὡς ἰδεῖν καὶ ἀκοῦσαι μᾶλλον ἢ πρόσθεν· καὶ γνώμῃ εὐσταθέστεροι, καὶ ψυχῇ καθαρώτεροι· καὶ τάδε οὐκ ἐς τὰ παρεόντα μοῦνον, καὶ [7]) ἐς τὰ μέλλοντα μάντιες ἀτρεκέες. Μὴ οὖν καὶ αἵδε στομάχου αἱ δυνάμιες, ἀλλὰ καρδίης, ἔνθα καὶ ἡ ψυχὴ, καὶ ἡ φύσις αὐτέης, ἐς ἣν καὶ τὸ πάθος ᾗ τῶν τῇδε δυνάμεων.

Ἐστὶ δὲ τῆςδε τῆς νούσου ἰδέη [8]) ἔκλυσις τοῦ τόνου τῆς φύσιος, ἐπ' αἰτίῃ ψύξι καὶ ὑγρότητι. καὶ γὰρ ἄθερμοι καὶ τὰ εἴσω, καὶ τὰ ἔξω, καὶ ἄδιψοι· καὶ ψυχρὸν ἀναπνέουσι, κὴν ἐκ μεγάλων καὶ καυσωδέων ἐστὶ πυρετῶν, ἐξ ὅνπερ ἐξάπτεται ἡ ξυγκοπή. Εὖτε μὲν γὰρ καὶ ἔῤῥωται ἡ φύσις, καὶ ἔστιν εὔκρατος, πάντων μὲν κρατέει, πᾶσι δὲ σημαίνει, καὶ ὑγρῷ, καὶ πνεύματι, καὶ στερεοῖσι, καὶ τῇ τούτων εὐταξίῃ καὶ ξυμμετρίῃ ἐς ζωὴν διέπει τὸν ἄνθρωπον. Ἢν δὲ τῆς φύσιος ὁ δεσμὸς, τουτέστι ὁ τόνος, λυθῇ, τότε γίγνεται τὸ πάθος. Κατάρχει δὲ αὐτέου Καῦσος, ὅς ἐστι τοιόσδε.

---

*) Reisk. inser. οἱ.

6) Soloecum videtur Petito. Hinc emendat e cod. suo *αἴσθησις ὀξυτέρη*, cui lectioni fere accedit cod. Harlei, qui *εὐσταθέρῃ* et *καθαρωτέρῃ* exhibet. Et sane facilior tunc foret dictio. Sed nec vulgata absurda. Nam *ἐπὶ καρδιώσσουσι* denotat: *quod attinet.*

7) Wiganus *ἀλλὰ καὶ* legendum esse conjecit: et sic quoque Reiskius. Sed non opus est conjectura. Solet enim in illo *οὐ μόνον — ἀλλὰ καὶ* saepe alterutrum, aut *μόνον*, aut *ἀλλὰ* omitti.

8) Non poteram mihi temperare, quin hunc corruptum locum *Ἔστι δ' ἧς τῆς νόσου ἥδε ἡ ἰ.* cum Wig. et Reiskio ex Aretaei loquendi consuetudine emendarem, emendationemque statim in

ἔνθα καὶ ἡ ψυχή] Eadem de cordis facultate Archigenis sententia est, quam impugnat Galen. *d. loc. adfect. I. c.* 1. Veterum autem opiniones de loco in cardiacis patiente adducit Cael. Aurel. acut. morb. II. 34. discriminis vero notas inter animi defectionem e stomacho et adfectum cordiacum exponit c. 35. *Wigan.*

ut per imbecillitatem ejus quisquam laedatur: quemadmodum cibi, qui cordi noxii sunt, non stomacho ipsi, sed per eum cordi officiunt, siquidem qui ex his intereunt, cordis adfecti notas habent, pulsum exiguum, imbecillem, cordis palpitationem cum subsultu vehementi: accedit vertigo, animae defectus, membrorum torpor ac resolutio, ingens neque cohibendus sudor, totius corporis frigus, sensus vocisque privatio. Haeccine vero stomachus patiatur? huic quidem adfectus proprii sunt nausea, vomitus, cibi fastidium, singultus, eructatio, et ea nonnunquam acida. Ii vero, qui corde laborant, sensus habent etiam acutiores, ita, ut melius, quam antea, et audiant, et videant: mente quoque constantiori puriorique animo praediti sunt, idque non modo in praesentibus negotiis, sed etiam ut futura verissime declarent. Hae certe non stomachi, sed cordis facultates sunt, ubi et anima et natura ejus locatur, ubi etiam eaedem facultates morbo adficiuntur. Ceterum hic adfectus virium naturae dissolutio est, ejusque causa frigiditas cum humiditate: nam et intra et extra calore vacant, neque sitiunt, et frigidum emittunt spiritum, magnis licet et ardentibus adflictati fuerint febribus, a quibus succenditur *Syncope*. Nam cum natura valens et recte temperata est, omnibus dominatur atque imperat, et humoribus et spiritui, et solidis partibus, perque convenientem horum ordinem et modum vitam hominis administrat: at si naturae vinculum i. e. vis soluta fuerit, tunc adfectus iste nascitur. Huic initium praebet *causus*, (sive *febris ardens*) qui hujusmodi est.

---

texta reciperem. Sic enim 3. 3. *σκοτώματος δὲ ἡ ἰδέη, βάρος* etc. Poterat tamen et articulus *ἡ* abesse, uti Wigan. conjecit, uti locutus est Aret. 2. 12, 1. *ἔστι δὲ πάθος ἰδέη ὄρθια ἀνίσχοντος τὰ αἰδοῖα.* Petit. *ἧς τῆς νούσου*, utpote superflua, deleri jubet. Triller. quoque probat Wigani emendationem, ita tamen, ut pro *ἰδέη* et *ἦθος* legi posse moneat. In verbis proxime praecedentibus Reisk. verba *ἢ τῶν τῇδε δυν.* emendat in *ἴῃ τῶνδε δυν.*

πᾶσι δὲ σημαίνει] Ex Iliad. *ά.* vs. 288. *πάντων μὲν κρατέειν ἐθέλει — — πᾶσι δὲ σημαίνειν.*

Κεφ. δ'.
ΠΕΡΙ ΚΑΥΣΩΝ.

1. Πῦρ μὲν πάντη, καὶ δριμὺ, καὶ λεπτὸν, μάλιστα δὲ τὰ εἴσω· ἀναπνοὴ θερμὴ, ὡς ἐκ πυρός· ἠέρος ὁλκὴ μεγάλη· ψυχροῦ ἐπιθυμίη· γλώσσης ξηρότης· αὐασμὸς χειλέων, καὶ δέρματος· ἄκρεα ψυχρά· οὖρα χολόβαφα κατακορέως· ἀγρυπνίη· σφυγμοὶ πυκνοὶ, σμικροὶ, ἔκλυτοι· ὀφθαλμοὶ ἐυαγέες, λαμπροὶ, ὑπέρυθροι· προσώπου[1]) ἐυχροίη.

Ἢν δὲ ἐπὶ μᾶλλον αὔξῃ τὸ πάθος, μέζω τὰ πάντα καὶ κακίω. σφυγμοὶ σμικρότατοι καὶ πυκνότατοι· πῦρ ξηρότατον, καὶ δριμύτατον· γνώμη παράφορος, πάντων ἀγνωσίη· διψώδεες· ψαῦσαι ψυχροῦ*) ἐπιθυμίη, τοίχου, ἐσθῆτος, ἐδάφεος, ὑγροῦ. χεῖρες ψυχραὶ, θέναρα θερμότατα· ὄνυχες πελιδνοί· ἀναπνοὴ πυκινή· νοτὶς περὶ μέτωπα, καὶ κληΐδας.

Ἢν δὲ ἐς ἄκρον ξηρότητος καὶ θερμασίης ἥκῃ ἡ φύσις, τὸ μὲν θερμὸν ἐς ψυχρὸν, ὁ δὲ αὐχμὸς ἐς ἐπομβρίην τρέπεται. αἱ γὰρ τῶν πρηγμάτων ἐς τὸ ἔσχατον ἐπιτάσιες ἐς τὴν ἐναντίην[2]) μεταβάλλουσι ἰδέην. 2. Ἐπὴν οὖν λυθῇ τῆς φύσιος τὰ δεσμὰ, τόδε ἐστὶ ἡ Ξυγκοπὴ, τότε ἄσχετος ἱδρὼς πάντη τοῦ σώματος· ἀναπνοὴ ψυχρή· ἀτμὸς ἀνὰ[3]) ῥῖνας πουλύς· ἄδιψοι, ἐξήρανται γὰρ[4]) τ᾽ ἄλλα· ἀτὰρ καὶ τὰ

1) Wigan. conjec. ἀχροίη. Sic in venae cavae morbo, causi specie, II, 8, 3. προσώπου ἐρύθημα ξὺν ἀχροίῃ.

*) Cum paulo post repetatur idem, videtur ἐπιθυμίη mutandum esse in ἐπιθυμίῃ, aëris profunda inspiratio ob frigoris desiderium.

2) Cod. Aug. μεταβαίνουσι. Vulgatam reliqui codd. habent.

3) Petit. conjic. ἀνὰ ῥινὸν, *per cutem.* Sed minus apte. Cons. not.

4) Nescit Wigan., quid τ᾽ ἄλλα sibi velit. Triller. τῇ ἀλέᾳ emendat, h. e. *aestu.* Melius ἀλέῃ. Verba uncinis inclusa videntur mihi glossema esse.

νοτὶς περὶ μέτωπα] Ejusmodi sudores, qui circa collum aut faciem tantum leviter et parce moventur, κεγχροειδέες Hippocrati *prognost. I, 2, 25.* dicuntur, malique ominis esse pronuntiantur *de vict. acut.* **Petit.**

ἐς ἐπομβρίην τρέπεται] Nescio, quid sibi Petitus cum suo hydrope velit, qui per ἐπομβρίην intelligendus sit: Nam etiamsi respexerit Aretaeus ad verba Heracliti apud Diogen. Laërt. (libr. IX. segm. 3.), qui cum ob incongruum victum in hydropem incidisset, a medicis in consilium adhibitis aenigmatice quaerebat: εἰ δύναιντο ἐξ ἐπομβρίας αὐχμὸν ποιῆσαι, hoc tamen indubitatum est, ἐπομβρίην h. l. nihil aliud denotare, quam humiditatem, qua cutis per lenem

Caput IV.
De causis sive febribus ardentibus.

Fervor ubique acer atque tenuis, in interioribus praesertim partibus: spiritus, velut ex igne, torridus: ingens aëris adductio, ejusdemque frigidi desiderium: linguae, itemque labiorum et cutis siccitas: extremae partes frigent: urina bile saturata: vigiliae: pulsus creber, exiguus, languidus: oculi lucentes, splendidi, subrubri: bonus faciei color. Quodsi malum increscat, majora et pejora fiunt omnia; pulsus minimus et creberrimus: calor siccissimus et acerrimus: mens desipit: omnium rerum ignari sunt: siticulosi: omnia frigida attrectare cupiunt, parietem, vestem, pavimentum, humorem: manus frigent, sed earum palmae vehementer incalescunt: ungues lividi: respiratio frequens: roscidus quidam humor circa frontem et jugula. At si ad ultimam ariditatem et calorem pervenerit natura, calor in frigus, siccitasque in humiditatem convertitur, quoniam extrema rerum incrementa in contrarium statum solent transire. Itàque cum soluta fuerint naturae vincula, haec est *syncope:* tum per universum corpus non supprimendus sudor erumpit: respiratio frigida: plurimus circa nares vapor: siti

---

perspirationem perfunditur. Id enim ex oppositione clarum est, et verbis sequentibus *αἱ γὰρ τῶν πρηγμάτων ἐς τὸ ἔσχατον ἐπιτάσιες — ἰδέην·* Fortasse respexit ad Hippocr. *aphor.* III. 15.

αἱ γὰρ τῶν πρηγμ. etc.] Servius ad Virgil. Georg. I, 90. *Uno sermone duo diversa concludit, quae tamen unum effectum habent. Nam et frigus est caloris initium, et summus calor frigoris principium.* Hippocr. *aph.* I. 3. *αἱ ἐπ᾽ ἄκρον ἐυεξίαι σφαλεραί.* **Petit.**

ἀνοπνοὴ ψυχρή] Hanc frigidam exspirationem funestam pronuntiat Hippocr. *prognost.* I. 38 *ψυχρὸν ἀναπνεόμενον ἐκ τῶν ῥινῶν καὶ τοῦ στόματος ὀλέθριον κάρτα ἤδη γίνεται.* Hinc *ἀτμὸς ἀνὰ ῥῖνας* Petito displicet, quoniam *ἀτμὸς* sit vapor calidus. Sed conjectura, ab illo proposita, multo majoribus difficultatibus laborat, et vere tautologica efficitur exinde oratio. Quomodo Aretaeus sit intelligendus, ex Hipp. *epid.* VI. p. 1181. a Petito allato discimus: *σημεῖα θανατώδεα, ἀνὰ δέρμα, ῥῖνα θερμὸς ἀτμός· πρότερον δὲ ῥὶσ ψυχρὸν πνεῦμα ἀφίησιν.*

ἄλλα διψαλέα ὄργανα, στόμα, στόμαχος· οὖρα λεπτὰ, ὑδατώδεα· κοιλίη τὰ πολλὰ μὲν ξηρὴ, ἔστι δὲ οἷσι ὑποφέρει βραχέα, χολώδεα· πουλὺς πλάδος· διαῤῥέει δὲ καὶ τὰ ὀστέα λυόμενα, καὶ ἀπὸ πάντων, ὡς ἐν ποταμῷ, ἐς τὰ ἔξω ἡ φορή. (Ψυχῆς κατάστασις·) αἴσθησις σύμπασα καθαρή· διάνοια λεπτὴ, γνώμη μαντική. προγιγνώσκουσι μὲν οὖν πρώτιστα μὲν ὡυτέοισι τοῦ βίου τὴν μεταλλαγὴν, ἔπειτα τοῖσι παρεοῦσι προλέγουσι τὰ αὖθις ἐσόμενα. οἱ δὲ αὐτέους μὲν ἔσθ᾽ ὅτε καὶ [5]) ἀλλοφάσσειν δοκέουσι, τῇ ἀποβάσι δὲ τῶν εἰρημένων θωυμάζουσι ὤνθρωποι. Μετεξέτεροι δὲ καὶ προςλαλέουσι τῶν κατοιχομένων τισὶ, τάχα μὲν παρεόντας ὁρεῦντες αὐτοὶ μοῦνοι ὑπὸ λεπτῆς καὶ καθαρῆς αἰσθήσιος, τάχα δ᾽ [6]) αὐτοῦ τῆς ψυχῆς προγιγνωσκούσης καὶ διηγευμένης τοὺς ἄνδρας οἷσι ξυνέσονται. Πρόσθεν μὲν γὰρ ἐν [7]) ἰλύϊ τοῖσιν ὑγροῖσιν ἔην καὶ ζόφῳ· ἐπεὶ δὲ τάδε ἐξήντλησε ἡ νοῦσος καὶ ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν τὴν ἀχλὺν ἕλεν, [8]) ὁρέουσι τά τε ἐν τῷ ἠέρι, καὶ γυμνῇ τῇ ψυχῇ γίγνονται μάντιες ἀτρεκέες. οἱ δὲ ἐς

---

5) Sic edidi e Fabric. libro; sic et conjecit Petit. et Wigan. Reisk. ἄλλο καὶ ἄλλο φάναι.

6) αὐτῶν Petit suspicabatur legend. esse. Haud dubie vere. Bernard. ad Theoph. Non. to. I. p. 38. conj. αὐτοὺς sc. κατοιχομένους. Reisk. autem αὐτοῦ in ἂν vel ἄν mutat.

7) Corrupta haud dubie. Rem ex parte videtur tetigisse Petitus: ἐν ἰλυώδεσι ὑγροῖσι. Bernard in vita Reiskii p. 269. τοῖσιν ὑγροῖσιν pro glossemate habet. Legend. igitur ἐν ἰλυώδεσι ἔην καὶ ζώφῳ.

8) Edidi e libro Fabric. ὁρέουσι pro vulg. ἐρέουσι. Idem conjecerant Petit. et Wigan. Forte autem melius Reiskius: ἐρέσσουσιν ἅτε.

γνώμη μαντική] Egregius in hanc rem est Ciceronis locus (*de divin.* I. c. 30.) *Viget et vivit animus. Quod multo magis faciet post mortem, cum omnino corpore excesserit: itaque, appropinquante morte multo est divinior. Nam et id ipsum vident, qui sunt morbo gravi et mortifero adfecti, instare mortem. Itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum. — — Divinare autem morientes, etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo adfert Rhodium quendam morientem sex aequales nominasse, et dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinde, qui deinceps moriturus esset.* Rationem hujus virtutis divinatricis reddere conatur Hippocrates *de insomn.* init. p. 375. ὁκόταν τὸ σῶμα ἡσυχάσῃ, ἡ ψυχὴ κινευμένη καὶ ἐξέρπουσα τὰ μέρη τοῦ σώματος διοικεῖ τὴν ἑαυτῆς οἶκον. *Petit.*

ardent. Etenim tum omnes aliae partes, tum praecipue ipsa sitis instrumenta, os scilicet et stomachus, exaruerunt; urina tenuis, aquosa: alvus plerumque sicca est, sed quibusdam pauca, biliosa excernit; multus redundat humor: quin etiam ossa dissolvuntur atque diffluunt: ex omni parte, sicut in flumine, extra fit effusio. Animus constans rursus efficitur: puri sensus omnes: ingenium subtile: mens vatidica; quo fit, ut inprimis vitae suae finem adesse praesentiant; dein adstantibus futura praedicant; sunt quidem nonnulli, qui eos aliena loqui arbitrentur, sed cum praedicta evenerint, homines admiratione obstupescunt. Alii cum quibusdam defunctis etiam colloquuntur, quos praesentes ipsi fortasse soli prae tenui puroque sensu adspiciunt: aut forte ipsorum animo viros, quibuscum versaturi sunt, praenoscente atque declarante. Is quippe antea erat in humorum illuvie et caligine demersus: postquam autem ista morbus exhauserit, tenebrasque ab oculis dispulerit, quae gerantur in aëre, enarrant, mentemque quasi nudam habentes veracissimi vates evadunt. Quicunque vero ad istam humo-

---

ἀλλοφάσσειν δοκέουσι] **Hippocr.** *prognost.* **III. p. 44.** de hisce signis lethalibus in morbis acutis: *οἱ δὲ ἀπολλύμενοι δύσπνοοι γίνονται, ἀλλοφάσσοντες, ἀγρυπνέοντες, τάτε ἄλλα σημεῖα κάκιστα ἔχοντες.* Celsus III. 18. *Illud ante ómnia scire oportet, interdum in accessione aegros desipere et loqui aliena.* ***Petit.***

ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἀχλὺν ἕλε] **Ex Homeri Iliad.** *έ* **127.** *ἀχλὺν δ᾽ αὖ τοι ἀπ᾽ ὀφθαλμῶν ἕλον. Virg. Aen.* **II. 604.** *Namque omnem, quae nunc obducta tuenti Mortales hebetat visus tibi, et humida circum Caligat, nubem eripiam.* ***Petit.***

ἐν τῷ ἠέρι] **Quo haec pertineant, docet Aristot.** *de mundo. Διὸ καὶ τῶν παλαιῶν εἰπεῖν τινες προήχθησαν, ὅτι ταῦτά ἐστι πάντα θεῶν πλέα τε καὶ δι᾽ ὀφθαλμῶν ἰνδαλλόμενα ἡμῖν, καὶ δι᾽ ἀκοῆς, καὶ τῆς πάσης αἰσθήσεως.* Ejusdem sententiae fuit Pythagoras apud Diogen. Laert. Lib. VIII. 34. *εἶναί τε πάντα τὸν ἀέρα ψυχῶν ἔμπλεων.* et Posidonius apud Cicer. *de divin.* 1. c. *Plenus est aër immortalium animorum, in quibus tanquam insignitae notae veritatis adpareant.* ***Petit.***

τοσόνδε λεπτότητος ὑγρῶν καὶ τῆς γνώμης ἀφιγμένοι οὐ μάλα τοι περιγίγνονται, ἐξηρωμένης ἤδη τῆς ζωτικῆς δυνάμιος.

Κεφ. έ.

ΠΕΡΙ ΧΟΛΕΡΗΣ.

1. Ἡ χολέρη παλίνορσός ἐστι φορὴ τῆς ὕλης τῆς ἐν τῷ παντὶ ἐς τὸν στόμαχον, καὶ τὴν κοιλίην, καὶ τὰ ἔντερα· ὀξύτατον κακόν. Διεκθέει δὲ ὕπερθεν μὲν ἐς ἔμετον τὰ ἐν τῷ στομάχῳ ἀλιζόμενα. διὰ δὲ τῆς κάτω διεξόδου τὰ ἐν τῇ κοιλίῃ καὶ τοῖς ἐντέροις ὑγρά. Ἰδέην δὲ τὰ πρῶτα μὲν, ὑδατώδεα τὰ δι' ἐμέτου· τὰ δὲ δι' ἕδρης, κόπρανα ὑγρὰ, δυςώδεα. ἀπεψίαι γὰρ ξυνεχέες αἱ τῆςδε προφάσιες. ἢν δὲ τάδε ἀποκλυσθῇ, φλεγματώδεα, ἔπειτα χολώδεα. Τὰ πρῶτα μέρη [1]), ῥηϊδίως ἄπονος· ἔπειτα δὲ, ξὺν ἐντάσεσι μὲν ὁ στόμαχος, γαστὴρ δὲ μετὰ στρόφων.

Ἢν δὲ ἐς τὸ κάκιον ἐπιδιδῷ, καὶ στρόφοι μέζονες, λειποθυμίη, ἔκλυσις μελέων, ἀπορίη, ἀποσιτίη· ἢν δὲ καί τι προςενέγκωνται, πολλῷ ῥοίζῳ ξὺν ναυτίῃ ἐς ἔμετον διεκθέει χολὴ ξανθὴ κατακορέως, καὶ τὰ διαχωρήματα ὅμοια. σπασμοὶ, ξυνολκαὶ μυῶν τῶν ἐν τῇ κνήμῃ, καὶ βραχιόνων. δάκτυλοι καμπύλοι· σκοτόδινοι· λύγξ· ὄνυχες πελιδνοί· κατάψυξις, ἄκρεα ψυχρὰ, καὶ τὸ ὅλον ῥιγώδεες.

2. Ἢν δὲ ἐς τελευτὴν ἥκῃ το κακὸν, ἀτὰρ [2]) ἱδροῖ ὤνθρωπος· χολὴ μέλαινα ἄνω καὶ κάτω· οὖρα σχεθέντα κύστει [3]) ὑπὸ σπασμοῦ· ἀλλ' οὐδὲ οὖρον ἀλίζεται ὑπὸ τῆς ἐς

---

1) Petit conjec. **μὲν,** in quo consentientem habuit Reiskium, qui et paulo post ἄπονος in ἀπόνως mutandum censet. Wigan. φέρει vel ἔχει. In proxime sequentibus codd. Harlei. et Vatic. vulgatam defendunt. Cod. August. ῥηΐδιος, ἄπονος. Goupyl. conjec. ῥηϊδίως, ἀπόνως, unde Wigan. legit ῥηϊδίως τε καὶ ἀπόνως, ut apud Hippocr. praenot. 45. ἢν ῥηϊδίως τε καὶ ἀπόνως ἔχειν δοκέῃ.

2) Pro ἀτὰρ Reisk. aut ἄγαν, aut ἄφατον legi maluit.

3) Mire in his verbis invicem discrepant codd. Nam Vatic. Au-

ἐξηρωμένης τῆς ζωτικῆς δυνάμεως] Scilicet putabant veteres, animam in aërem reddi oportere, utpote, quae esset naturae aethereae. Virgil. *Aeneid.* IV. 704. *omnis et una Dilapsus calor, atque in ventos vita recessit.* Hinc mors aqua submersorum tristissima credebatur, cujus aliquam dedi rationem supra p. 7. in *Diss. de causa mort. hominum aqua submersor.* etc.

rum animique tenuitatem pervenerint, vix supersunt, quia facultas ipsorum vitalis jam in auras evanuerit.

Cap. 5.
De cholera.

Cholera materiae recursus est ex universo corpore in stomachum et ventriculum et intestina: malum acutissimum. Ea quidem, quae in stomacho congesta fuerint, supra per vomitum erumpunt; per inferiores autem vias, humores in ventriculo et intestinis collecti exeunt. Quae primo evomuntur, aquosa sunt: stercora venter excernit liquida et odoris foedi: nam adfectus hic ex assidua cruditate nascitur; ubi ista eluuntur, pituitosa prodeunt ac deinde biliosa. In initio haec facile ac sine dolore redduntur; postea vero cum stomachi intensione ac ventris torminibus. Si morbus increscat, graviora fiunt tormina, defectus animae, membrorum resolutio, anxietas, cibi fastidium: vel si adsumant, bilis saturate flava cum multo sonitu ac nausea per vomitum erumpit: similes etiam dejectiones sunt: accedunt nervorum distentiones: crurum brachiorumque musculi contrahuntur: digiti incurvantur: vertigo fit et singultus: frigus oboritur, et extremae praesertim partes algent, totumque corpus inhorrescit. Si pernicies in propinquo est, sudoribus aeger diffluit: atra bilis sursum et deorsum effunditur: urinae parum redditur, tum quia convulsionibus prematur vesica, tum quia haud multum urinae colligat, propter humorum ad intestina derivationem: vox intercidit: pulsus exiguus

---

gust. Petit. *σχεθέντα κύστει*, unde Petit. vel *οὖρα σχεθέντα κύστιος ὑ. σπ.* vel *οὖρα οὐκ ἀφίει κύστις ὑ. σπ.* emendari voluit. Cod. Harlei. *οὖρα ὅμοια, ἢν ἡ κύστις σχεθῇ.* Reisk. denique conjecit *σχέθει ταθεῖσα.*

ὑπὸ τῆς ἐς τὸ ἔντερον etc.] Nam copiosis alvi dejectionibus urinae secretio impediri solet. Hipp. *aphor.* IV. 82. *Petit.*

τὸ ἔντερον τῶν ὑγρῶν μετοχετεύσεως· ἀφωνίη· σφυγμοὶ σμικρότατοι, καὶ πυκνότατοι, ὁκόσοι [4]) ἐπὶ Ξυγκοπῇ· ἐντάσιες ἐμέτου ξυνεχέες, κενεαί· προθυμίαι τεινεσμώδεες, ξηραὶ, ἄχυλοι. Θάνατος ἐπώδυνος καὶ οἴκτιστος, σπασμῷ, καὶ πνιγὶ, καὶ ἐμέτῳ κενῷ.

Φέρει μὲν τὸ πάθος, ὥρη μὲν, θέρος [5])· δεύτερον δὲ, φθινόπωρον· ἦρ, ἧσσον· χειμὼν, ἥκιστα. Ἡλικίαι δὲ, αἱ τῶν νέων, καὶ ἀκμαζόντων· γῆρας, ἥκιστα· παιδία δὲ, τουτέων μᾶλλον, ἀλλ' οὐ θανατώδεα.

Κεφ. στ'.

ΠΕΡΙ ΕΙΛΕΟΥ.

1. Ἐντέροισι γίγνεται μὲν φλεγμονὴ, ὀδύνην ὀλεθρίην ἐμποιοῦσα. θνήσκουσι γὰρ μυρίοι στρόφοισι καρτεροῖσι. Ἐγγίγνεται δὲ καὶ πνεῦμα ψυχρὸν, ἀργὸν, οὔτε κάτω περῆσαι ῥηΐδιον, οὔτε ἄνω ἀνελθέμεναι· μίμνει δὲ ἐπιπολὺ ἑλισσόμενον ἐν ὀλίγῃσι [1]) τῶν ἄνω ἑλίξεσι. τοὔνεκε καὶ τὸ πάθος ἐπίκλησιν ἔσχε Εἰλεόν. Κῆν πρὸς τοῖς στρόφοις δὲ καὶ πίεσις [2]) καὶ μάλθαξις τῶν ἐντέρων ἔῃ, καὶ πουλὺ τὸ ὑπογάστριον ὑπερίσχῃ, Χόρδαψος τὸ τοιοῦτόν ἐστι οὔνομα. ἕψησις μὲν γὰρ ἡ [3]) μάλθαξις, Χορδὴ [4]) δὲ ἐντέρων ἐπώ-

4) Petit. emendat ὁκοῖοι vel ὅκως.

5) Vulg. ὥρη θέρεος. Wig. habet θέρος, quod et Reisk. probavit, ut conveniat cum φθινόπωρον, ἦρ et χειμών, et ego secutus sum.

1) Bernard. ad Synes. p. 289. legit ὀλισθηρῇσι i. e. *levibus, lubricis.* Sed vulgata praeferenda. Nam ὀλισθηρὰ ἔντερα infra inter causas securitatis a volvulo referuntur.

2) Petit. mavult ἕψησις, haud dubie, quoniam paulo post ἕψησις καὶ μάλθαξις conjunguntur.

3) Videtur melior esse distinctio cod. Harlei. οὔνομα· ἕψησις μὲν γάρ. Vult enim χόρδαψον nomen esse morbi, illudque compositum ex ἕψησις h. e. μάλθαξις, et χορδή i. e. ἔντερον.

4) Non opus est, ut cum Wigano χορδαὶ legamus.

πνεῦμα ψυχρόν] Ita Hippocr. *de flat.* to. I. p. 407. Τῶν δὲ ἄλλων ἀῤῥωστημάτων, ὁκόσοι μὲν ἂν εἰλεοὶ εἶεν, ἢ εἰλήματα, ἢ στρόφοι, ἢ ἕτερα ἀποστηρίγματα, φύσας εἶναι αἴτια, ἅπασιν ἡγέομαι φανερὸν εἶναι. πάντων γὰρ τῶν τοιουτέων αἰτίη τοῦ πνεύματος ἡ διόδευσις. τοῦτο γὰρ, ὁκόταν προσπέσῃ πρὸς τόπους ἁπαλοὺς καὶ ἀήθεας καὶ ἀθίκτους, ὥσπερ τόξευμα ἐγκείμενον διαδῦνον διὰ τῆς σαρκὸς, προσπίπτει ποτὲ μὲν πρὸς τὰ ὑποχόνδρια, ποτὲ δὲ πρὸς τὰς λαπάρας, ποτὲ δὲ ἐς ἀμφότερα. διὸ δὴ καὶ θερμαίνοντες ἔξωθεν πυριήμασι πειρῶνται μαλθάσσειν τὸν πόνον. ἀραιουμένου γὰρ ὑπὸ τῆς θερμασίης τοῦ χρωτὸς τοῦ πυριήματος, διέρχεται τὸ πνεῦμα διὰ τοῦ σώματος, ὥστε παῦλάν τινα γενέσθαι τῶν πόνων. *Wigan.*

et creberrimus, qualis in syncope: vomendi conatus assidui et inanes: dejiciendi, sicut in tenesmo, cupiditas, sicca tamen, neque humoris quicquam excernens. Mors doloribus plenissima ac miserrima, quae convulsionibus et strangulatione et inani vomitu infertur. Aestate hic adfectus praecipue nascitur, postea autumno, vere rarius, atque hieme rarissime. Ex aetatibus eidem opportuni sunt juvenes, quique aetate consistunt: senectus minime: pueri maxime, sed extra mortis periculum.

Cap. VI.
De ileo s. volvulo.

In intestinis excitatur inflammatio dolorem movens perniciosum; multi quippe e vehementia torminum intereunt. Intus etiam spiritus quidam nascitur frigidus ac iners, qui nec per superiora, nec per inferiora facile transmitti potest: sed per superiorum intestinorum sinus convolutus plerumque inhaeret; quam ob causam Ilei (s. Volvuli) nomen obtinuit. At si ad tormina compressio intestinorum et mollities accesserit, multumque ima pars ventris extet, *χόρδαψος* appellatur:

ἐπίκλησιν ἔσχεν εἰλεὸν] Cael. Aurel. *acut. morb.* III. 17. *Tormentum dictum est, quod existimant aegrotantes convolvi atque torqueri suorum intestinorum verticula: vel quod spiritus ob abstinentiam clausus sese involvens, vinctiones, obtrusiones, atque tormenta efficiat: vel quod vehementia dolorum supra eas partes, quae patiuntur, aegrotantes arcuati convolutique adpellarunt.* Quidam Pythagorici in Sicilia medici *φραγμὸν* appellarunt. Negat tamen Galen. *de loc. adfect.* VI. 2. aërem tenuibus intestinis concludi posse ita, ut exitum non habeat. Scaliger in comm. in Hippocr. *de insomn.* eos reprehendit, qui nomen morbi ab *εἰλεῖσθαι* deducant, *volvulumque* vertant. Attamen et Aretaeus *h. l.* et Actuarius istam derivationem amplectuntur. Ab ileo, intestinorum tenuiorum uno, deducit Petitus, quoniam hoc malum sit *τῶν λεπτῶν ἐντέρων*. Galen. *l. c.* Celsus IV. 13. Quasi vero Celsus l. c. non habeat una cum Aretaeo §. 4. morbum plenioris intestini ileum.

πουλὺ τὸ ἐπιγάστριον ὑπερίσχῃ] Galen. *l. c.* *καθάπερ ἕτερον τὸν χόρδαψον, ὅτ' ἂν ἐξέχῃ τις ὄγκος ἐν τῇ χώρᾳ τῶν λεπτῶν ἐντέρων, ὡς δοκεῖν, οἷον χορδήν τινα περιεστράφθαι τὸ ἔντερον.* *Petit.*

νυμον· καὶ γὰρ καὶ Ἐπιχορδίδα τὸ Μεσεντέριον ἐπίκλησκον οἱ πρόσθεν, τὰ μεσηγὺ νεῦρα, καὶ τὰ ἀγγεῖα, καὶ τοὺς ὑμένας τοὺς ἀνοχῆας τῶν ἐντέρων.

2. Αἰτίη τοῦ Εἰλεοῦ, συνεχὴς μὲν διαφθορὴ σιτίων πολλῶν τε καὶ ποικίλων καὶ οὐ ξυνηθέων, καὶ ἄλλη ἐπ' ἄλλῃ ἀπεψίη, μάλιστα δὲ ἐπὶ τοῖσι εἰλεώδεσι [5]), ὁκοῖόν [6]) τι μέλανι σηπίης. Οὐκ ἀδόκητος δὲ οὐδὲ πληγὴ, ἢ ψύξις, ἢ ψυχροποσίη ἐφ' ἱδρῶτι ἄδδην ἢ χανδόν. Καὶ οἷσι δὲ ἔντερον ἐς τὸν ὄσχεον ξὺν κόπρῳ κατέβη, καὶ οὐκ ἀνώσθη ἐς τὴν κοιλίην, ἀλλ' ἀνελήφθη [7]) βίῃ, τουτέοισι ἔθος ἐπιφλεγμαίνειν τὰ κάτω ἔντερα. Ξύνηθες δὲ τὸ πάθος παιδίοισι [8]) οἷσιπερ ἂν καὶ ἀπεψίη ἦ· καὶ τὸ βλάβος διαδιδρήσκουσι, μᾶλλον δὲ διά τε τὸ ἔθος, καὶ τὴν ὑγρότητα τῶν ἐντέρων, ὀλισθηρὰ γάρ. γέροντες δὲ οὐ μάλα μὲν πάσχουσι, περιγίγνονται δὲ ἥκιστα. Ὥρῃ θέρεος τίκτει μᾶλλον ἦρος, φθινόπωρον δὲ χειμῶνος, ἀμφοῖν δὲ ἐπὶ μᾶλλον θέρος.

3. Πολλοὶ [9]) μὲν οὖν ἐπὶ τούτοισι στρόφοισι θνήσκουσι αὐτίκα. μετεξετέροισι δὲ καὶ πύος ἐγγίγνεται, καὶ αὖθις

---

5) Scaliger emendavit ἐλαιώδεσι, et sic infra §. 4. vomitu rejecta sunt ἐλαιοειδέα, quoniam adsumta erant ejusdem generis. Wigan. πιμελώδεσι i. e. *pinguibus* ex Aetio, qui in ilei descriptione similia ex Archigene habet: *αἰτίη δὲ εἰλεοῦ, διαφθορὰ σιτίων πολλῶν τε καὶ ποικίλων καὶ ἀξυνήθων, καὶ μάλιστα τῶν καταπιμέλων κρέων,* ita in cod. Bodl. haec leguntur. Scaligeri emendatio tamen magis placet. Reisk. emend. ἐλώδεσι.

6) Petit. legi maluit ὁκοῖόν ἐστι μέλ. σηπ.

7) Wigan. iterum ex Aetio Bodl. bibl. ἀνεθλίφθη corrigit, i. e. *quibus intestinum in ventrem non retrusum, sed violenter collisum est.* Aetius enim: *συμβαίνει δὲ καὶ οἷς ἔντερον εἰς τὸν ὄσχεον σὺν τῇ κόπρῳ κατέβη, εἶτα ἀνεθλίβη μετὰ βίας.* Reisk. ἀπελήφθη. Paulo post pro οἷσιπερ ἂν conjecit Reisk. ὥσπερ ἄν.

8) Reisk. ᾖ, et semicolon post διαδιδράσκουσι tollendum putavit. Videtur mihi constructio alioquin manca sublevari posse transpositione τοῦ μᾶλλον δὲ sic: μᾶλλον δὲ καὶ τὸ βλάβος διαδιδρ. Paulo post Scalig. διδράσκουσι legit: male. Nam compositum saepe ab Aretaeo adhibetur, v. c. infra §. 4. et II. 7. 1. etc.

9) Pro vulg. Πολλοῖσι Wig. recepit πολλοὶ, quod et suaderi videtur cod. Vatic., in quo vulgatae supra scripta est verior

quia *ἕψησις* (i. e. elixatio), idem quod *μάλθαξις* (i. e. mollities) significat, *χορδὴ* vero nomen intestinorum est; ita mesenterium, nervos scilicet, atque vasa membranasque, quae in medio intestinorum jacent, et ea suspendunt, *ἐπιχορδίδα* veteres dixerunt. Ilei causa est assidua multorum variorumque atque inusitatorum ciborum corruptio, et alia post aliam cruditas, praecipue ab esu earum rerum, quae ileum excitare consuerunt, quale sepiarum atramentum est. Idem etiam exspectari potest vel ab ictu, vel frigore, vel larga atque avida inter sudandum frigidae potione. Iis etiam inferiora solent inflammari intestina, quibus intestinum cum stercore in scrotum procidit, neque in ventrem repulsum est, sed eo violenter protrusum. Usitatus etiam pueris est adfectus, quippe quos cruditas multum infestet, sed ii evadunt, tum propter consuetudinem, tum ob intestinorum humiditatem, quae illi habent lubrica; ileo senes non saepe tentantur, sed ex eo minime ad sanitatem perveniunt. Adfectum hunc tempus aestivum magis, quam vernum parit: auctumnus magis quam hiems: utrisque autem multo frequentius aestas.

Multi itaque ex his torminibus repente intereunt. Quibusdam pus intus coit, deinde nigricans et putrefactum

---

lectio *πολλοί.* Scalig. *πολέες* emendav. Reisk. *πολλοῖσι* quidem intactum relinquit, sed sequentia verba *ἐπὶ τούτοισι στρόφοισι* sic legit: *ἐπιγίγνονται στρόφοι, οἳ.*

χόρδαψος τὸ τοιοῦτόν ἐστι οὔνομα,] Non constantem esse hanc morborum distinctionem, docet multis ad h. l. Petitus. Nam Diocles Caryst. hujus denominationis auctor, citra ullam distinctionem *χόρδαψον* tenuioris intestini morbum dixit. Cons. Celsus *l. c.* Dein Galenus quoque haec nomina invicem misceri docet *de loc. adfect.* VI. 6. *γίνονται δέ ποτε καὶ ἄλλοι πόνοι σφοδρότατοι κατὰ τὰ μετέωρα μέρη τῶν ἐντέρων, ἱκανῶς, σπαράσσοντες ἐμέτοις, ὡς ἐπὶ τέλει κόπρον ἐμέσαι τινὰς, ἐξ οὗ πάθους σπανιώτατά τις ἐσώθη· καὶ καλοῦσί τινες αὐτὸ εἰλεὸν, καθάπερ ἕτεροι χόρδαψον.*

μέλαν σηπίης] E Sepiae esu choleram contrahi testatur Hippocr. *Epid.* VII. 40, *τὰ χολερικὰ ἐκ σηπίης.* *Petit.*

μελανθὲν τότε τὸ ἔντερον καὶ διασαπὲν ἐξέπεσε, καὶ οὕτως ἐξέλιπον. Ξύνεστι δὲ αὐτέοισι, ἢν μὲν ἐπιεικὴς Εἰλεὸς εἴη, πόνος ἑλισσόμενος, στομάχου πλάδος, ἔκλυσις, μαλακίη, ἐρεύξιες κεναὶ, καὶ οὐδὲν ὠφελοῦσαι· κοιλίη ὑποβορβορίζουσα φύσησι· [10]) ὁδοιπορίη μέσφι ἕδρης, διέξοδοι δὲ ἀτελέες.

Ἢν δὲ ἐπὶ πᾶσιν [11]) ἴσχῃ ὁ Εἰλεὸς, πάντων ἄνω ἡ φορὴ, πνευμάτων, φλέγματος, χολῆς· ἐμοῦσι γοῦν τάδε. ἔξωχροι· ψυχροὶ τὸ πᾶν σκῆνος· πόνος πουλύς· ἀναπνοὴ κακή· διψαλέοι [12]).

Ἢν δὲ καὶ θνήσκειν μέλλωσι, ἱδρὼς ψυχρός· δυςουρίη· ἕδρη ἀπολελημμένη [13]), ὡς μηδὲ ἰσχνὸν ἔλασμα διελάσαι· κόπρων ἔμετοι· ὤνθρωποι ἄφωνοι· σφυγμοὶ πρόσθεν μὲν ἀραιοὶ, σμικροὶ, πρὸ θανάτου δὲ σμικρότατοι, καὶ πυκνότατοι, καὶ ἐκλείποντες. Τάδε μὲν οὖν τοῖσι λεπτοῖσι ἐντέροισι ξυνεμπίπτει.

4. Ἀτὰρ καὶ Κώλῳ τὰ αὐτὰ πάθεα γίγνεται, καὶ τὰ ξυνόντα ὅμοια, καὶ ἡ αὐτὴ ξυμμορφή [14]). Τουτέων δὲ μετεξέτεροι διαδιδρήσκουσί κοτε, ἢν [15]) πύος ἐγγένηται τῷ Κώλῳ. αἰτίη δὲ τὸ βάθος [16]) τὸ σαρκοειδὲς τοῦ ἐντέρου. Πόνος δὲ ἰσχνὸς μὲν ἠδὲ ὀξὺς ἐπὶ τοῖσι λεπτοῖσι ἐντέροισι. πλάδος δὲ καὶ βάρος ἴσχον [17]) ἐπὶ τῷ Κώλῳ· διαΐσσει δὲ ὁ πόνος ἄλλοτε μὲν ἐπὶ τῇσι πλευρῇσι, εὖτε φαντασίη ἐγγίγνεται Πλευρίτιδος, καὶ γὰρ καὶ πυρεταίνουσι οἵδε. ἄλλοτε δὲ ὑπὸ τῇσι νωθῇσι ἔνθα [18]) καὶ ἔνθα, ὡς δοκέειν

---

10) Reisk. *φύσαι, ᾖσι* legendum censet.

11) Petit. cui et accedit Reisk., recte corrig. *ἐπίτασιν*. Opponitur enim: *εἰ μὲν ἐπιεικὴς εἰλεὸς εἴη*. Quod sequitur *ἐμοῦσι*, ionismi rationem habens Reisk. in *ἐμέουσι* mutat.

12) Reisk. aut vulgatam retinendam, aut *διψαλέη* legendum esse censet.

13) Cod. Paris. *ἀπολελυμμένη* habet, ut 2, 7, 3. et 12, 2.

14) Vulg. defendunt codd. Harlei. Vatic. *ξυμφορὴ* Aug. Reisk. autem vel *ξυμμορίη* vel *ξυμμορὴ* legendum esse conjicit.

15) *ἢν*. An *κὴν* h. e. *etiamsi*, fortasse scrib.?

16) Reisk. ante *βάθος* inserit *πάχος καὶ*.

17) Locus fortasse videri poterat vitio laborare, cum Celsus (IV. c. 14.) in morbo plenioris intestini contendat dolores esse *vehementes*. Sed Celsus de colico morbo loquitur. Reisk. quaerit, annon *ἰσχνὸν* legendum sit?

18) Vulg. *ἐνθάδε* mutavit Wigan. in *ἔνθα*, quod et Reiskius amplexus est.

excidit intestinum, atque ita perierunt. Si morbus sit mediocris, adest dolor convolvens se: humorum in stomacho redundantia: resolutio et languor: eructationes vacuae, nihil relevantes: alvus flatibus submurmurat, quae usque ad sedem transeunt, ubi exitus iis intercluditur. Sin aegrum morbus ex toto occupet, omnia sursum et spiritus et pituita et bilis per vomitum erumpunt, pallidi sunt, ac per omne corpus frigidi: dolor vehemens: spiritus difficulter trahitur: urget sitis. Quodsi mors jam instet, sudor manat frigidus: urinae difficultas est: sedes adeo constricta, ut ne tenuem quidem lamellam recipiat: stercoris vomitus: vocis interclusio: pulsus antea quidem rarus et exiguus: sed instante morte minimus, creberrimus, deficiens. Haec utique adfectis tenuibus intestinis contingunt. Iidem etiam morbi colo incidunt, et eaedem notae sunt, eademque mali species. Horum aliqui evadunt, si in colo excitetur suppuratio: cujus rei causa est, quod intestinum crassum et carnosum est. Caeterum adfectis tenuibus intestinis tenuis et acutus subest dolor: ubi vero colon laborat, plurima est humoris abundantia et gravitas ei inhaeret, dolorque modo ad costas pertingit, ac pleuritidis opinionem facit, si quidem etiam in his oritur febris: modo hic, modo illic sub iis costis, quae nothae vocantur, percipitur, ita, ut jecur aut lienis dolere videatur; rursusque ad ilia

---

ψυχροὶ τὸ πᾶν σκῆνος] De quibus symptomatibus cf. Hipp. *epid.* III. 2. in historia mulieris volvulosae, ubi et videtur Hippocrati aliqua intercedere discrepantia cum Aretaeo, quod ille mulierem istam siti non vexatam esse scribat, hic vero sitim inter symptomata volvolum concomitantia referat. *Petit.*

τάδε μὲν οὖν λεπτοῖσι] Haec omnia a principio capitis omissa tantum ilei e frigido illo spiritu ex Archigene ad verbum adducit Aëtius *tetrab.* III. serm. 8. c. 28. *Wigan.*

ἀτὰρ καὶ κώλῳ] Paulo accuratius hac in re noster agit Galeno aliisque hunc sequentibus, qui ileum solis intestinis tenuibus accidere adseruit. Nam dolor fere ad hypochondria sentitur, (Hippocr. *epid.* III. *sect.* 2.) colon autem hypochondria attingit. Dein Trallian. libr. X. cap. de doloribus colicis: *Ileos nihil aliud est, quam colici adfectus intentio atque incrementum.* Ergo eandem esse utriusque adfectus sedem et causam adsumit. *Petit.*

τὴν ὀδύνην ἥπατος ἢ σπληνὸς ἔμμεναι. αὖθίς κοτε ἐν τοῖσι κενεῶσι, πολλὸν γὰρ τὸ Κῶλον καὶ παντὶ[19]) *ἕλικας ποιεύμενον. μετεξετέροισι δὲ καὶ ἐς τὸ ἱερὸν ὀστέον ἐρείδει, καὶ ἐς μηροὺς, καὶ διδύμων κρεμαστῆρας. Ἐπὶ δὲ τοῖσι κωλικοῖσι, ἔμετοι πλεῦνες κενοί· τὰ δὲ ἐμεύμενα λεπτὰ, χολώδεα, ἐλαιοειδέα. Ἔστι δὲ ὁ ἐντεῦθεν κίνδυνος τοσόνδε ἀσινέστερος, ὁκόσον καὶ τὸ Κῶλον τῶν λεπτῶν ἐντέρων σαρκοειδέστερον, καὶ παχύτερον, καὶ ἀνεξικακώτερον.*

descendit: colon etenim intestinum praegrande est, et undequaque fusum et sinuatum: quibusdam dolor etiam ossi sacro infigitur, et femoribus musculisque testiculorum, qui cremasteres vocantur. Porro qui dolore colico tentantur, magis inani vomitu laborant, quodque effunditur, tenue et biliosum est, oleique simile. In hoc malo tanto levius est periculum, quanto colon tenuibus intestinis carnosius est, et crassius, et noxae tolerantius.

---

19) Wigan. et Reisk. *πάντη* legunt, uti infr. 2, 8, 1. *πάντη τοῦ ἥπατος σκίδναται.* Sequens *ἕλικας* codd. Goup. et Vatic. *ἴλιγας.* Harlei. *ἔλιγγας.* Fabr. *ἕλικας,* quomodo et Scaliger conjecerat Reisk. *εἵλικας.*

III.

DE PHILOSOPHIS ANTE HIPPOCRATEM MEDICINAE CULTORIBUS

AD CELSI DE MEDIC. PRAEFAT.

Specimen I.

Haec disputatio pro acquirendis optimis magisterii Lipsiensis juribus publice, adsumto socio Chr. Ghf. Fr. Webel, d. 2. Jun. CIƆIƆCCLXXXI. defensa est.

PROOEMIUM.

Cum antiquissimorum temporum memoriam animo nostro repetimus eo consilio, ut medicinae investigemus primordia, videamusque, quomodo, et a quibus hominibus inventa, et sensim sensimque exculta tandem eo pervenerit, ut in artis formam redigeretur: idem nobis accidit, quod omni fere antiquae historiae indagatori. Quae enim ad incunabula artis salutaris ducit via, nunc fabularum quasi nebulis densaque interdum caligine premitur ita, ut vel acerrima ingenii acies, veritatis luce erepta, in tenebris palpitare cogatur; nunc deperditis antiquissimorum medicorum libris, aliorumque de illorum vita cognitioneque medica scriptorum narrationibus deficientibus, tanto desidit hiatu, ut magnae ambages sint prius conficiendae, quam in viam rectam redire possimus; nunc variis, iisque inter se invicem repugnantibus variorum scriptorum testimoniis in tam diversos diducitur tramites, ut dubii haereamus, quemnam sine aberrandi periculo ingredi debeamus. Praeter illa vero impedimenta, quae persequentis antiquissima medicinae fata studio obiiciuntur, videtur et haud leve positum esse in modo, quo

nata atque exculta est medicina. Neminem enim inter homines nostrae aetatis vere eruditos fore existimo, qui in ea adhuc versetur opinione, ut hominibus primis a Deo viam ac rationem fuisse monstratam credat, qua sanitatem conservarent, morborumque frangerent vim: nec potius persuasum sibi habeat, primis illis temporibus, quibus firmissima adhuc corporum robora nondum mollitie luxuriaque erant fracta atque corrupta, illum fuisse medicum, qui herbarum fructuumque in victum cedentium vires expertas, aliaque in morbis nunc feliciter, nunc minus prospere adhibita diligenter notabat, suoque tempore in usus aut suos, aut aliorum expromebat. Hinc parentes cum natis comunicasse videntur ea, quae per omnem vitam ipsi observaverant, aut ab aliis acceperant sanitati vel proficua, vel noxia. Ita vero augebantur sensim sensimque haec experimenta adeo, ut, cum non libris consignarentur, sed ore traderentur, vix unius hominis memoria possent comprehendi. Quae tamen memoriae felicitas si cui naturae beneficio contigerat, is, fortuna consiliis annuente suis, ab iis, quibus sanitatem reddiderat, colebatur, a civibus plausu et admiratione condecorabatur, et a posteris cultu honorabatur divino. Hinc Apollini et Aesculapio apud Graecos, hinc Isidi atque Serapidi apud Aegyptios, hinc aliis apud alias gentes Deorum medicorum honores decernebantur, arae incensae, thura posita, templa exstructa, ad quae, quotquot cum morbis conflictabantur, sanitatis recuperandae causa undiquaque confluebant.

Haec, quae sola experientia nititur, erat salutaris professionis facies atque conditio, usque dum majore studio agitari, sapientiaeque pars haberi coepit. Scilicet reperta adversus varios morbos remedia, quorum efficacitas saepe felicissimo eventu erat probata, interdum spem plane destituebant ejus, qui illis utebatur, interdum efficiebant omnino contraria, morbumque, cujus levandi et tollendi causa sumebantur, augere,

mortemque, quam morari longiusque removere debebant, accelerare videbantur. Qui quidem diversi, nec opinati effectus non poterant non ferire animos eorum, qui in vires corporum inquirebant naturalium, quamque vim in corpus humanum exsererent, indigebant, eosque excitare ad causas istius discrepantiae rimandas. Philosophi igitur horum temporum, h. e. homines, qui tempus studiumque suum naturae contemplationi quasi devovebant, quique, contemta difficilium quidem illarum, inutilium tamen disputationum gloria, earum tantum rerum sibi comparabant cognitionem, unde magna in cives patriamque universam felicitas dimanare poterat, hi, igitur, in structura corporis humani consideranda, in sapientia, qua sapientissimus naturae auctor singulas illius partes formaverat atque composuerat, declaranda, in causis inveniendis, quibus illae corporis partes, quominus sua quaeque obirent munera, impedirentur, in remediis denique indagandis, quibus illa impedimenta tolli, integritasque corpori restitui posset sua, amplum eumque uberem reperiebant campum, in quo ipsorum investigandi studium desudare commode poterat, incultum hactenus a medicinae professoribus relictum. Hanc vero notitiam augebant magis magisque itineribus etiam, ad remotissimas interdum gentes susceptis, quae aliqua doctrinae fama apud exteros illustres erant: indeque reduces in patriam non poterant non eos cognitione varia eaque utilissima multum superare, qui sub Deorum medicorum, inprimisque Aesculapii, auspiciis, quorum se cultui dicaverant, morbis remedia tantum, a majoribus per manus quasi tradita, opponebant.

Hinc factum est, ut, qui de primis, quibus, uti omnium omnino, ita et corporis humani partes conflatae sunt, elementis, de structura nostri corporis, de via ac ratione, muneribus fungendi suis, quam singulis ejusdem partibus naturae sapientia praescripsit, de impedimentis denique, quae illum naturae ordinem

turbare possent, tanta cum animi fiducia disputabant, ut in intimos naturae recessus penetrasse viderentur, etiam omnium optimam remediorum notitiam habere existimarentur, quibus illae, in corpore humano excitatae, turbae iterum componi possent. Quae quidem causa, ob quam philosophi medicinae excolendae studium operamque dicaverint suam, probabilior videtur ea, quam CELSUS [1]) ingeniosam magis, quam veram, protulit. *Primo,* inquit, *medendi scientia sapientiae pars habebatur, ut et morborum curatio et naturae contemplatio sub iisdem auctoribus nata sit: scilicet iis hanc maxime requirentibus,* qui corporum suorum robora inquieta cogitatione nocturnaque vigilia minuerant. *Ideoque multos e sapientiae professoribus peritos ejus fuisse accepimus: clarissimos vero ex iis* PYTHAGORAM, *et* EMPEDOCLEM, *et* DEMOCRITUM.

Et horum quidem trium virorum, cum nonnullis aliis, sapientiae laude per omnem antiquitatem claris, in artem nostram merita jam nunc, cum aliquod argumentum tractandum, publiceque defendendum esset, accuratius exponere constitui propterea, quod partim illud argumentum, conjunctum cum illo, quod amplexus sum, medicinae studio, nec alienum a loco videbatur, de quo disputandum est: partim quod ab omnibus, qui de fatis salutaris professionis scripsere, non ea, qua dignum est, diligentia elaboratum inveni [2]). Quo accedebat et illud, quod hoc veluti specimine, praerepto futuro de *medicinae inter Graecos fatis* operi, virorum eruditorum judicia experiri cupiebam.

---

1) *de medicina, praef. p. 2. ed. Leon. Targae.*

2) Consulat Clerici atque Schulzii, quibus inter scriptores historiae medicae fere principatus tribuitur, medicinae historias, Hallerique bibliothecas, quae, pace tanti viri dixerim! non ea, quam tuto ubique sequi poteras, diligentia conscriptae sunt: et videbit aequus judex, me haud temere illorum scriptorum in hoc argumento negligentiam damnare. Quam equidem an effugerim, judicent alii. Facilius enim res reprehendi, quam emendari potest.

PYTHAGORAS SAMIUS.

De parentibus, patria, aetatis termino [3]), variis itineribus, aliisque rebus, quae ad vitam privatam hujus philosophi pertinent, nec aliquid ad ejus cognitionem medicam declarandam faciunt, praestat nihil, quam aliquid dicere. Sunt enim haec pleraque omnia et antiquiorum scriptorum testimoniis, et opinionibus recentiorum ita perturbata, ut, si ea accurate excutere vellem, immenso me temere immitterem dubiarum et dissensionis inter viros doctos plenissimarum quaestionum velut gurgiti. Quam ob rem ea tantum e veterum scriptorum monimentis decerpam, quae Pythagoram ostendant cum sapientiae professione et medicinae studium conjunxisse, dignumque adeo esse, qui inter medicos philosophos, quos ἰσοθέους Hippocrates pronuntiabat, locum occupet suum. Nolo haec probaturus confugere ad itinera, a Samio philosopho ad Aegyptios, Persas, Indosque [4]) suscepta. Cum enim doctrinae fama, qua harum gentium sapientes quondam celebrabantur, ab hominibus recentioris aetatis, qui in illam tantopere laudatam sapientiam paulo curiosius inquisivere, admodum sit imminuta: infirmo utique fundamento superstruerem ea, quae collata *Pythagorae* in

---

3) Videatur, si lubet maximorum hac de re virorum dissidia cognoscere, Dodwellus *de aetate Pythagorae philosophi*, *Lond.* 1704. *A chronological Account* etc. *By M. Lloyd. Lond.* 1699. 8. R. Bentleii *diss. de Phalaridis, Themistoclis* etc. *epistolis* etc. *omnia ex anglico in latin. sermon. convertit Jo. Dan. a Lennep. Groning.* 1777. 4. Jo. Harduini *chronol. vet. testam.* Quorum argumenta, quibus quisque sententiam firmare studuit suam, exhibuit le Clerc. *biblioth. chois. Tom. X. p.* 79 — 125. His denique addantur duae dissertationes, Nosii (de la Nauze) altera, altera Frereti, in *Mém. de Littérat. tirées des Régist. de l'acad. roy. des inscript. to. XIV. p.* 375. sq. et 472. sq. in germanicam translatae linguam a Mich. Hismanno V. Cl. Vid. *Magazin für die Philosoph. und ihre Gesch. Th. II. p.* 75 — 182. Conf. quoque, quae copiosissime disputavit de Pythagora Cl. Harless. in Fabric. bibl. graec. Lib. II. c. 12. Vol. I. p. 750. seq.

4) Conf. Isocrat. *laud. Busirid. p. m.* 448. Cicero *de finib.* 5. 27. Justin. XX. 4. Jamblich. *vit. Pythag.* c. 4. — De iti

medicinam merita declarare possunt. Utar igitur potius luculentis *Celsi* [5]), *Diogenis Laërtii* [6]), *Jamblichi* [7]), *Porphyrii* [8]) aliorumque testimoniis, quibus Pythagoram constat in corporis humani structuram inquisivisse, sibique comparasse cognitionem remediorum, quibus firma et integra adhuc sanitas conservari, fractaque et vitiata reparari posset.

Cum illae medicinae partes, quae victu et manu medentur, haud dubie sint antiquissimae: ab his ordiar, ostendamque, quaenam in Pythagora fuerit earum intelligentia. Et illa vero medicina, quae victu curat, inprimis videtur ab illo esse culta. Plinius enim multa nobis exempla reliquit literis consignata, quibus illum uti in vires herbarum, ita in universam earum naturam curiosius inquisivisse adparet: e quibus liceat quaedam speciminis loco quasi delibare. Sic brassicam laudavit [9]): anisum adversus scorpiones, e vino haustum, inter pauca medicamenta commendavit [10]): idemque in manu habentibus efficacem medicinam adversus comitiale vitium praebere tradidit [11]): sinapi, quoniam non aliud magis in nares et cerebrum penetret, principatum detulit ex his, quorum sublime feratur vis [12]): atriplex, tanquam faceret hydropicos, morbosque regios et pallorem, concoquereturque difficillime, ac ne in hortis quidem juxta id quidquam

---

nere Pythagorae ad Persarum Magos vid. praeter Ciceron. et Justin. *ll. cc.* Diogen. Laërt. 8. 3. p. 489. *ed. Meibom.* aliique. — Indiae denique Brachmanas ab eodem fuisse conventos, narrant Apulej. *florid.* p. 351. *ed. Elmenh.* et Clemens Alex. *strom.* V. p. 560. etc.

5) *l. c.*

6) *libr. VIII.* c. 1. *n.* 12. οὐκ ἠμέλησε δὲ οὐδὲ ἰατρικῆς Πυθαγόρας.

7) *de vit. Pythag.* c. 29. *p.* 127. *ed. Commel.* 1598.

8) *de vit. Pythag.* 33.

9) *hist. natur.* XX. *c.* 9. *p.* 199. *ed. Harduin.*

10) ibid. *c.* 17. *p.* 216.

11) ibidem.

12) *l. c. c.* 22. *p.* 223.

crescere, nisi languidum, culpavit [13]). Sic rutae sylvestris, quam oculis noxiam esse existimabat, genera discrevit, marem minoribus, herbaceique coloris, feminam laetioribus foliis et colore [14]). Sic asphodeli caulem cubitalem, et saepe duorum cubitorum, foliis porri sylvestris, *anthericon;* radicem vero i. e. bulbum *asphodelon* vocavere, principem Pythagoram secuti, Theophrastus, et fere Graeci [15]). Praeter haec vero sunt et haud pauca, quae magicas herbarum vires *), a Pythagora et Democrito primis Romano in orbe celebratas, Magos consectatis [16]), illi curae cordique fuisse declarent: scillam v. c. in limine januae suspensam malorum medicamentorum introitum pellere [17]): aquifoliae flore **), uti et coracesia et callicia, quarum mentionem apud alios non reperit, nec apud Pythagoram alia de his, Plinius [18]), aquam glaciari: aproxin herbam esse, cujus radix e longinquo concipiat ignes [19]) eademque florente, si qui morbi humano corpori acciderint, quamvis sanatos, admonitionem eorum sentire, quoties eam florere contigerit. Similem conditionem habere et frumentum, et cicutam, et violam [20]).

Idem virtutum, quae in herbis latent, scrutinium, diaetaeque culturam professa est illa, quae a Pythagora nomen accepit, philosophorum familia, quae, commota haud dubie praeceptoris auctoritate, praecipuam posuit diligentiam in victus ratione ordinanda, in motus quietisque finibus regundis, in animi commotionibus temperandis, aliisque ejusmodi consiliis dandis, quibus sanitati firmitas conciliari, morbisque

---

13) *l. l. c.* 20. *p.* 221.
14) ibid. *c.* 13. *p.* 208.
15) *libr. XXI. c.* 17. *p.* 252.
*) *libr. XXIV. c.* 17. *p.* 351.
16) Conf. Cael. Aur. tard. pass. V. c. 1.
17) *libr. XX. c.* 9. *p.* 203.
**) *libr. XXIV. c.* 13. *p.* 345.
18) *l. l. c.* 17. *p.* 351.
19) l. c.
20) ibidem.

quasi nutrimenta eripi possent [21]). Nec dissimilibus fortasse rationibus inductus Pythagoras fabas [22]), pisces [23]), idque genus alia victui discipulorum eximebat: quamquam sunt, et fuerunt jam inter antiquiores scriptores nonnulli, qui malint, philosophum, cum ista quasi proscriberet, nescio quid religionis, aut superstitionis potius spectasse. Equidem vero etsi non sum is, qui, quicquid a magnis, quos antiqua protulit aetas, viris excogitatum defensumque est, velut e tripode dictum, sapientiaeque plenissimum admirer: scio enim, hanc semper humanae naturae fuisse et esse imbecilli-

---

21) Jamblich. *l. c.* *τῆς δὲ ἰατρικῆς μάλιστα μὲν ἀποδέχεσθαι τὸ διαιτητικὸν εἶδος, καὶ εἶναι ἀκριβεστάτους ἐν τούτῳ, καὶ πειρᾶσθαι πρῶτον μὲν καταμανθάνειν σημεῖα συμμετρίας, πόνων τε καὶ σιτῶν καὶ ἀναπαύσεως. ἔπειτα περὶ αὐτῆς τῆς κατασκευῆς τῶν προσφερομένων* (ita leg.) *σχεδὸν πρώτους ἐπιχειρῆσαι τε καὶ πραγματεύεσθαι, καὶ διορίζειν* sc. *Πυθαγορείους φασί.* Diogen. Laërt. *VIII.* 9. *p. m.* 494. *πλησμονὴν πᾶσαν ἀποδοκιμάζει, λέγων μὴ παραβαίνειν μήτε τῶν ΠΟΝΩΝ, μήτε τῶν σιτίων μηδένα τὴν συμμετρίαν.* In quo loco e Jamblich. *l. c.* patet, non opus esse emendatione Is. Casauboni *ΠΟΤΩΝ* legi jubentis, quamvis defensa et ab Aeg. Menagio, locoque simili confirmata, (cf. *aur. carm. v.* 32. *ss.*)

οὐδ᾽ ὑγιείης τῆς περὶ σῶμ᾽ ἀμελείαν ἔχειν χρὴ·
ἀλλὰ ΠΟΤΟΥ τε μέτρον, καὶ σίτου, καὶ γυμνασίων τε
ποιεῖσθαι. —

22) Diog. Laërt. *VIII.* 34. *p. m.* 515. laudat Aristotelem, *περὶ κυάμων*, qui hoc Pythagorae praeceptum de abstinendo a fabarum esu commemoraverit: quicum consentit Cicero *de divin. I.* 30. Lucian. in *vitar. auction. to. I. p.* 545. *ed. Reitz.* Pythagoram vero fabas discipulis interdixisse, quod flatulentiam efficerent, hincque meditationi obessent, cum Cicerone *l. c.* Diog. Laërt. *VIII.* 24. *p.* 502. et Jamblich. de *vit. Pythag, c.* 24. *p. m.* 107. adfirmant. Cf. praeter illos *Balth. Huidekoperus* de sensu hujus Pythagorici symboli: *κυάμων ἀπέχου*, *in Miscell. Belgic. vol. VI. to. II. p.* 417 — 451. Hunc enim virum latere ibi sub nota R. R. didici a Dorvillio ad *Chariton. p.* 609.

23) Quamquam nec ignoro, fuisse inter veteres scriptores, qui pisces a Pythagora scholae suae adseclis fuisse concessos traderent. Jamblich. *l. c. c.* 21. Diogen. *VIII.* 34. etc. De usu carnium, a Pythagora prohibito, cf. quae Meinersius (*Gesch. d. Wissensch.* vol. 1. lib. 3. p. 418.) protulit. Sed hoc falsum est, quod negat, Pythagoram in illa fuisse sententia. Ipse enim teneris salubrioribusque animalium carnibus utebatur, quod Cocchius diu jam evicit in Discorsi Toscani P. II. disc. 8. *C. Sprengel* (krit. Gesch. d. Med. To. I. §. 59. not. 9.)

tatem, ut et summa ingenia aliquid ex aetatis, qua vixerint, et hominum, quibuscum egerint, labe et opinionibus traherent: tamen, si forte in sententiam incido obscuram, aut plane ineptam, quae cuidam inter veteres sapienti tribuitur, malo vel ignorantiam profiteri meam, vel, si licet, ita explicare, ut cum temporum ratione, hominisque conveniat doctrina, aliis iisque luculentioribus testimoniis probata, quam vel sensum inferre ingeniosum magis, quam verum, vel, relictis omnibus, quas commoda licuerat explicatione tollere, ineptiis, ignorantiam ridere eorum, qui quondam sapientes audiebant. Quam judicii lenitatem jure postulare posse videntur homines, quorum de sermonibus librisque quaedam tantummodo fragmenta, veluti exiguae navigii, tempestatis furore fracti atque discussi, tabulae, hinc inde dispersa nobis restant, e quibus interdum vix, et ne vix quidem cognosci potest, quid sibi voluerit auctor, et quomodo toti fuerint orationi adaptata. Audaciae igitur, ne quid gravius dicam, accusandi videntur, qui illa fragmenta, quamvis manifesta habeant corruptae orationis signa quodammodo impressa, sintque ab hominibus servata, quorum fides debeat esse sublesta, undiquaque tamen collecta, seu potius corrasa in unum pro sua fingendi libidine cogunt, sicque *humano,* quod ait Horatius, *capiti cervicem jungunt equinam.* Hi profecto non antiquissimorum hominum sententias exponunt, sed sua ipsorum nobis offerunt somnia, nec idonei sedent judices, cum merita veterum in literas artesque liberaliores sunt dijudicanda. —

Quam igitur parsimoniam in victu, temperantiam in animi commotionibus, corporis tuendi causa, observandam discipulis suo ipsius exemplo praecipiebat Pythagoras, eandem continentiam in rebus quoque venereis secundae valetudini conservandae necessariam esse adfirmabat. Amplexum enim omnem, quamvis rarum, sanitati tamen pestiferum, illique tantum concedendum

esse judicabat, qui infirmior, quam pro natura sua, esse velit: si tamen quis niteretur in vetitum, cuperetque negata, huic consulebat, ut hieme, non aestate, omnium optime autem vere atque auctumno Veneri Amorique litaret [24].

Atque haec fere sunt, quae in Pythagora aliquod ejus medicinae, quae victus rationem constituit, studium, aliquam ejus cognitionem fuisse indicant. Illius vero, quae manu curat, cum non habeam ullum a Pythagora factae specimen, statim ad ea deveniam, quae de corporis humani partibus, structura, origine, et de variis harum partium muneribus, eorumque peragendorum ratione commentatus est. Incipiam a primo futuri hominis veluti stamine, semine humano, et quaenam Pythagorae hoc de humore, et de ratione, qua ex illo homo oriatur certo quodam ac finito tempore, sententia fuerit, indicabo.

Putabat igitur Pythagoras, *semen esse stillam cerebri, quae contineat calidum vaporem, et ad vulvam delata glutinosam quandam pituitam, aquam et sanguinem largiatur* [25]. Quam quidem opinionem, obscuram illam, ut mihi videtur, liceat experiri, an possimus explicatione reddere clariorem. Ac primum quidem si, divisa sententia, inquirimus in id, quid voluerit philosophus, cum semen esse cerebri quasi stillam adsereret, duplex sese nobis offert explicandi ratio. Poterat enim Pythagoras vel propterea semen adpellare cerebri stillam, quod illud, in cerebro secretum et praeparatum, ad naturam marium aeque ac femellarum [26]) destillare, opinabatur: quae sententia, non

---

24) Diogen. Laërt. *l. c.* 9. *p. m.* 495. quicum egregie convenit Diodor. Sicul. (*excerpt. de virt. et vit. p.* 555. *ed. Wesseling. to. II.*) et Stobaeus *serm. XVII. p. m.* 156. *ed. Tigur.* 1559. *Πυθαγόρας παρηγγύα μὴ πυκνὰ τὸν ἄνθρωπον ἀπὸ ἀνθρώπου· μὴ δεῖν συνεχῶς ἀφροδισιάζειν αἰνιττόμενος.*

25) Diogen. Laërt. *l. c.* 28.

26) Credebat enim Pythagoras, et femellas secernere, et, dum

aliena a rudiore adhuc istis temporibus rerum cognitione, etiam a discipulo Alcmaeone fuit defensa [27]: vel quod ad seminis praeparationem optimum requiri sanguinem [28]) existimabat: quod Plutarchus, vel quisquis tandem auctor illius libri, quem de iis, quae philosophis placuere, conscriptum in ejus operibus legimus, disertis verbis Pythagorae tribuit. Utra interpretatio sit vero propior, ego non definiam, qui, quam incerto et titubante pede in hisce antiquissimorum temporum monimentis explicandis sit progrediendum, noverim. Jam vero illud quoque attingam, quod semen ad vulvam delatum effundere quasi *pituitam* (*ἰχῶρα*) *aquam* (*ὑγρὸν*) et *sanguinem* (*αἷμα*) visum est Pythagorae. Nolo ex hisce Laërtii verbis illud cogere, atque philosopho tribuere, tria haec, *ἰχῶρα*, *ὑγρὸν*, *αἷμα*, esse principia seminis: nolo cum hac ejus sententia componere auctorem libri, *περὶ γονῆς*, qui ad Hippocratem refertur, cui semen ab optimis particulis omnis in corpore animali contenti fluidi constitui videbatur [29]).

---

morigerarentur, ejaculare semen. Cf. Plutarch. *de plac. philos. V. c.* 5. Vide infra eandem sententiam ab Alcmaeone, Empedocle, et Democrito defensam.

27) Plutarch. *l. l. c.* 4. *Ἀλκμαίων ἐγκεφάλου μέρος* sc. semen esse putabat. Videtur ergo hanc a praeceptore sumsisse sententiam. Nolo enim illud adfirmare, fuisse illam toti Pythagoricae scholae communem: quamquam et Platonem novi, quem sunt, qui Pythagoraeorum scripta compilasse arguant, similem plane de semine fovisse sententiam. Plutarch. *l. c.* Praeter hosce scriptores etiam Claudio Ptolemaeo *περὶ κριτηρίου καὶ ἡγεμονικοῦ*, a Menagio ad *Laërt. p.* 365. laudato, eandem opinionem amplecti placuit.

28) Plutarch. *l. c.* *Πυθαγόρας ἀφρὸν* (vel ob particularum semen constituentium subtilitatem, atque adeo levitatem, vel ob albidum colorem) *τοῦ χρηστοτάτου αἵματος τὸ σπέρμα περίττωμα τῆς τροφῆς, ὥσπερ τὸ αἷμα καὶ μυελόν.* Quid vero sit *περίττωμα τῆς τροφῆς* i. e. *cibi recrementum,* et quomodo sanguis, medulla atque semen sic vocari queat, liceat Galeni (*de sanitat. tuend. I. c. 3. p. 42. to. VI. ed. Charter.*) verbis docere: *κἂν τούτῳ τὸ μὴ κατεργασθὲν ἀκριβῶς, μηδ᾽ ἐξομοιωθὲν οὔτε προσφύεται τῷ σώματι, καὶ ὡς περιττὸν ἀλᾶται κατὰ τὰς ἔνδον εὐρυχωρίας, ὅθεν περ αὐτῷ καὶ τοὔνομα πρὸς τῶν ἔμπροσθεν ὀρθῶς ἐτέθη ΠΕΡΙΤΤΩΜΑ.*

29) *To. III. p.* 190. *ed. Charter.* *ἡ δὲ γονὴ τοῦ ἀνδρὸς ἔρχεται*

Id potius agendum mihi esse sentio, ut ostendam, quo jure τὸν ἰχῶρα verterim *pituitam*. Quam quidem notionem non vanam atque confictam esse, uno Aetii loco sufficiat probasse. Adpellat vero is glutinosam illam pituitam, (recentiores *gelatinam* vocant,) quae e cochleis, acu vulneratis, profluere solet, ἰχῶρα hoc quidem in loco: *τρίβε ἐπιβαλὼν κοχλίων χερσαίων μεγάλων τὸν ΙΧΩΡΑ. δεῖ δὲ τούτους διακεντεῖν γραφίῳ ζῶντας, καὶ τὸ ἀποῤῥέον μυξῶδες ἐπιβάλλειν τῷ φαρμάκῳ.* Idem igitur ἰχὼρ et μυξῶδες [30]).

Hanc et seminis materiam, quam et feminae coëuntes projiciant [31]), continere aliud quoddam principium, quod forma et corpore careat, (ἀσώματον Graeci vocant,) et in quo posita sit praecipua seminis vis [32]); ab illa formari carnes, membranas, nervos, ossa, capillos, totumque corpus animale: ab hoc vero animam sensumque provenire [33]). Delatum ad naturam muliebrem semen coire in massam quandam, rudem adhuc et indigestam, quae intra quadraginta dierum spatium in corporis humani formam effingatur, et septem, aut novem, aut decem ad summum mensibus secundum harmoniae leges in perfectum atque omnibus numeris

---

ἀπὸ παντὸς τοῦ ὑγροῦ τοῦ ἐν τῷ σώματι ἐόντος, τὸ ἰσχυρότατον ἀποκριθέν. Fluidas vero corporis nostri partes constituit has, sanguinem, aquam, bilem et pituitam. In una igitur bile differt a Pythagora incertus, sub Hippocratis nomine latens, auctor.

30) *tetrabibl. libr. VIII. p.* 150. *ed. Aldin.* Aristot. *h. a.* 3. 19. p. 256. *ed. Du Val.* ἰχῶρες pro succo illo ex cibis digestis parato s. chymo adhibere videtur. Apud Platon. in Tim. ἴχωρ vocatur ὁ αἵματος ὀῤῥός. Galen. comm. 6. in Hipp. epid. II. c. 38. in libr. d. artic. I. 30. Cons. quae de hac voce disputavit Harless. l. c. p. 174. not. 14. et in seqq.

31) Plutarch. *l. c. V. c.* 5.

32) Plutarch. *l. l. c.* 4. *Πυθαγόρας, Πλάτων, Ἀριστοτέλης ἀσώματον μὲν εἶναι τὴν δύναμιν τοῦ σπέρματος ὥσπερ νοῦν τὸν κινοῦντα· σωματικὴν δὲ τὴν ὕλην προχεομένην.* Diog. Laërt. *l. c.* 28. *τὴν σωματικὴν ὕλην* vocat *σταγόνα ἐγκεφάλου*, et *τὴν δύναμιν ἀσώματον* exprimit per *θερμὸν ἀτμόν.*

33) Diogen. Laërt. *l. c.*

absolutum foetum efformata excludatur [34]). Habere infantem, recens in lucem editum, omnes quidem ad vitam necessarias facultates, earumque connubium ali et sustentari harmoniae legibus: easdem vero facultates certis demum et finitis temporibus sensim sensimque quasi evolvi ac excoli. Atque hunc quidem sensum, qui subobscuris hisce Laërtii [35]) verbis inesse mihi videtur, ἔχειν ἐν αὐτῷ (sc. τὸ βρέφος, quod proxime praecedebat, non σπέρμα, quod Mer. Casaubonus [36]) voluit,) πάντας τοὺς τῆς ζωῆς λόγους, ὡς εἱρομένων συνέχεσθαι κατὰ τοὺς τῆς ἁρμονίας λόγους, ἑκάστων ἐν τεταγμένοις καιροῖς ἐπιγιγνομένων, liceat exemplis quibusdam magis illustrare. Scilicet cognoverat, ut hoc utar, Pythagoras, hominem, nisi quodam in sensus membraque sui corporis fruatur imperio, non posse sibi victum facile comparare suum: observaverat, infantem, nisi ad finitum aetatis terminum pervenisset, impotentem esse corporis sui dominum: experientia edoctus noverat, animi facultates, velut ignis semina in silice, absconditas latere, et, nisi diligenti eliciantur nutrianturque cura, torpere: viderat denique quasdam corporis humani partes v. c. dentes etc. aliquantulum temporis demum post partum propullulare

34) Cum his, quae e Diogene *l. c.* hausta sunt, conferenda sunt, quae Censorin. *de die natal.* c. 9. *et* 11. de hac Pythagorae sententia scripsit. Hic enim adserit, Pythagorae duo partus genera placuisse, septem mensium alterum, alterum decem: utrumque partum aliis dierum numeris conformari: illos numeros, qui in unoquoque partu aliquid mutationis adferant, dum aut semen in sanguinem, aut sanguis in carnem, aut caro in hominis figuram convertatur, inter se collatos rationem habere eam, quam voces habeant, quae in musica σύμφωνοι vocentur etc. — Quae unde hauserit Censorinus, et an vere sint e Pythagorae mente disputata, me nescire lubens profiteor.

35) *l. c. sect.* 29. *p. m.* 511.

36) Cf. ille ad Diogenis *l. c.* ubi cum hisce Pythagorae verbis Senecam confert, ita de semine disputantem: *ut in semine omnis futuri hominis ratio est comprehensa, et legem barbae et annorum nondum natus infans habet: totius enim corporis in parvo occultoque lineamenta sunt: sic* etc.

quasi, atque in conspectum prodire, sine quibus manca atque imperfecta maneret corporis nostri machina. Haec igitur intellexisse videtur per *λόγους ζωῆς*, quorum veluti principia et semina, in foetu etiam sparsa, sensim sensimque in infante adolescente progerminarent, et tempore et cultu ad maturitatem perducerentur. Neque tamen sum aut tam pertinax hujus de intelligendo Diogenis loco factae conjecturae propugnator, quin meliora edoctus hanc cum Augusti Ajace in spongiam incidere jubeam, aut tam cupidus eorum, quae ab antiquissimis Graeciae Latiique philosophis scripta et disputata sunt, admirator, ut illius, a Pythagora prolatae, opinionis patrocinium in me suscipere velim. Etenim id solum mihi agendum esse videtur, ut, quaenam fuerit Pythagorae mens, quidve spectaverit hac vel illa sententia, recte intelligatur.

Neque vero philosophum fugiebat, viam quoque ac rationem, qua res externae in sensus animamque agant, dignam esse, quam indagandi studio sapiens complectatur suo. Itaque diligentius sensuum natura considerata, omnium optime sibi videbatur eam explicare posse posito quodam calidae indolis vapore, cujus ope vel visu, vel auditu, vel olfactu, vel gustatu, vel tactu denique res omnes extra animam positae, atque in sensus cadentes perciperentur. Inprimis vero cerni vaporis illius vim in oculis, atque efficere, ut corpora, visu cognoscenda, etiamsi aëre et aqua sint veluti septa, cerni possint. Si enim vaporis illius indoles frigida foret, nos visus sensu destitutum iri, cum, vapore illo cum aëre aquaque ejusdem naturae, frigidae scilicet, permixto, nihil sit, quod rerum objectarum imagines ad oculos deferre queat [37]). Sed illo tamen,

---

37) Diog. Laërt. *VIII*. 29. *p. m.* 512. cujus loci ea tantum verba adducam, quae a Tiedemanno (*Griechenlands erste Philosophen* p. 519.) impugnata atque emendata sunt: *τήν τε αἴσθησιν κοινῶς, καὶ κατ᾽ εἶδος τὴν ὅρασιν ἀτμόν τινα εἶναι ἄγαν θερμόν. καὶ διὰ τοῦτο λέγεται δι᾽ ἀέρος ὁρᾷν, καὶ δι᾽ ὕδατος. ἀντερεί-*

quamvis multum adjuvetur, non absolvi omnem sentiendi facultatem: reperiri enim praeter illum in unoquoque quoddam illorum principiorum, e quibus omnia, quae in oculos sensusque incurrunt, facta atque conflata sint; ad visum quidem aetherem, ad gustum aquam, ad auditum aërem, ad olfactum ignem, ad tactum denique terram conferre quam plurimum 38).

Nescio, an opportunior se offerat occasio, de anima e Pythagorae sententia exponendi. Videtur ille quidem locus paulo alienior esse a nostra disputatione, qua in medicam tantum Pythagorae scientiam inquirere constituimus. Dabit tamen nobis, opinor, hujus rei veniam lectorum humanitas, cum illi sententiae, seu opinioni potius, quaedam quasi adspersa sint, quae

---

δεσθαι γὰρ τὸ θερμὸν ἀπὸ τοῦ ΨΤΧΡΟΤ. ἐπεί τοι εἰ ΨΤΧΡΟΣ ἦν ὁ ἐν τοῖς ὄμμασιν ἀτμὸς, διειστήκει ἂν πρὸς τὸν ὉΜΟΙΟΝ ἀέρα. Ultima verba ita a Viro clarissimo vertuntur: *calidum a frigido reprimitur: si igitur vapor, in oculis contentus, frigidus esset, separaret se ab aëre contrario h. e. calido.* Legit enim *ἀνόμοιον*. Ut fatear, quod sentio, alia mihi de hoc Laërtii loco mens est, quam lubet brevibus explicare, audireque virorum doctiorum sententias. Diogen. *l. c.* 27. 28. etc. vocat aërem *ψυχρὸν:* nec hoc cum Tiedemanno *l. c.* p. 515. propterea in *ὑγρὸν* mutandum est, quod Timaeus ignem statuit siccae calidaeque, aërem calidae et humidae, aquam humidae, et frigidae naturae, terram denique frigidae et siccae esse. Poterat enim haec discipuli sententia esse, nec eadem praeceptori debebat tribui. Deinde, fac, scribatur *ἀνόμοιον* e viri clarissimi sententia: nec sic omnis sublata est loci difficultas. Si enim ita tantum videre res objectas possumus, ut aër sit una cum illo vapore, cujus ope uti omnis omnino sensus, ita et visus absolvitur, calidae naturae: qui per aquam videre poterimus, quae ut antea e Timaeo narratum est, frigida est. Id ipsum sentiebat pro suo ingenii acumine cl. Tiedemannus *l. c.* *p.* 518. atque elabendi rimam quaerebat in eo, ut concederet quidem frigidam aquae indolem, eam tamen radio ignis aetherei penetrari, (Diog. Laërt. VIII. 27.) sicque idoneam reddi statueret, per quam res visu cognoscendas videre possimus. Quid multa? Mihi videtur Laërtii locus ita legendus: *ἀντερείδεσθαι — ἀπὸ τοῦ ψυχροῦ. ἐπεί τοί γε — ἀτμὸς οὐ διειστήκει ἂν — ὅμοιον ἀέρα,* i. e. *oppugnari enim calidum a frigido: alioquin, si frigidus esset in oculis contentus vapor, non discreparet ab aëre simili,* s. *commisceret se cum aëre similis naturae* h. e. *frigidae.*

38) Stobaeus *eclog. phys. I. p.* 156.

ad corporis humani structuram pertinent atque oeconomiam. Anima igitur Pythagorae videbatur composita esse, et constare ex aethere tam calido, quam frigido, atque adeo, cum per istum intelligeret ignem, purum illum, aethereumque, qui omnia pervadendo omnibus vitam motumque tribuat, verbo Deum; per hunc autem aërem; partim divinae esse naturae, partim e materia conflata. Illam animae partem esse immortalem, uti aetherem, e quo sit desumta, hanc vero perire: illam ratione praeditam, corporisque esse veluti reginam, hanc, et cupiditatum (φρένων), et adfectuum (θυμοῦ) *) matrem, illius imperio subjectam esse: illam per se subsistere, hanc indigere nutrimento, idque e sanguine sumere: illam, utpote simplicem, forma carere omni, hanc, compositam et extensam, formam imitari corporis, sicque ab hoc morte solutam in aëre vagari. Totam vero, tam illam, quae ratione, quam quae cupiditatibus adfectibusque constet, animam ita in corpore dispositam, ut adfectus occupent cor, cupiditates vero cum ratione in cerebro quasi regnent: contineri denique omnes illas tres partes venarum, arteriarum, nervorumque vinculo [39]).

Memini me supra e variorum scriptorum locis ostendere, Pythagoram Aegyptum discendi causa adiisse, ibique cum sacerdotibus, penes quos utilissimarum maximeque mirabilium rerum cognitio recondita esse existimabatur, congressum, et, ut arcanam ipso-

---

*) Harless. *l. c.* putat, per *θυμὸν* intelligi posse *τὸ ἐνορμῶν*, et *τὸ ἔμφυτον θερμὸν* Hippocratis, Platonis *πνεῦμα*, et Aristotelis *ζωὴν*, verbo *vim vitalem* recentiorum.

39) Sunt haec desumta e Diogene Laërt. *l. c.* 30. 31. coll. cum Plutarch. *de placit. philos. IV.* cc. 4. 5. et Ciceron. *quaest. Tusc. I.* 17. — Hall. *bibl. anat.* to. I. p. 10. observat, anachronismum in hac voce reperiri, quoniam tempore Pythagorae nondum distinctio invaluerit inter venas et arterias. Inde tamen de hujus loci *νοθείᾳ* non valet conclusio. Nam poterat Diog. Laert., judice Harlessio, vocem *φλέβες*, qua sola Pythagoras usus fuerat, auxisse voce *ἀρτηρίαι*, ut Pythagoram de omnibus vasis sanguiferis dixisse distinctius innueret.

rum cognosceret scientiam, multa perpessum fuisse. Ibi duo et viginti annos commoratus, Magos Persarum adiisse fertur, indeque redux in Graeciam, civitate, in qua fortunarum sedem figere posset, quaesita, tandem Crotone consedit, scholamque aperuit, multis magnorum virorum nominibus nobilitatam. Jam igitur apparere puto, unde Pythagoras sua, nisi omnia, plurima tamen, hauserit, et unde explicandarum sententiarum, quae hujus philosophi scholae propriae erant, subsidia sint petenda. Quamquam vero multa deprehendimus, ab illo ex Aegyptiorum sacerdotum disciplina inter suae scholae sententias fuisse adoptata; duplicem v. c. illam docendi rationem, communem alteram, quae ad omnes ipsius pertinebat discipulos, alteram vero arcanam, cui paucis tantum iisque probatis interesse amicorum contingebat: religiones varias, superstitiosasque expiationes: abstinentiae a variis cibis praecepta, idque genus alia: tamen adeo non in verba praeceptorum jurabat, ut potius ea, quae aliter se habere repererat; libere corrigeret, suamque mentem discipulis exponeret. Liceat mihi, id probaturo, uno tantum exemplo defungi. Quemadmodum communis erat omnis Orientis populis opinio, ut omnia omnino insecta e putrescentibus generarentur cadaveribus: ita Aegyptii inprimis gloriabantur de illa, reparandi apum stirpem e vitulo bienni, plagis peremto, arte [40]). Eandem generandi virtutem tribuebant limo, quem effusus per agros reliquerat Nilus [41]). Ex illo enim, solis aestu

---

40) Cons. Bochart. *hieroz. libr. IV. c.* 10. *p. m.* 502. *ss.* Virgil. *georg. IV.* 281. ad q. l. cf. vir illustris, Heynius, qui laudavit de hac opinione communi interpretes Varron. *de re rust. II.* 5. 5. *p.* 271. *ed. Gesn.* et *III.* 16. 4. *p.* 364. ubi inprimis legi meretur erudita Gesneri nota.

41) Diodor. Sicul. *bibl. I. c.* 7. *p.* 11. *edit. Wesseling.* *τοῦ δὲ ἐξ ἀρχῆς ζωογενεῖν τὴν γῆν, εἰ καὶ παράδοξον εἶναί τισι φαίνεται τὴν τότε ἐνέργειαν, φασὶ καὶ τὰ μέχρι νῦν γινόμενα μαρτυρεῖν ἑαυτοῖς. κατὰ γὰρ τὴν Θηβαΐδα τῆς Αἰγύπτου, καθ᾽ οὓς ἂν καιροὺς πλεονάσῃ τὴν ἀνάβασιν ὁ Νεῖλος — πλῆθος μυῶν ἐκ γῆς ἀναρίθμητον γεννᾶσθαι* etc. Qui locus cum non satis co-

siccato, cum animadverterent Nilicolae provenire ingentem murium vim; et hanc horum animalium generationem a Nili fecunditate derivabant. Pythagoras vero hujus opinionis vanitate adeo non decipi se patiebatur, ut potius communi praeceptorum suorum errori haud cederet, sed libere negaret, istam generationem naturae legibus fieri posse: animalia enim tantum semine ab animalibus, non putredine procreari [42]).

Dierum denique criticorum, quos climactericos vocant, leges primum a Pythagora fuisse observatas scriptasque, sunt, qui Galeni [43]) auctoritate inducti contendant. Verum enim vero, quamvis ego multa legerim, quae Pythagoram multum studii posuisse in numerorum natura rimanda, atque quibusdam numeris tribuisse, nescio quam, praestantiam et excellentiam prae reliquis doceant: tamen nescio, an locupleti scriptoris antiqui testimonio probari queat, philosophum hanc de numerorum natura doctrinam ad morbos an-

---

haereat cum antecedentibus, in marginem a Wesselingio proscriptus est: juste, an injuste, docebit Chr. Dan. Beckius, Vir haud levi graecae linguae cognitione, et criticae artis facultate imbutus, cujus novam Diodori editionem mecum non poterit non avide exspectare quilibet graecarum literarum amans. Vid. et Mela *libr. I. c.* 9. Plinius *hist. nat. IX. c.* 58. Macrob. *saturn. VII.* 16. Deinde (sc. postquam natura primum singula animalia perfecta formavit,) perpetuam legem dedit, ut continuaretur procreatione successio: perfecta autem in exordio fieri potuisse, testimonio sunt nunc quoque non pauca animantia, quae de terra et imbre perfecta nascuntur, ut in Aegypto mures, et aliis in locis ranae serpentesque et similia.

42) Diogen. Laërt. *l. c.* 28. *p. m.* 510.

43) *de facil. parabil. med. libr. III. to. X. p.* 663. ubi tamen, libro diligenter perlecto, ne vestigium quidem invenire potui illius Pythagorae tributae opinionis. Hoc quidem constat, illum distribuisse humanam vitam in quatuor aetates, et unicuique viginti tribuisse annos. Diog. Laërt. *l. c.* 10. *p.* 495. Nisi tamen quis velit sola Galeni auctoritate acquiescere, qui (*de dieb. crit. libr. III. c.* 8. *p.* 501. *to. VIII.*) Pythagoram miratur, quamvis sapientem, tamen nimium numeris tribuisse. E quibus quidem verbis ego tamen nescio, qui illud cogi possit, Pythagoram jam dierum quandam statuisse differentiam, aliosque, tanquam tunc de aegris judicaretur, criticos (κρισίμους) adpellasse. — Censorini enim (*de die nat. c.* 14.) testimonium, vereor, ut ulla apud severiores judices sit auctoritate.

nosque vitae humanae transtulisse, diesque annosque hos sanitati vitaeque inimicos nostrae, illos innocuos judicasse.

Pertractatis igitur his, quae Pythagoram non oscitantem fuisse corporis humani spectatorem ostendunt, liceat subiungere ea, quae de morborum et causis et remediis statuerit. Videtur tamen ante omnia exponenda esse, quam sibi finxerat sanitatis notionem. Et eam quidem variam variis in locis finivit. Nunc enim illam constantem formae florem (εἴδους διαμονὴν) vocitando [44]) ad id respiciebat, quod prosperam sequi valetudinem solet; nunc amicum quendam consensum et harmoniam [45]), ad causam fundamentumque, cui innixa consistit. Quae quidem harmonia in quonam praecipue posita fuerit, quamquam Pythagorae verbis docere non possumus: tamen id illorum, qui eius auctoritatem amplectabantur, scripta satis ostendunt. Theages enim sanitatem cerni existimabat in apta quadam facultatum, quae in nostro corpore sunt, temperie: et quemadmodum in musica arte omnis pereat concinnitas et harmonia, si quis acutos et graues sonos, illorumque ad hos rationem tollere velit: ita et concussam corruere sanitatem, ratione, quae inter frigidum et calidum, inter humidum et siccum etc. e naturae legibus obtinere debeat, sublata [46]). Iam vero quod ad causas morborum attinet, quamquam eas poterat ex harmoniae perturbatione deriuare; tamen, silentibus hac de re omnibus, qui vitae eius opinionumque scriptores nostram tulerunt aetatem, illam sententiam non fouisse videtur, potiusque omnium morborum causas huic uni subiecisse: immensa illa aëris aequora plena esse ani-

---

44) Diogen. Laërt. *l. c.* 35. *p. m.* 518.

45) Ibid. §. 33. *p. m.* 514.

46) Apud Stobaeum *sermon. I. p. m.* 9. *lin.* 35. *ss. coll. cum pag.* 12. *lin.* 17.

mis, quae daemonum atque heroum nomine insignes hominibus somnia immittant, signaque morborum tradant et sanitatis [47]). In cuius quidem opinionis patrocinio suscipiendo parum, imo vero nihil dissentiebat a communi suae aetatis, et antiquiorum adhuc temporum errore, quo cum omnes morbos, tum illos, qui celeriter et praeter opinionem incidunt, hominesque opprimunt, quorumque signa insolita sunt, et immanitate terrent sua, Deorum irae tribuebant. Hinc facile est ad perspiciendum, in quonam potissimum, uti tota antiquitas, ita et ille collocauerit morborum tollendorum remedia, prosperaeque valetudinis tuendae subsidia. Expiationes scilicet, sacrificia, lustrationes, aliaque, quibus daemonum heroumque illorum ira leniri possit, satis efficacem praebere medicinam ipsi videbantur. Neque tamen in illorum usu solo omnem medendi morbis scientiam positam a Pythagora fuisse putandum est; musices enim in hominum animos vim ita cognitam perspectamque habuit, ut ipsam non dubitaret tum adhibere, cum tristitia ac moerore debilitatos penitusque fractos, aut vehementioribus animi commotionibus de statu mentis deiectos deprehenderet [48]). Qua in re exemplo praeiuit suo summis in arte nostra viris [48b]), cum quos antiqua, tum quos recentior protulit aetas. Galenus [49]) enim,

---

47) Diogen. Laërt. *l. c.* 32. *p.* 514.

48) Hujus rei testimonium peti potest e Timaeo apud Galeum (*opusc. myth. p.* 562.) coll. cum Porphyr. in *vit. Pythag. num.* 30. *p.* 36. et 33. *p.* 37. — Quid? quod et ebrios comessatores ad sanam revocavit mentem musices vi. Cs. Basil. Magn. or. *de leg. gent. libr.* §. 13.

48b) *Porphyr.* in *vit. Pythag.* *καὶ ὑγιαίνουσι μὲν αὐτοῖς συνδιέτριβε, κάμνοντας δὲ τὰ σώματα ἐθεράπευε, καὶ τὰς ψυχὰς νοσοῦντας παρεμυθεῖτο τοὺς μὲν ἐπῳδοῖς καὶ μαγείαις, τοὺς δὲ μουσικῇ.* E quo loco luculentissime apparet, eum musica curasse morbos corporis, et hilares reddidisse animos, atque sic medicinam praebuisse morbis animi. Distinguit enim Porphyrius *ἐθεράπευεν* et *παρεμυθεῖτο.*

49) *de sanit. tuend. I. c.* 8. *to. VI. p.* 53. quo in loco etiam hujus consilii auctor laudatur Aesculapius: *οὐκ ὀλίγους δ᾽ ἡμεῖς ἀνθρώπους νοσοῦντας ὅσα ἔτη διὰ τὸ τῆς ψυχῆς ἦθος ὑγιεινοὺς ἀπε-*

ut unum e multis laudem, hac ipsa ratione multos persanatos fuisse adfirmat, quos effrenis animi perturbati licentia adflixerat, nec tota medicamentorum farrago restituere sanitati poterat suae. Galeno illustres temporum recentium medicos liceat comites adjungere [50]), quorum luculento ac locupleti testimonio constabit, non vana esse, quae de musices in animi commotionibus sedandis vi tradiderant antiqui, sed experientia, firmissimo salutaris professionis fundamento, niti. His, quae Pythagoram medicinam fecisse probare videntur, nescio, an addere debeam cum illud, quod, solo Diodoro [51]) teste, Pherecydem decumbentem adiit, morboque liberare sit omnibus viribus conatus: tum quod magis externis remediis, quam internis in usum vocatis contra morbos pugnaverit, et illis ut plurimum ad ulcera sananda usus sit, quorum in curatione secare atque vrere noluerit. Id enim de schola tantum, cui nomen famamque dederat Pythagoras, Jamblichus [52]) ita narrat, ut in-

---

δείξαμεν ἐπανορθωσάμενοι τὴν ἀμετρίαν τῶν κινήσεων. οὐ σμικρὸς δὲ τοῦ λόγου μάρτυς καὶ ὁ πάτριος θεὸς ἡμῶν, Ἀσκληπιὸς, οὐκ ὀλίγας ᾠδάς τε γράφεσθαι, καὶ μίμους γελοίων, καὶ μέλη τινὰ ποιεῖν ἐπιτάξας etc.

50) Vid. D. Jo. Wilh. Albrecht *de effectu mus. in corp. anim. p.* 122 — 136., ubi medicorum omnium fere, qui musices in corpus animale efficaciam experti sunt, testimonia diligenter collecta legi possunt; et *Ern. Ant. Nicolai* (*Die Verbind. d. Musik mit d. Arzneigelahrth. Halle* 1735. 8.). Vid. *J. Ge. Fr. Franz. de legib. metric. p.* 1. Conf. et *Weberi* additam. ad vernac. vers. *Tissoti de morb.* nervor.

51) *In excerpt. de virt. et vit. p.* 554. *Πυθαγόρας πυθόμενος τὸν Φερεκύδην — ἐν Δήλῳ νοσεῖν, καὶ τελέως ἐσχάτως ἔχειν, ἔπλευσεν ἐκ τῆς Ἰταλίας εἰς τὴν Δῆλον. ἐκεῖ τὸν χρόνον ἱκανὸν τὸν ἄνδρα γηροτροφήσας, πᾶσαν εἰσενέγκατο σπουδὴν, ὥστε τὸν πρεσβύτην ἐκ τῆς νόσου διασῶσαι, κατισχύσαντος δὲ τοῦ Φερεκύδου* etc.

52) *De vita Pythag. c.* 34. *p. m.* 204. *ἅψασθαι δὲ καὶ ΚΑΤΑΠΛΑΣΜΑΤΩΝ ἐπιπλεῖον τοὺς Πυθαγορείους τῶν ἔμπροσθεν· τὰ δὲ περὶ τῆς ΦΑΡΜΑΚΕΙΑΣ ἧττον δοκιμάζειν. αὐτῶν δὲ τούτων πρὸς τὰς ἑλκώσεις μάλιστα χρῆσθαι. τὰ δὲ περὶ τὰς τομὰς καὶ καύσεις ἥκιστα πάντων ἀποδέχεσθαι.* Jac. Loganus in *misc. observ. nov. to. I. p.* 10. emendat *ἅψασθαι δὲ χρισμάτων* (seu *χρίσεων*) *καὶ καταπλασμάτ.* nescio, an necessaria conjectura.

certum relinquat, atque infinitum, an praeceptoris id ea fecerit auctoritate, et exemplo inducta, nec ne [52b]).

Haec igitur, quae salutaris artis aliquam scientiam in Pythagora fuisse ostendunt, utrum e libro aliquo, de medicina a Pythagora scripto, petita, an solummodo ex sermonibus, ad familiares habitis, hausta sint, iam nunc breuiter disquiramus. Equidem illud opus, quod *de natura* conscripsisse fertur [53]), non commemorabo, cum nullo constet aut inde decerpto fragmento, aut alius scriptoris testimonio, philosophum in illo tractasse naturam hominis, humani corporis partes et structuram considerasse, earumque varia munera, et munerum peragendorum variam rationem explorasse. Maiori fortasse iure poteram ad alium de magicis herbarum viribus librum prouocare, quem Plinius [54]) ad Pythagoram refert auctorem. Cuius quidem operis aliqua videtur pars in medicis scillae virtutibus explicandis occupata fuisse. Plinius certe cum vires scillae medicas magicasque enarrat, Pythagoram laudat philosophum, nec alius, quam quem ab hoc de magicis herbarum viribus conscriptum esse commemoraui, libri iniicit mentio-

---

Magis placet, quod τὰ περὶ τῆς φαρμακείας exponit de potionibus et medicamentis internis: quem sensum hisce verbis inesse debere, antea jam notaveram, quam in hujus viri notas incidebam, quibus Kusteriana Jamblichi editio augeri potest. — Ferrum ignemque ad ulcera sananda olim adhibitum fuisse, docent plura Celsi loca v. c. *V. c.* 26. vetus autem ulcus *scalpello concidendum* (ita leg. cum Leon. Targa *p.* 283.) est, *excidendaeque* ejus orae, et quicquid super eas livet, *incidendum*. Ibid. *p.* 284. post *ustionem* putris ulceris etc.

52b) Pythagoricos circa Siciliam medicantes φράγμον vocare morbum, qui ileos vocetur, *Cael. Aur. acut. III.* 17. auctor est.

53) Diogen. Laërt. *l. c.* 6. *p.* 492. γέγραπται δὲ τῷ Πυθαγόρᾳ συγγράμματα τρία· παιδευτικὸν, πολιτικὸν, φυσικόν.

54) *histor. nat. XXV. p. m.* 360. ab eo (Homero) primus Pythagoras, clarus sapientia, de herbarum effectu volumen composuit, Apollini, Aesculapioque, et in totum Diis immortalibus inventione et origine adsignata. Cui loco add. et *libr. XIX. c.* 5. *p.* 169. „unam de iis (scillae generibus) volumen condidit Pythagoras philosophus, colligens medicas vires, quas proximo reddemus libro.“

nem. Plinii partes amplectitur et auctor libri tertii *de medicamentis facile parabilibus*, et Samium philosophum in scillae vires inquisiuisse testatur [55]). Quae omnia, quamuis probabiliter disputari possent: tamen cum non ignorem, et Plinium sibi non constare, et alio in loco, quem nunc Pythagorae tribuit librum, eundem Cleemporo a multis adsignari, profiteri [56]), coniecturis non diutius inhaerebo speciose exornandis. Quamlibet enim eligamus sententiam, seu libros a Pythagora de medicina compositos adfirmemus, seu cum aliis contrarias amplectamur partes; hoc tamen, cuius causa haec omnia hucusque sunt disputata, extra omnem dubitationis aleam positum esse videtur, fuisse in Pythagora et studium et intelligentiam salutaris artis, pro illorum temporum ratione insignem.

A L C M A E O N.

In huius viri, quamquam a Celso in sapientum, medicinae studio illustrium, censum non relati, merita iniurius forem, si, quem in scholis suis, philosophiae contemplationi dicatis, etiam ea discipulos docuisse suos tradunt scriptores antiqui [1]), quae ad penitiorem corporis humani notitiam pertinent, silentio praetermiserim.

---

55) *to. X. p.* 663. *ὑγιεινὸν κάλλιστον τὸ περὶ σκίλλης Πυθαγόρᾳ γραφὲν — καὶ αὐτὸς μὲν ὁ Σάμιος γέρων (οὐκ ἀγνοεῖς γὰρ ὅσον χρόνον προέκοψεν) μέμνηται ἐν τῷ συγγράμματι* etc. Hinc nescio, an cum Menagio ad Diog. Laërt. *p. m.* 376. *b.* Mureti (*var. lect. IX. c.* 20. in *Gruter. Lamp. crit. to. II. p.* 1049.) emendatio sit reiicienda, in Diogene (*VIII.* 47. *p.* 525.) legentis *τὰ περὶ σκίλλης γεγραφότα* pro vulg. *τὰ περὶ κήλης γεγρ.* Pythagoram enim philosophum etiam scillam admiscuisse cibo, famis arcendae causa sumto, Porphyrius in *vit. Pythag. num.* 34. *p.* 38. *ed. Kuster.* auctor est.

56) *hist. nat. XXIV.* 17. *p.* 351. nec me fallit, hoc volumen ejus a quibusdam Cleemporo medico adscribi.

1) Diogen. Laërt. *VIII.* 83. *p.* 542. *Ἀλκμαίων Κροτωνιάτης, καὶ οὗτος Πυθαγόρου διήκουσε, καὶ τὰ πλεῖστά γε ἰατρικὰ λέγει.*

Ac dissectorum quidem animalium primam, si Chalcidio [2]) fides habenda, laudem sibi vindicauit, inprimis in oculi structura rimanda occupatus, de qua multa et praeclara in lucem protulit. Quae qualia fuerint, aliorum scriptorum testimoniis destitutis diligentius exponere haud licet. Etenim illa, quae Chalcidius *l. c.* de oculi natura, variis eius partibus, variaque harum coniunctione attulit, quamuis egregia, tamen, cum e pluribus scriptoribus sint collecta, in medio quasi relinquunt, quid ab Alcmaeone inuentum explicitumque fuerit. Vidit idem iam celebris historiae medicae scriptor, *Io. Henr. Schulze* [3]), cuius sententiam, a rei veritate haud alienam, meam facere haud dubitaui. Eandem, incisis cadaueribus comparatam, corporis animalis cognitionem comprobant ea, quae de ductu aliquo, ex aure in fauces hiante, teste Aristotele [4]), statuit Alcmaeon. Cum enim capras per aures respirare adsereret, videbatur viam aliquam inuenisse, quae ex aurium cauitate ad fauces tenderet. Istius tamen itineris descriptionem pro ea, qua erat in omnes, qui ipsius aetatem occupauerunt, viros,

---

2) *Comment. in Platon. Timaeum p.* 340. *ed. Meurs.* de oculi natura cum plerique alii, tum Alcmaeus (*varie enim scribitur hujus philosophi nomen: nunc* Alcmaeon, *nunc* Alcmaeus, *nunc* Alcman.) Crotoniensis, in physicis exercitatus, quique primus exsectionem adgredi est ausus, et Callisthenes, Aristotelis auditor, et Herophilus multa et praeclara in lucem protulerunt. Quae *Harles l. c. p.* 180. nuper disputavit de Chalcidii aetate nimis recenti, quam ut ipsi in hac re fides haberi queat, ea mihi ad persuadendum apta haud videntur.

3) Vid. *histor. anatom. spec. I.* diss. sub ejus praesidio defensa a Jo. Khelle. Altorf. 1721. §. 32. *p.* 30.

4) Cs. *histor. anim. libr. I. c.* 11. *p. m.* 770. *ed. du Vall.* *ἔστι δὴ κεφαλῆς μορίον, δι᾽ οὗ ἀκούει, ἄπνουν, τὸ οὖς. Ἀλκμαίων γὰρ οὐκ ἀληθῆ λέγει, φάμενος, ἀναπνεῖν τὰς αἶγας κατὰ τὰ ὦτα.* In quo loco qui e Varron. de *re rust. II.* 3. *p. m.* 260 coll. cum Plin. *hist. nat. VIII.* 50. *Ἀρχέλαος* pro *Ἀλκμαίων* legi malunt, (id quod fecere Victor. *var. lect. XXXVI.* 9. *p. m.* 988. et Mercurial. *var. lect.* 2. 10.) ii viderint, an cum rationibus chronologicis conjecturam componere possint suam. Vixit enim Archelaus ille Ptolemaeorum temporibus atque adeo post Aristotelis tempora. Animadversum est idem jam ad Arist. *l. c.* a commentatoribus.

innentorum laude claros, iniquitate [5]), reticuit Aristoteles ita, ut haberet, de cuius inuento posset gloriari. Nam paucis tantum interiectis, descripsit ductum, qui a *Bartholomaeo Eustachio* in inuenti honorem nomen accepit, sic, ut eum ab illo crederes demum fuisse detectum [6]).

At audio quosdam, qui Chalcidii testimonium eam ob rem ullius auctoritatis esse negant, quod is homo, cuius philosophiae praecepta carnium esum, omnemque omnino cadaueris contactum interdicebant, vix et ne vix quidem incisis animalium cadaueribus ad laudis honorem adspirare potuerit [7]). Quorum quidem adversariorum argumenta vereor, ne fundamento innitantur facile diruendo. De carnibus enim a Pythagoreorum victu exclusis, tanta inter scriptores antiquos dissensio est, ut difficillimum sit ad decernendum, quid hac in re placuerit illius familiae auctori. Sunt, qui Pythagoreos nulla praeceptoris lege coërcitos, atque carnium victu interdictos fuisse contendant; inter quos Aristoteles, Aristoxenus, Alexis [8]) aliique: alii, si numerum spectemus, laudatis superiores, sin aetatem fidemque, longe inferiores, contrariam tuentur sententiam [9]): alii denique mediam ingrediuntur

---

5) Conf. Hornius *hist. philos. libr.* 3. *c.* 15. *p.* 197. Moshem. ad *Cudworth. syst. intellect. p.* 111. *not.* 2. Sam. Parcker *disput. I. de Deo* §. 5. *p.* 16. ut ipse (Aristoteles) solus principatum obtineret, nihil in omni philosophia tam adsidue conatus est, quam ut philosophorum omnium, qui antecesserunt, existimationem imminueret.

6) *l. c.* *τοῦτο* (sc. *τὸ οὖς*) *εἰς μὲν τὸν ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει πόρον εἰς δὲ τὸν τοῦ στόματος οὐρανόν.*

7) Vid. Joh. Conr. Barchusen *de ortu et progressu medicinae p. m.* 127. Eodem loco alium errat errorem vir eruditus, cum Alcmaeonis aetatem in Platonis tempora incidisse adserat. Ille enim jam floruit olymp. LXV. atque adeo tunc temporis XXX, et quod excurrit, annos haud dubie natus: hic vero demum olymp. LXXXVIII. nascebatur, quo tempore Alcmaeon octogenarius senex esse debebat.

8) Trium horum scriptorum testimonia Gellius *noct. att. IV. c.* 11. commemorat, quem cons.

9) V. c. Seneca *epist.* 108. Lucian. *vit. auct. l. c.* Plutarch. *de carn. esu,* aliique.

viam, atque aut quorundam tantum animalium carnes in victum cessisse Pythagoreis, alias contra ea vel ut impuras, vel ut sanitati adversas, vel ut Diis sacras ab iis fuisse spretas, aut denique quandam quasi discipulorum classem, quae esotericorum vocatur, severiores has cibi potusque leges obseruasse credunt [10]. Et horum quidem sententiam, cum liceat et cum illorum scriptorum testimonio, qui Pythagoram suae philosophiae adseclis animalem victum concessisse adfirmant, et cum illorum auctoritate componere, qui id negant, ego quoque, si quae partes amplectendae sint, nec adsensionem liceat retinere, probaverim. Neque vero mortuorum corporum fuga omni dubitationi erepta esse videtur. Quamquam enim Pythagoras [11]) discipulis praecipiebat suis, ut ne castitatem, qua Deos colendos esse existimabat, funeribus curandis laederent: tamen inde non efficitur, ut omne vitare deberent cadauer, ab eoque attingendo abstinere. Nam si haec fuerat illius praecepti vis, illud ipse Pythagoras, cum ad Pherecydem proficisceretur, ut praeceptorem, morbo foedo confectum, sepeliret [12]), sui exempli auctoritate erat labefactaturus. Itaque hoc potius voluisse videtur Pythagoras, castitatem illam laedi quidem, uti funerum curatione, ita Veneris usu, et victu ex animalibus impuris, et quae sunt reliqua: eandem tamen expiationibus, lauacrisque denuo reparari posse. Quae cum ita sint, non video concussam corruere testimonii, a Chalcidio pro cognitione partium quarundam internarum corporis animalis, quam sibi Alcmaeon incisis cadaueribus comparauerit, dicti auctoritatem. Neque vero dubito, illam ipsam virorum eruditorum adfirmationem, Alcmaeonem, quod

---

10) Vid. Scheffer. de *philos. ital. p.* 134. — Omnem hanc litem, diu multumque inter eruditos agitatam, nuper clarissim. Tiedemann. *l. c. p.* 310 — 315. diligenter exposuit.

11) Diogen. Laërt. *VIII.* 33. *p.* 515.

12) Diodor. Sicul. in *excerpt. de virt. et vit. l. c.*

Pythagorae philosophiam secutus sit, *non adgressum esse exsectionem*, diluere ita, ut Aristotelem excitem, qui, si Pythagoreis, ut cadauer attingerent ullum, interdictum fuisset, optimam nactus erat occasionem, in inuenta eorum palam inuadendi, sibique eorum tribuendi honorem. At cum tectius rem egerit istam, causae videtur diffisus esse suae, atque metuisse, ne, fraude detecta, in seculi reprehensionem incurreret sui. Doctrina igitur Pythagoreorum, illustribus probata documentis, plane non in dubitationem vocata, illorum solum tacuit nomina tunc, cum eorum inuenta scriptis suis insereret.

Iam vindicata, quantum in nostra facultate fuit, Alcmaeoni incisorum animalium gloria, videamus, quanam ratione iis, quae anatome cognouerat, usus sit ad varia corporis animalis munera explicanda *). Atque in sensuum quidem natura rimanda praeceptoris reliquit sententiam, aliamque ingressus est viam, eos, anatome facem praeferente, exponendi. Etenim *auditum* pendere adserebat non a calido illo, qui Pythagorae placuit, vapore, sed a loco vacuo, in aurium penetralibus conspicuo, qui ab aëris vibrantis impulsu concussus ederet sonum [13]): hunc, pro vi maiore minoreue pulsantis aëris, fortiorem debilioremve miram efficere sonorum varietatem, quae apta coniunctione aures deliniret nostras. Odorata corporum effluuia attrahi discernique ab illa, quae ratione praedita est, animae parte, in cerebro collocata, sicque *odoratum* perfici [14]). *Gustatus* denique indolem in humida, tepidaque linguae natura positam esse, qua, cum mollitie conjuncta ejusdem, sapores a se invicem distinguerentur [15]).

---

*) Cf. de *Alcmaeonis* opinionibus physiologicis *Brucker hist. phil. to. I. p.* 11. *lib.* 11. *c.* 10. *Curt. Sprengel* (*krit. Gesch. d. Arzneyw. to. I. p.* 166. ss.)

13) Plutarch. *hist. philos. IV.* 16.

14) Plutarch. *l. l. c.* 17.

15) Ibidem *c.* 18.

Semen, quod ex utroque parente venire existimabat [16]), esse cerebri partem [17]), supra jam ab Alcmaeone fuisse defensum, monui: ex hoc foetum, cujus sexus ab illo parente pendeat, a quo uberior seminis copia aduenerit [18]), formari ita, ut caput, praecipua corporis animalis pars, animi quippe sedes ac domicilium, effingatur primum, cui sensim sensimque aliae succederent partes [19]). Perfectum corpus et absolutum adsugere per totam ipsius superficiem, spongiae instar, ex humoribus, foetum in utero cingentibus, particulas nutrientes, easque per omnem distribuere corporis molem [20]). Quam quidem sententiam, teste Aristotele [21]), de auium quoque generatione fouit, quas e vitello ouorum natas albo ex iisdem nutriri contendebat. — Hominis inguen tunc demum pube contegi, cum semen ad generandum aptum secernatur; uti plantae prius florere debeant, quam in semina abire possint [22]). — A Venere imminui adipem [23]). —

Sterilitatis quoque, in mulis observatae, causam anquisivit, in qua indaganda et philosophi et medici haud pauci desudarunt, eamque partim in tenui frigidoue mulorum semine, partim in eo invenisse sibi videbantur, quod mularum matrices non hiarent, nec adeo ad semen recipiendum idoneae essent [24]).

---

16) Censorin. *de die nat.* c. 5. p. 26. *ed. Lindenbr.*

17) Plutarch. *l. l. V. c.* 3. Contra ea *Censorin. l. c. p.* 25. e medullis semen venire ab Alcmaeone fuisse creditum, et Democrito, et Anaxagora, narrat.

18) Censorin. *l. c. c.* 16.

19) Plutarch. *l. l. c.* 17. Idem illud, docuit Aristoteles, (*hist. anim. III. c. 7.*) una cum spina dorsi primum fingi in animalibus, quorum corporis moles ossium compage suffulta sit.

20) Ibidem.

21) Cf. *de gener. anim. libr. III. c. 2. p. m.* 1099.

22) Vid. Aristot. *histor. anim. VII. c.* 1.

23) Censorin. *l. l. c.* 5.

24) Plutarch. *l. l. c.* 14. *Ἀλκμαίων τῶν ἡμιόνων τοὺς μὲν ἄῤῥενας ἀγόνους, παρὰ τὴν λεπτότητα τῆς θορῆς, ὅ ἐστι σπέρματος, ἢ ψυχρότητα·* (ita cum Reiskio leg.) *τὰς δὲ θηλείας παρὰ τὸ μὴ ἀναχάσκειν τὰς μήτρας, ὅ ἐστιν ἀναστομοῦσθαι· ΟΥΤΩ ΓΑΡ ΑΥΤΟΣ ΕΙΡΗΚΕΝ.* Qui locus vel eam ob causam notandus

Neque vero minus exercuit philosophos antiquissimorum temporum somni mortisque explicatio, quam Alcmaeon hac fere ratione animo conceperat suo. Sanguine ad majora sanguifera vasa refluo, maximamque ibi partem stagnante, hominem incidere in somnum, qui non nisi sanguine denuo aequaliter per totum corpus distributo discuteretur: quod nisi fieret, sanguine potius ad ista majora vasa confluente omni, mortem accidere [25]).

Sanitatem denique in aequali proportione distributioneque calidi frigidique, sicci atque humidi, amari atque dulcis, similiumque facultatum cerni: qua ratione aliquo modo turbata, calidoque aut frigido, aut humido, aut sicco etc. praescriptas a natura leges migrante, morbum incidere [26]). In qua quidem sententia defendenda Pythagorae agnoscimus discipulum, subobscuram *harmoniae* vocem, qua ille sanitatem comprehendebat, verbis intellectu facilioribus exponentem. Similis, vel potius eadem prosperae valetudinis descriptio, a Theage facta, nisi jam fuisset in superioribus occupata, cum hac Alcmaeonis poterat comparari.

Quae hucusque de medica Alcmaeonis scientia sunt disputata, ea, opinor, satis clare innuunt, illam magis in contemplatione, quam in actu positam fuisse.

---

est, quod ipsa Alcmaeonis verba, forte e libro physici argumenti (*φυσικὸς λόγος*. cf. Diogen. Laërt. *VIII.* 83. *p. m.* 542.) petita, continere videtur.

25) Plutarch. *l. l. c.* 23. in quo loco cum Reiskio *αἱμόῤῥους φλέβας* legi malim pro vulg. *ὁμόρους*. Ita enim majores venas, quae sectae multum sanguinis fundant, vocari, loca Hippocratis docent, a Foësio in *oecon. Hippocr. v. αἱμόῤῥους φλέβας*, allata. — Dein vi oppositionis addidi illa: *maximam partem*, quae in graecis non leguntur. De variis lectionibus in loco Plutarchi cit. cf. *Harles l. c. p.* 209.

26) Plutarch. *l. l. c.* 30. quem locum is cum Stobaeo (*sermon. XCIX. p. m.* 512.) e communi fonte videtur hausisse. E Plutarcho tamen addi velim *ψυχροῦ*, quod haud dubie a vicino *πικροῦ* male expulsum est.

Jam vero liceat cum illo componere Empedoclem, virum summi ingenii, nec vulgaris doctrinae, quem naturalis philosophiae studio floruisse, Gellius [27]) testatur, atque partim, quae ostendant, quo jure a conditoribus historiae medicae inter eos relatus sit, qui cum sapientiae studio artis salutaris professionem conjunxerunt, partim ea colligere, quibus sententias Alcmaeonis emendavit, auxit firmavitque.

EMPEDOCLES.

Cognitionis medicae, quae in hoc fuit, specimina enarraturus eidem ordini, quo in antecedentibus usus sum, studebo, atque, omnibus relictis, ea quae anatomes aliquam peritiam probant, ita exponam, ut cum Alcmaeonis inventis contendam.

Quae igitur Alcmaeon de auditu, a vacuo intra aures posito loco, qui aëris impulsu percussus resonaret, pendente adseruerat, ea ita emendavit Empedocles, ut hunc sensum potius vi aëris perfici contenderet, qui pertundens partem cochleae similem, et in aurium cavitate veluti tintinnabulum quoddam suspensam, sonum ederet, ab animo percipiendum discernendumque [1]). Quae verba, quamvis videantur clara, et sine omni ambiguitate dicta: tamen fuerunt inter viros eruditos recentiorum temporum, qui aegrius forte ferentes, quod Empedocles, illa videlicet rudi et illiterata, qua vixit aetate, jam ad interiora auris penetralia investigando pervenerit, negarent Empedoclem hisce, quae laudavi, verbis significasse cochleam, in osse petroso ante canales, semicirculares dictos, sitam, sed potius innuisse tortuosos cartilaginis anfractus, qui aurem externam constituunt. Cupidi tamen illi omnis antiquitatis reprehensores viderint, qui ipsorum adser-

---

27) Vid. *noct. attic. XVII.* 21. *p. m.* 431.

1) Plutarch. *de plac. philos. IV.* c. 16. Cons. omnino *Tiedemann in Götting. Magaz. Jahrg.* 2. *St.* 4. *p.* 38. ff.

tio cum Plutarchi verbis stare possit. Is enim partem *κοχλιώδη*, quae ab aëre percussa resonet, et quam *tortuosam* interpretantur, non extra aurem positam, sed intus ab Empedocle collocatam fuisse narrat. Quo quidem testimonio omnis cadit et quasi praeciditur disputatio de vera vocis *κοχλιῶδες* explicatione orta.

Alcmaeonem vidimus in sterilitatis, quae mulis solemnis esse solet, causam inquisivisse, in qua reperiunda et Empedocles studium operamque posuit suam. Ille cum in mulos, tum in mulas infecunditatis culpam conferebat; hic illis liberatis, has tantum reas judicatas condemnabat. Etenim mulas negabat foetum concipere posse, cum ipsis natura uteros concesserit graciles, exiguos, quorumque obliquus in abdomine positus impediat, quominus semen via recta ad illos perueniat, ac etiamsi eo usque penetraverit, tam arcte clausos, ut ab illis recipi non possit [2]). Cujus quidem opinionis haud dubie observationibus, ex mularum dissectione collectis, superstructae defensionem suscepit quoque Diocles, celebris post Hippocratis tempora medicus, eamque pluribus mularum uteris incisis veram invenisse testatus, ad sterilitatis, quae multis incessit feminis, causam adhibuit explicandam [3]).

Breviter igitur enarratis, quae anatomes intelligentiam in Empedocle fuisse ostendunt, jam nunc ea colligamus, quae eundem nobis non oscitantem naturae humanae spectatorem exhibent. Haud enim dubito, fore, quibus haec acris ingenii contemplationisque diligentis, qua claruit, specimina egregie placeant, quique Plutarcho, vel quisquis tandem auctor sit libri de *iis, quae philosophis placuere,* gratias habeant, quod

---

2) Ibidem *libr. V. c.* 14.

3) *l. c.* A Plutarcho tamen abit Aristoteles, (*de gener. anim. II. c.* 10.) atque Empedoclem tradit hanc sterilitatis, in mulis observatae, causam in mixtione seminis cum masculi, tum feminini spissa, ex utroque femine molli pendente, paulo obscurius posuisse.

magni illius philosophi sententias de visus, olfactus, auditusque modo, de respirationis officio, de nutritionis ciborumque adpetitus ratione, de variorum elementorum, quibus corpus humanum constet, facultatibus, de somni mortisque causis, aliisque, a philosopho quae diligenter disquirantur, dignis argumentis oblivioni ereptas nobis servavit. Quae quidem omnia ita tractabimus, ut hominem a primo, quo conceptus est, temporis momento usque dum ejus corpus, morte ab anima solutum ac putredine resolutum in ea, e quibus fictum efformatumque est, elementa destruitur, Empedocle praeeunte, consideremus. Neque enim is in eo acquiescebat, ut partes, quibus homo adultus constat, nosceret, sed et in viam ac rationem inquirebat, qua naturae sapientia ipsas illas partes sensim sensimque formet, formatasque eo perficiat, ut, quin eas miretur, animum habeat, ad pulchri perfectique sensus percipiendos hebetem atque obtusum.

Ac de semine quidem ea jam meditatus est Empedocles, quae et recentioribus temporibus patronos defensoresque invenere suos. Etenim tam maribus, quam feminis semen tribuebat, et in utroque particulas quasdam futuri hominis repositas latere adfirmabat. Has divisas particulas in mutuum niti connubium, eoque nisu efficere coëundi desiderium [4]). Seminis utriusque moleculas majore minoreve, quam ad formandum hominem necessaria esset, copia ad feminae naturam delatis, aut non omnibus eadem celeritate, eodemque ordine projectis, aut particulis illis, quae conjungendae essent, a se discedentibus, et in alienum

---

4) Aristotel. *de gener. anim. I. c.* 18. et Galen. de *semin. libr. II. c.* 3. *to. III. p. m.* 218. qui hanc Empedoclis sententiam multis refutat. Similem fouit opinionem auctor libri *περὶ γονῆς*, ad Hippocratem relati, et inter recentiores L. Ren. Moreau (*Venus physiqu. c. 17. P. II. c.* 5.), Anglus anonymus (*Essay on Fecundation p. 24. ss.*) aliique ab illustri Hallero (*elem. physiol. corp. hum. to. VIII. p.* 120. *ss.*) laudati. Cf. et Buffonus (*allgem. Histor. der Natur. B. I. Th. 2. c. 5.*).

invadentibus locum: monstra lususque naturae oriri [5]): unaquaque contra ea illarum molecularum bis terue aequaliter divisa, aut in universum genitali humore nimium adfluente, gemellos aut tergeminos nasci foetus [6]).

A parentibus aliis cum observasset non nisi pueros, ab aliis vero non nisi puellas procreari: hujus rei causam rimatus, illorum feruidam, harumque frigidam atque desidem indolem in causa esse judicabat [7]). Quae quidem ratio nisi verior, probabilior tamen ea est, qua similitudinem explicare studebat, inter parentes ac liberos haud raro intercedentem. Patrem enim aut matrem, quo plures aut ille, aut haec seminis moleculas in foetus formationem impenderit, eo magis referre sobolem existimabat [8]): liberis vero ad neutrius parentis similitudinem accedentibus, calorem, semini proprium, fractum atque dilapsum accusabat [9]). Nec tamen acquiescebat acre Empedoclis ingenium in hac una similitudinis causa, parentibus saepe cum liberis communis, inventa; sed addebat etiam, quae recentioribus temporibus saepius in controversiam deducta est, phantasiam matris, quae quo vividior esset, eo efficacior in foetus imaginem ad matris similitudinem effingendam ipsi videbatur [10]).

---

5) Plutarch. *l. c.* c. 8. Videtur igitur Empedocles Jo. Bapt. Mazino (*instit. med. mechan. Brix.* 1735. 4.) aliisque praeripuisse jam explicationem formandi foetus a particulis cum masculi, tum feminini seminis secundum leges specifici ponderis sese ordinantibus derivatam. Cs. ill. Halleri *diss. de form. monstr. mechan.* in *opp. min. to. II. p.* 197. *not.* 126.

6) Plutarch. *l. l. c.* 10. Hancce, qua is originem gemellorum tergeminorumque foetuum explicare studuit, opinionem denuo in scenam produxit, ingenioseque exornavit Buffon. *l. c. p.* 349. *et* 556.

7) Cs. Plutarch. *l. l. c.* 7.

8) Ibidem *c.* 11.

9) Ibidem.

10) Ibidem *c.* 12.

Varias corporis animalis partes, quarum formationem demum elapsis XXXVI diebus incipere, et post quadragesimum quarto absolui [11]) statuebat, varia principiorum, quae sumebat, mixtione componi: carnes ex aequis aëris, aquae, ignis, terraeque partibus coire: nervos praeter pares aëris et aquae portiones duplam ignis terraeque continere, atque libero expositos aëri, igneis exhalantibus particulis, in massam abire duram, et hominum ungues, animaliumque aliorum ungulas formare: ossa inprimis ex aqua, terraque compingi: sudorem denique lacrymasque mixtas invicem quatuor ignis terraeque partibus cum una aquae aërisque constare [12]). Quae quidem elementorum particulae si in ulla corporis parte imminutae rationem turbarent, quae inter ipsas naturae legibus constituta obtineret: tunc quodam quasi instinctu omnia duci, quin et cogi animalia, ut perditas illas quocunque modo moleculas novis repararent; hinc *ciborum adpetitum* esse derivandum [13]). Inde enim secerni particulas, animalis corporis oeconomiae accommodatas, quae si subsiderent, corporique adponerentur, *nutriri*, et calore accedente, *crescere* illud: contraque eam imminui destruique omnino, et secretione particularum nutrientium imminuta aut plane sublata, et calore fracto omninove extincto [14]). Utrumque vero per singulas hominum aetates magis magisque imminui haud dubie videbatur Empedocli, cum homines sui seculi comparatos cum illis, qui primi a natura facti formati-

---

11) Plutarch. *l. c. V. c.* 22. Pseudo - Gal. *c.* 25.

12) Idem *V. c.* 22. Cons. Pseudo - Gal. *hist. phil. p.* 56. ubi de secretione sudoris atque lacrymarum haec habet: *ἱδρῶτα καὶ δάκρυον γίνεσθαι τηκομένου τοῦ αἵματος καὶ περὶ τὸ λεπτύνεσθαι διαχομένου.* Qui locus Harlesio in Platonis quoque *l. c.* valde corrupto adfuisse videtur *Sprengel. Beytr. z. Geschichte d. Med. St.* 3. *p.* 251. *not.* 92. Quae *Harles.* de cognitione viarum lacrymalium infert, ea infirmo nituntur argumento.

13) Ibidem *c.* 28.

14) Ibidem *c.* 27.

que sint, tam exigua statura, tantaque virium debilitate esse adsereret, ut non nisi infantes referrent[15]. In eodem calore paululum restincto *somni*, in extincto *mortis* causam invenit[16].

Jam vero Empedoclis de via ac ratione, qua *visus* perficiatur, sententiam expondituro, liceat aliorum quorundam physicorum eadem de re opiniones antea transire, et tantummodo perstringere, quae uti plures erant, ita et in diversas invicem partes discedebant. Erant enim, qui, oculos nostros speculis similes esse rati, in quibus imagines rerum externarum expressae conspicerentur: rationem tamen non adderent, qua fieret, ut ejusmodi imagunculae in speculi superficie formarentur, formataeque rem objèctam ad vivum exprimerent. Alii melius sibi explicare videbantur visus theoriam sumtis radiis, qui ex oculo in rem objectam quasi effunderentur, ibique per omnem superficiem ita distribuerentur, ut, si servato illo ordine ad oculum reflecterentur, formam efficerent plane similem rei conspectae: alii aliter. Empedocles quidem cernere nos arbitrabatur imagine rei externae visu percipiendae ad oculos nostros translata: ipsam vero imaginem a radiis formari ex omni re visu percipienda oculos ingressis, ibique a vi quadam ignea, aërem, in quem ista effluvia ferrentur, simul transferentem, collectis atque dispositis[17]. Quae, etiamsi theoriam visus

---

15) Plutarch. *l. c.*

16) Ibidem *c.* 23. et 25. et Galen. de *placit. Hippocr. ac Platon. libr. II.*

17) Plutarch. *l. c. IV. c.* 13. 14. In priore capite pro vulg. *κατά τινων ἀκτίνων εἴσκρισιν* legerim *κ. τ. α.* ἔκκρισιν. (Ita legit Tib. Hemst. ad Th. Mag. p. 314. b. Galen. in hist. phil. *ἔκχυσιν* habet, cujus reliqua id. Hemsterh. in edit. Aldina corrupta; in ed. Chart. corruptiora pronuntiat.) Qui enim in oculum reverti debebant radii, ii ex oculo ut antea effluxerint, necesse videtur. De visu et omni sensu agit Empedocles duobus versibus, a *Galeno* servatis (de plac. Hipp. et Plat. VII, 5. p. 218. ed. Chart. ed. Lips. to. V. p. 627. seq. 631.), quorum sensus est hic: sensorio quidem magis terrestri, qui est tactus, terrestrem in visibilibus naturam, lucidissimo visus lucidam, quem-

cum iis conjunxerim, quibus rationem explicare studuit, qua rerum obiectarum imagines in speculis ad naturam expressae conspicerentur: tamen sive obscurum illud, quo Empedocles utebatur, scribendi genus, sive summam, qua Plutarchus illa Empedoclis placita retulit, brevitatem, sive denique foeda, quae adductis Plutarchi verbis vel ab imperita librariorum manu, vel temporis òmnia consumentis injuria inflicta sunt, vulnera accusem, adeo non ea, quam optaverim, perspicuitate Empedoclis opinionem exponunt, ut viri eruditiores acutioresque in auxilium vocandi sint, velint ingenii acumine nobis philosophi mentem recludere, medicinamque Plutarchi vulneribus feliciori manu adferre.

Olfactum cum Alcmaeone pendere a fragrantibus corporum odororum particulis existimabat, quae in aëre sparsae tunc, cum inspiramus, adducerentur. Inde apparere quoque causam, cur, respiratione ob fauces exasperatas difficiliori reddita, ut in destillationibus accidit, nares quoque ab odorum sensu simul percipiendo excluderentur[18]).

His, quae Empedoclis studium, naturam animalium, inprimisque hominis, uti philosophum et physiologum decebat, perscrutandi, satis luculentis probare videntur speciminibus, addam denique ea, quae ille et primae respirationis causam, et omne omnino respirationis negotium explicaturus protulit. Scilicet putabat foetum, utero adhuc inclusum, vita spirituque carere, ac tunc primum aërem haurire, cum humores, illum in utero cingentes, qui os et utramque cum ciborum, tum aëris in illud patentem viam replere

---

admodum et aërio auditus sensorio propriorum aëris adfectuum dignotio absolvitur, Galeno interprete. Conf. *Stobaei ecl. phys. to. I. p.* 363. ed. Heer. quocum loco confer. *Plat. Menon. Opp. II. p.* 76.

18) Plutarch. *l. l. c.* 17. coll. cum Celso *de med. IV.* 2. 4. *p. m.* 173. si in fauces (humor destillavit,) *has exasperat* etc.

ipsi videbantur, defluxerint. Sic enim fieri vacuum locum, in quem aër externus irrueret, apertaque vasa repleret. Hoc quidem modo peragi primam inspirationem. Dum vero calor innatus suo ad exteriora impetu repelleret aërem haustum: hominem exspirare. Jam recipere se, et quasi fugere ad interiora corporis calorem innatum, sicque quodammodo invitare contra nitentem aërem, ut iterum, e quo depulsus aufugerat, locum occuparet, pulmonibusque expansis inspirationem perficeret. Quo facto calorem innatum denuo e latebris prorumpere suis, aëremque advenam propulsare. Atque ab hac alterna caloris innati fuga, renovatoque adversus aërem irrumpentem impetu derivandam esse alternam inspirationis exspirationisque successionem. Ita quidem Plutarchus [19]) explicat Empedoclis de respirationis negotio mentem. Jam liceat eadem de re proferre, quae Aristoteles [20]) adductis ipsis illius verbis Empedocli placuisse narrat. Is autem reprehenso prius Empedocle propterea, quod, cum de respiratione egerit, neque addiderit, quid potissimum utilitatis illa corpori adferret animali, neque finiverit, omnia animalia respirarent, an essent, quibus illud natura negaverit, totum respirationis negotium ex illius philosophi sententia ita adumbrat. Esse scilicet venas quasdam, sanguinem quidem, sed ita continentes, ut non totae repletae sint [20b]): iis patere in aërem externum vias, angustiores illas, quam ut particulae sanguinis [21]) transire possint, ampliores

---

19) *l. l. c.* 22. coll. cum *V. c.* 15.

20) *de respirat. c.* 7. *p. m.* 722. *ss.* (*to. I. p.* 448.) coll. c. Pseudo-Galeno *p.* 50.

20b) ***Harlesius** l. c.* quaerit, utrum haec vasa Empedocles finxerit, atque in his vasis fictis argumentum pro anatome neglecta repositum sit, an arterias venasque pulmonales, aut denique vasa bronchialia intelligat.

21) Recte emendavisse videntur viri docti *τῶν μὲν τοῦ ʽΑΙΜΑΤΟΣ μορίων* pro vulg. *ΣΩΜΑΤΟΣ*. Respicit enim Aristoteles Empedoclis verba illa: *ὥστε ΦΟΝΟΝ μὲν κεύθειν*. Eandem emendationem amplectitur quoque ***Harles.** l. c.*

tamen, quam ut aëris particulis in corpus aditus sit praeclusus: sanguine, qui sursum deorsum moveretur, descendente, aërem illabi, sicque inspirationem fieri, adscendente vero, eiici eundem, sicque exspirationem absolui. Quae quidem et Plutarchi et Aristotelis verba, quibus Empedoclis sententiam exprimere studuerunt; si quis cum illo fragmento Empedocleo contendere velit, ab Aristotele nobis servato: is vel hoc exemplo cognoscet, quam lubricum sit de veterum placitis decernere, ex aliorum scriptorum, nec suis ipsorum libris hauriendis.

Jam vero, quae perscrutando humanam naturam cognoverat Empedocles, ea ad causas cum prosperae, tum adversae valetudinis indagandas, indagatasque tollendas transtulit. In eo enim Alcmaeonis, contemplatione magis, quam actu artem salutarem juvantis, reliquit exemplum, teste Satyro[22]), Suida[23]) aliisque. Neque tamen solis hisce testimoniis, aut forte magnificis illis promissis acquiescere debebimus, quibus Empedocles remedia omnibus pandere ad morborum impetus frangendos, senectutis molestias levandas, mortuosque in vitam revocandos efficacia pollicebatur[24]). Exempla potius adferam, quibus medicinam factam ab Empedocle fuisse constabit. Quo quidem pertinet celebrata illa antiquitus femina *ἄπνους*, quam mortuae speciem per triginta dies prae se ferentem, funeri eripuit Empedocles, atque in vitam reduxit. Dolendum sane, viam ac rationem a nullo, qui hujus feminae, gravissimo animi deliquio sopitae, meminerit, additam fuisse, qua Empedocles usus eam resuscitaverit. Quae enim et Empedocles ipse discipulo suo, Pausaniae, ad istam feminam spectantia, dictitaverat, et quae ex hoc fortasse libello in suum,

---

22) *Libr. VIII.* 58. *ss. p. m.* 530.

23) *voc. Παρμενίδης.*

24) Diog. Laërt. *l. c.* 59.

de morbis, opus transscripserat Heraclides, ea nobis temporis injuria interciderunt[25]). — Neque vero minus illustri specimine comprobabat Empedocles, non vanam atque inutilem esse, quam sibi comparaverat salutaris professionis cognitionem, tunc, cum causam pestis, cujus furore magna hominum inter Selinuntios facta erat strages, anquirebat, inventamque felicissime tollebat. Nimirum prope Selinuntem flumen decurrebat, quod foetore pestifero omnem inficiebat viciniam, saporeque amaro maximeque ingrato inprimis feminis noxium, partus reddebat difficiliores. Empedocles igitur bene perspiciens, foetorem illum aut ab aquarum paucitate, aut a fluminis tarditate pendere, utriusque causae medebatur ita, ut duorum aliorum fluviorum cursum suis impensis illuc deduceret, sicque aucta aquae copia et celeritate cum pestem, ab aëris impuritate ortam, supprimeret, tum emendata saporis amaritie partus efficeret faciliores[26]). Neque vero hac via, pestilentiae auxiliandi, semper et ubique, qui empiricorum mos est, utebatur, sed mutatae causae remedia quoque opponebat alia. Plinius[27]) enim Empedoclem et Hippocratem narrat, ignibus quoque vim medicam esse gnaros, ignis suffitu pestilentiam coërcuisse, solis obscuratione contractam.

Haec igitur omnia, quae Empedocli non vulgarem, pro temporum ratione, salutaris professionis notitiam fuisse satis luculenter probare videntur, fortasse hausta sunt ab iis, quos laudavimus, scriptoribus e libro, quem *de medicina* versibus sexcentis conscripsisse Empedoclem testatur Diogenes Laërtius[28]). Cujus quidem carminis nihil, nisi fragmenta quaedam ad nostra tempora pervenisse acerbissime dolebit, quo-

25) Ibidem *sect.* 60. unde sua hausit Suidas v. *ἄπνους*.
26) Diog. Laërt. *l. c. sect.* 70. *p.* 535.
27) Cs. *histor. natur. libr. XXXVI. c.* 27. *p.* 759.
28) *Libr. VIII.* 77. *p.* 539. *Suid. v. Ἐμπεδοκλῆς*.

tus quisque magni istius viri ingenio pretium statuere novit suum. Haud enim scio, an jure in Empedoclem transferri possit, quod Tib. Hemsterhusius, idoneus harum rerum arbiter, de Polybio tulit judicium, cujus tanta admiratione captus erat, ut, si fieri posset, unum ejus librum deperditum plaustris homiliarum S. S. Patrum redimere vellet [29]).

Sed haec hactenus. Reliqua, quae de Epicharmi, Democriti aliorumque philosophorum in artem medicam meritis scribi poterant, alio promam tempore, nisi sinistra de hoc specimine a viris eruditis, iisque idoneis judicibus lata judicia irritum fecerint consilium meum. Quam quidem judiciorum severitatem uti nolo virium imbecillarum commemoratione, aut argumenti difficultate accusata, aut humanitatis judicum, qua tironem ferre soleant, laudibus lenire, (quae omnia quamvis vere quidem commemorari possent, tamen, cum nimis sint vulgaria, consuetudinis legi potius, quam veritatis sensui data esse viderentur:) ita omnibus gratum profiteor animum, qui me ubi errantem invenerint, in viam rectam benevole reducent.

---

29) Vid. *elogium Tib. Hemsterhusii auctore Dav. Ruhnkenio p.* 29.

IV.

DE FORCIPIBVS OBSTETRICIIS, RECENS INVENTIS.

CVM TABVLA AENEA.

Disputatio inaug. d. XXIX. Aug. CIƆIƆCCLXXXIII. publice defensa.

PROOEMIVM.

Quo diutius considerationi eorum, quibus nostro tempore ars obstetricia aucta, et emendata est, animum advertimus nostrum, quoque diligentius eadem examinamus, inque commoda, quae exinde in vitam, sanitatemque cum matris, tum infantum redundarunt, inquirimus; eo suavioribus laetitiae perfundemur sensibus, eoque magis et arti ob laetiora incrementa, et miseris, quae ab ipsa auxilium exspectare debent, feminis ob imminuta partus pericula gratulabimur. Etenim a crassa empiriae ignorantia, qua antiquissima artis obstetriciae tempora premebantur, aeque longe recessimus, ac ab infelici instrumentorum excogitandorum, adhibendorumque amore, quem truculentum Arabum ingenium excitavit, excitatum vana persuasio, quasi in eo magna obstetricii medici laus contineretur, diu aluit, et magna denique, qua et suo aevo, et insecutis temporibus floruit, AMBROSII PARAEI, ob multorum instrumentorum inventionem sibi magnopere placentis, auctoritas recentioribus temporibus confirmavit. Nunc, qui obstetriciam faciunt, magis in cognitione anatomica partium, partui inservientium, in exploratione virium, quibus foetus utero materno inclusus expellitur, in investigatione denique impedi-

mentorum, partui objectorum, nec non leniorum remediorum, istis feliciter tollendis aptorum, desudant, quam in instrumentorum, ad foetum quocunque tandem modo extrahendum facientium, excogitatione: neque is hodie magni obstetricii medici famam obtinebit, qui magno instrumentorum, quorum vel solus adspectus feminas terrere solet, adparatu ad parturientes accedit, et licet successu utatur, plerumque fere felici, de frequentissimo eorum in sua arte usu gloriatur. Cujus quidem rei causas anquisituri praecipuam in eo deprehendemus, quod jam nunc viri in hacce arte exercenda occupantur, qui accuratissima omnium, quae ad partum feliciter absoluendum requiruntur, rerum cognitione imbuti majorem ponunt laudem in prudenti cunctatione, lenissimorumque remediorum usu, quam in improvida festinatione, ac crudeli instrumentorum adplicatione. Hinc factum est, ut partim ingens instrumentorum multitudo, quae artem obstetriciam non tam auxit, quam obruit, admodum circumcideretur, iis solummodo relictis, quae partum juvare, et sine crudelitate foetum educere possunt, partim eae ipsae operationes, quas ad feminas, Junonis Lucinae iram expertas, vocati vitamus quidem, sed non semper evitare possumus, et rarius instituantur, et institutae multum ab illa, cujus crimen quondam subibant, crudelitate remittant, atque adeo minora vitae parturientium pericula minitentur. Horret animus, et nescio, an commiseratione tristissimae feminarum sortis, quarum puerperium neque naturae viribus, neque obstetricum opera solui poterat, magis, quam detestationis sensu acerrimo concutitur, dum superiorum seculorum memoriam repetit, miseramque artis, quae istud naturae opus leuare, ac pericula, nisi penitus removere, minuere certe et debet, et potest, conditionem explicat. Chirurgos enim, ac medicos, in auxilium parturientium accitos, plerumque intempestiuo, et subrustico feminarum pu-

dore a partuum naturalium consideratione olim exclusos, sua ipsorum experientia nihil amplius docere poterat, quam foetus aut jamjam mortui instrumentorum ope extractionem, aut viui adhuc caedem, crudelissimamque dilacerationem. Inde non poterat non fieri, quin ejusmodi conamina, partus impedimenta superandi, medico, chirurgove ignominiae labem adspergerent, praesentium animos horrore perfunderent, artem in omnium contemtionem adducerent, aliasque feminas a similibus experimentis redderent maxime alienas. Nostro vero tempore, quo viri, malo parturientium pudore proscripto, majorem cum partus negotio, ejusque perficiendi ratione familiaritatem contraxerunt, ars obstetricia coepit paulo magis humanitatem spirare; instrumenta, quorum ingens numerus ad vitam foetui misero eripiendam, ejusque membra crudeliter dilaceranda excogitatus erat, quaeque, quasi infantum retulerit, rudine an artificiose facto instrumento brachia ipsi rescinderentur, pectus abdomenue aperiretur, cranium perforaretur, cerebrumque exprimeretur, elegantia et ingeniose excogitata structura quodam modo invicem certabant, usui fere omnia exemta, et sacra tanquam pristinae crudelitatis monimenta, seponuntur; impedimenta partui objecta jam, ipsorum causis penitius cognitis, facilius tutiusque removentur, atque multorum et infantum et matrum vita suis, reique publicae conservatur. Neque tamen operam penitus perdere mihi videtur, qui, cum obstetriciae arti colendae, exercendaeque studium, vitamque dicaverit suam, etiam illorum instrumentorum, quae, quamquam olim in manibus obstetricantium versabantur, nunc tamen ob omni usu remota sunt, notitiam sibi comparare, eorumque utilitatem noxasque perdiscere studet. Etenim hac cognitione imbuto numquam accidet, ut ad partum difficilem absoluendum accersitus, et licet omnibus, quae ratio et experientia jusserant, in usum vocatis, tamen infelici

usus successu habeat, quod postea, quam instrumenti obsoleti cujusdam notitiam acquisivit, vitio sibi vertere, atque in causa puerperii male finiti ponere queat. Quo accedit et hoc, quod illi, qui omnem artis aut scientiae cujusdam ambitum emetiri cupit, non honorifica videtur ignorantia eorum, quibus ars, aut scientia illa a primis ipsius initiis aucta et emendata est. Saepius enim cum accidat, ut ea, quae jam a longo inde tempore tanquam inutilia, quin perniciosa a viris artis, quam profitentur, peritis rejecta sunt, post aliquod temporis intervallum rursus cum maximis laudum praeconiis in scenam reducantur; is, qui superiorum temporum memoriam negligit, haud dubie vanis illius inventi laudibus abreptus sua ipse experientia discere debebit, quae jam aliorum damno cautior redditus poterat nosse. Quamobrem non videntur operam suscepisse vanam, qui in colligendis accurateque describendis instrumentis occupati sunt, quorum aliquis usus ab antiquissimis inde temporibus in arte obstetricia aut fuit, aut etiam nostro adhuc est aevo. Huc praeter alios scriptores, qui, dum praecepta, partus cum faciles, et e naturae legibus contingentes, tum difficiles et praeternaturales absolvendi, traderent, hinc inde variorum instrumentorum mentionem injecerunt, ad foetum aut viuum, mortuumve, aut solidum concisumve extrahendum idoneorum, referendi sunt inprimis Henr. Nepom. Cranzivs, et Joan. Steidele, quorum ille, dum inter academiae naturae curiosorum membra recipiebatur, *de instrumentorum in arte obstetricia historia, utilitate, recta et praepostera adplicatione* dissertationem [1]) scripsit, hic vero libel-

---

1) Recepta est *Fasc. tert. oper. min. med. et dissert. editore* Franc. Xav. *de* Wasserberg p. 166 — 261. Argumentum hoc ab auctore ita tractatur, ut *primo* inquirat in instrumenta, qubus inde ab Hippocratis aevo ad sua tempora in arte obstetricia usi sunt, eorumque sola adferat nomina, nulla data descriptione, unde discere possimus, quaenam inter cognomina instrumenta

lum *de usu instrumentorum in arte obstetricia non evitando* [2]) edidit. Nolo jam utriusque scriptoris censuram agere, studioseque nonnulla ex istis eruere dissertationibus, quae accuratius auctiusque tractari merebantur. Nam qui in historia artis obstetriciae non omnino rudis hospesque est, etiam me non monente, facile perspiciet, tot inventis artem istam auctam recentissimis fuisse temporibus, ut, etiamsi laudati scriptores argumentum pertractatum tunc, cum scriberent, penitus exhauserint, tamen larga iterum scriptionis materies sit subnata. Constitui itaque, relicta ob nonnullorum huc pertinentium scriptorum defectum, et alii tempori reservata operationis, in Sigaulti honorem ab ejus nomine insignitae, historia, cujus elaboratam editionem huic ipsi opportunitati destinaveram, locum, a duumuiris illis inchoatum, nisi absolvere, id enim, dum inventionis studium viget, fieri nequit, certe profligare, eaque addere, quae post edita illorum scripta ad rem instrumentariam sive augendam, sive magis perficiendam a celeberrimis medicis obstetricantibus sunt excogitata. Ac primum quidem de forcipe agam, quae quicquid contra dicant Gvil. Hvntervs [3]), Alphons. le Roi [4]) aliique hujus prae-

---

intersit differentia, et in quonam alterum alteri praestet: *dein* exponat de omnibus hisce instrumentis animi sententiam sui, inprimisque immoretur forcipis usui, expendatque tam ea, quae ipsum indicent, disuadeantque, quam quae contra illum a variis sint disputata.

2) *Abhandlung von dem unvermeidentlichen Gebrauch der Instrumente in der Geburtshülfe. Wien* 1774. 8. *c. f.* Continet hic libellus praecepta magis de usu forcipis Levretianae, de instrumentis quibusdam ad perforationem cranii, pectoris abdominisque, et ad clunes inclavatos educendos ab auctore inventis, de effectibus denique vectis a Roonhuysenio cognominati observationes, quam accuratam omnium, quae in arte obstetricia alicujus utilitatis fuerunt, enumerationem, descriptionemque. Itaque nondum videtur occupatum esse argumentum, quod *ex aliqua parte* pertractandum mihi sumsi, quin omnem enim dicendi materiam exhauriam, ob angustos, quibus libelli tales academici circumscribuntur, fines fieri nequit.

3) Cf. ejus *Bemerkungen über die bey schweren Geburten empfohlene Zertheilung d. Schaambeine* etc. *Leipz.* 1779. *p.* 5. alibique.

4) Cf. *observations et réflexions sur l'opération de la Symphyse, et*

clari instrumenti adversarii, reliquis, ad foetum extrahendum inventis, instrumentis palmam praeripit, et quantum potero accuratissime emendationes describam, quibus Joan. Leakivs, Rob. Wallace Johnsonvs, Ormivs et Bavdelocqvivs forcipem magis magisque perficere, et illi, cui destinata est, negotio accommodare studuerunt [4b]).

§. 1.

De forcipe obstetricia in universum.

Anteaquam forcipis usus in artem obstetriciam introducebatur, tunc fere semper de vita infantis actum et conclamatum erat, cum caput ipsius, viribus uteri sese vehementer contrahentis, intusque contentum foetum expellere conantis in peluis aperturam impulsum, et quodammodo inclavatum haeserat. Etenim vel versione instituta infans pedibus in lucem protrahendus, vel, si illam suscipere non amplius licebat, caput suo loco reliquendum, exspectandumque, usque dum illud naturae nisibus ita comprimeretur, ut per istam, in qua haerebat, aperturam transire posset, vel ad auxi-

---

les accouchemens laborieux. Paris 1780. *p.* 12. et in Sommers *Sammlung der auserlesensten und neuesten Abhandl. für Wundärzte. St.* 5. *p.* 118. — Praeterea huc referendum est Franc. Gabr. Schoenmetzleri *progr. in quo usus forcipum in arte obstetricia disquiritur. Heidelb.* 1764. 4.

4b) Addam h. l., quae ad historiam forcipum obstetriciarum recentiorem facientia notavi. *Jo. Ca. Gehler* progr. de forcipis Johnsonianae prae Levretiana et Smelliana praestantia. C. tab. aen. Lips. 1790. 4. In quo programmate b. *Gehlerus*, cujus memoriam gratissimus sancte colo, p. x. perhonorificum de me dissertatione tulit judicium. *Ca. Wenzelii* comparatio inter forcipes Levretianam, Smellianam, Leakianam et Johnsonianam. *Mogunt.* 1791. 8. *Jo. Mulderi* historia liter. et crit. forcipum et vectium obstetriciorum. C. tab. aen. *L. B.* 1794. 4. cujus versionem vernaculam, animadversionibus nonnullis auctam, edidit *Jo. Gu. Schlegel, Lips.* 1798. 8. *A. Hb. Hinze, Vers. ein. chronol. Uebers. aller f. d. Geburtshülfe erfundenen Instrumente* etc. *Liegnitz* 1794. 8. *W. F. Baur*, diss. in historia forcipum obstetr. recentissima. *Marb.* 1808. 8. c. tab. aen. *A. H. Horre*, diss. sist. recentissim. forcipum obstetr. histor. crit. *Marb.* 1815. 8.

lia denique confugiendum erat, quorum usum quilibet inter medicos obstetricios, qui non omnem humanitatis sensum deposuerat, jure meritoque exhorrescebat. Haec igitur non poterant non excitare ingenia virorum, ad artem obstetriciam augendam, magisque excolendam quodammodo natorum, eosque ad instrumenti inventionem invitare, quibus crudelissima cranii perforatio, cerebrique expressio, nec non uncorum, aliorumque, ad necandum dilacerandumque excogitatorum instrumentorum usus profligari poterat. Atque illud quidem ferramentum in forcipe obstetricatores reperiisse sibi visi sunt, quae ex quo tempore ad partus, ob caput foetus aut inclavatum, aut nimis magnum difficiles, absolvendos adhibita fuit, ingentem et infantum et matrum multitudinem morti praesentissimae ereptam rei publicae servavit.

Forcipis in universum tam simplex est structura, tamque vulgaris in re domestica aeque ac opificiis quam plurimis usus, ut etiam ad partum absolvendum antiquitus jam adhibita fuisse videatur. Neque vero hac de re dubitare nos sinunt veterum, quae temporis injuriae erepta adhuc supersunt, scriptorum monimenta, in quibus variae occurrunt forcipes, ad caput infantile comprimendum, atque ex utero materno producendum idoneae [5]). Quae quamvis nota, atque

---

5) Praeter PHILVMENVM, incertae aetatis scriptorem apud AETIVM (*tetrab. IV. Serm.* 4. *c.* 23. *p.* 790. to. *II. collect. H. Steph.*) et PAVLVM Aeginetam (*de re med. VI. c.* 74. *p.* 583. *ed. cit.*) Arabes quoque, AVICENNA, et ALBVCASIS, forcipum utilitatem in arte obstetricia intellexerunt, variasque cum ad conterenda nimis magni capitis ossa, tum ad extrahendum foetum facientes, indicarunt. H. N. CRANZ. *l. c.* §. 6. *p.* 177 *s.* occupavit jam ulteriorem hujus rei comprobationem: quamobrem nolo plura forcipis antiquitus jam cognitae testimonia addere. Illud tamen non possum non monere, CRANZIVM vehementer errare, dum PAVLVM a patria *Aeginetam* cognominatum *l. c.* putat ultimum Graecorum esse, qui de re medica scripserit. Exceperunt enim illum PALLADIVS, THEOPHILVS, DEMETRIVS PEPAGOMENVS, ACTVARIVS aliique, quorum ultimus, imperatore Michaele Palaeologo, adeoque seculo XIII. floruit.

extra omnem dubitationis aleam posita esse videantur, nescio tamen, an in reprehensionem recte incurram, qui et hoc loco eandem rem vel verbulo tangere necessarium duxerim. Etenim memini, me invenire viros, quorum summa in arte obstetricia auctoritas facile potest incautos in erroris praecipitia abripere, qui negent, ante Jac. Rveffii [5b]), celebris inter Helvetos decimo sexto seculo chirurgi, aetatem ullum forcipis vestigium deprehendi posse [6]).

Post hujus viri tempora omnes, qui in arte obstetricia studium operamque posuerunt, certatim quasi desudarunt in forcipe illa paululum immutanda, perfectioremque reddenda. Pertinent huc *Slevogti, Puissalti, Burtoni, Palfini, Petiti, Gregoirii, Soumaini, Mesnardi, Bingii, Chapmanni, Giffardi, Frekesii,* aliorumque longe plurium forcipes. Inter illas vero recentissimis temporibus maximopere se viris peritis, illarumque rerum idoneis arbitris Levreti et Smellii forcipes probarunt, reliquisque fere palmam praeripuere, quamquam et hae ipsae nondum ita perfectae, omnibusque numeris absolutae sunt, ut omnem respuerent emendationem. Quod cum usu experientiaque edocti intelligerent Leakivs, Johnsonvs, Ormivs, Bavdelocqvivs aliique, elaborarunt summo studio in eo, ut forcipes excogitarent, a quibus omnia abessent, quae usum Levretianae, Smellianaeque impeditum reddere, quin interdum penitus interdicere posse viderentur. Quae quidem immutationes, emendandi instrumenti caúsa susceptae, in quonam potissimum

---

5b) Cf. ejus librum: *de conceptu et generatione hominis. Tigur.* 1554. 4. quae quidem editio alteri ab Israele Spachio, profess. Argentoratensi, in *collectione Gynaeciorum Argent.* 1597. f. procuratae, praeferenda est propterea, quod posteriori figurae monstrorum, libro V. a *Rueffio* delineatorum, desunt.

6) V. C. Georg. Gvil. Stein in libro: *practische Anleitung zur Geburtshülfe*, §. 561. *p.* 144. et Bavdelocqvivs *l'art des accouchemens to. II. p.* 34. seu versionis germanicae, animadversionibus eruditissimis a *Philipp. Fr. Meckelio* auctae, *p.* 31.

consistant, jam breviter exponam, ita, ut simul anquiram, an istis virorum laudatorum studiis forcipi vere major perfectio accesserit, nec ne.

§. 2.

De forcipe Leakiana.

Primum descripta est ab auctore anno hujus seculi LXXIII [6b]). Scilicet animaduerterat Leakivs, posse incidere tempora, quibus forcipis adplicatio non solum nihil ad capitis, facie versus os sacrum, occipite versus os pubis collocati, atque adeo diametro maxima in minimam peluis incidentis, descensum juvandum, verum etiam ad impedimenta partus, cum hac iniqua capitis directione conjuncta, multum augenda faciat. Cum enim cochlearia forcipis ad aures infantis adposita comprimant nonnisi transversam s. parvam capitis diametrum, non potest non praeter obliquam h. e. eam, quae inde a symphysi menti usque ad extremam suturam sagittalem ducta capitis molem in duas aequales dividit partes, etiam maxima diameter insigne augmentum capere, adeoque caput in suo per peluis cauitatem transitu magis adhuc retardari [6c]). Quod cum optime intelligeret Leakivs, bis ejusmodi partum, neglecta, quam plerique medici obstetricantes tradunt, vulgari via ac ratione, facillime ita absolvit, ut, jussa parturiente in alterutrum cubare latus, cochlearia non ad internam ossium innominatorum superficiem, sed alterum sub osse pubis,

---

6b) Cf. ejus *Lecture introductory to the theory and practice of midwifery. London* 4. unde adjecta est versioni germanicae libri egregii: *Practische Bemerkungen über verschiedene Krankheiten der Kindbetterinnen u. Schwangern*, qui eundem Jo. Leakivm, M. D. Colleg. med. Londin. socium, hospitiique Westmonasteriensis parturientibus destinati medicum, auctorem habet, et quinto jam prodiit an. 1781. Quae editio cum plurimis in locis insigniter aucta sit, et emendata, optandum foret, ut versio germanica etiam illi novissimae editioni accommodetur.

6c) Bavdelocqv. *l. c. to. II. p.* 117.

alterum supra os sacrum introducta capiti adplicaret, sicque illum, unde impedimentum partus pendebat, capitis dimensorem comprimeret. In quo quidem partus finiendi remedio imitatus fuisse videtur artificium, quo Roonhvysenivs quondam maximam sibi conciliaverat auctoritatem. Is enim ad illum praecipue, quem modo descripsimus, capitis situm emendandum, indeque ortam inclavationem tollendam maximopere commendabat vectem, in inventi honorem ab ejus nomine cognominatum [7]). Cujus instrumenti utilitatem quamquam nec Jo. Leakivs in dubitationem vocare poterat, tamen metuebat, nec sub ejus usu vagina uteri, collum vesicae, aliaque in vicinia sitae partes nimium pressae sphacelo adficerentur, cum synchondrosis ossium pubis instrumento offerre deberet locum, quo fixum quiesceret [8]). Studuit igitur cum forcipe Smellii longa, incuruaque ita conjungere vectem, ut hujus hypomochlium non in ossa pubis, sed in conjunctionem brachiorum forcipis incideret.

---

7) Vid. *Entdeckt. Roonhuysische Geheimniss in der Geburtsh. Leid.* 1753. *p.* 13. 57. Pet. Camper *in Betracht. üb. ein. Gegenstände a. d. Geburtshülfe. Leipz.* 1777. *p.* 72. Bavdelocqvivs *l'art des accouchem. to. II. p.* 49. 60. *ss.* Jo. Steidele *l. c. p.* 154. aliique.

8) In eo quidem male egisse videntur ii medicorum obstetriciorum, qui Roonhuyseniano instrumento ut vecte usi sunt communi. Hinc orta sunt haud dubie crimina, quae huic instrumento a Delevrye (*l'art des accouchemens*) et Steidele (*von dem unvermeidentlichen Gebrauche d. Instrum. in der Geburtsh. cap.* 9.) inflicta sunt. Et melius sane consulunt et capiti infantis, et partibus genitalibus parturientis, qui vecte occiput tanquam unco quodam obtuso detrahunt. Id quod iussit et Bavdelocqvivs *l. c. to. II. p.* 59. Evitantur quoque haecce a pressione vectis orta incommoda instrumento aut digitis quibusdam sinistrae manus, dum dextra caput foetus ad te trahis, deprimendo, atque a partibus, synchondrosi pubis ossium subjectis removendo (cf. Roederer in *element. art. obstetr.* §. 485. *γ.* Jos. Jac. Plenck. *elem. art. obstetr. Vien.* 1781. *p.* 189. aliique); aut spongia puluillisque inter ossa pubis atque vectem interpositis (vid. Boom in *Entd. Roonh. Geheim. p.* 38.); omnium optime vero vecte, ad Ant. Jo. Rechbergeri mentem confecto, quem constat in media parte, ut cochlearia forcipis Levretianae, esse pertusum. Conf. ejusd. diss. *de vecte a se emendato. Vindobon.* 1779.

Jam vero, ut eo distinctior notio hujus instrumenti animo formari possit, videtur necessarium esse, ut partium, quibus compositum est, proportionem accurate describam. Brachia scilicet illius XIII poll. longa, adeoque dimidium pollicem, quam in incurua Smellii forcipe majora, ita divisa sunt, ut cochlearia inde a loco juncturae ad apicem usque VII cum dimidio, reliqua vero, quae manubrium efformat, pars V cum dimidio aequet pollices [9]). Praeter diversam vero longitudinem a Smellii forcipe differt Leakiana etiam in eo, quod cochlearia partim prope juncturam in illa tribus cum quarta pollicis parte, in hac tantum duobus a se invicem distent pollicibus; partim in acutiorem apicem apud illum, in paulo obtusiorem apud hunc, ut eo firmius amplecti queant infantis caput, desinant. Hisce duobus brachiis jungitur vectis, qui eadem fere cum illis ratione est efformatus; nec aliud quid intercedit discriminis, quam quod hic illis dimidio pollice minor, prope manubrium, ut majori virium impetu agere possit, magis incuruatus promineat. Ut vero hic cum forcipe firmius jungatur vectis, nec sub usu facile ab hypomochlio secedat suo, conus ex chalybe confectus, et in apice globulo munitus (vid. tab. Fig. 1. d.) in inferiorem brachiorum partem ad juncturam infixus est, qui cavitate ejusdem cum ipso magnitudinis, in vecte aperta (vid. Fig. 2. a.), exceptus impedit, ne vectis, invito medico obstetricio, sursum, deorsum, vel ad latera moveatur. Intra hanc cavitatem conspicitur alia (a), cum priore per fissuram (b) intermediam conjuncta, eo consilio, ut pro diversa temporum ratione vectis propelli paululum, retrahive possit.

---

9) Hae dimensiones ad pollicis, Londini recepti, magnitudinem sunt finitae, qui cum pollice rhenano comparatus in hac est ratione, 1350 : 1391; cum Parisiensi vero ut 1350 : 1440.

§. 3.

Nonnullae in forcipem Leakianam animadversiones.

Hujus igitur instrumenti Leakius magnam utilitatem statuit in illa, quam paulo ante descripsi, iniqua capitis directione. Cum enim ad peluis latera forcipis cochlearibus introductis, capitique adplicatis, vectis eo ipso loco, quo fere totum partus impedimentum residet, intra os scilicet pubis, et occiput infantis, collocari debeat; conjunctis forcipis vectisque viribus mutuamque sibi utroque instrumento opem ferente [10]), non solum transversalem s. paruam, sed etiam simul maximam capitis comprimi diametrum putat. Neque vero minorem forcipi suae commendationem accedere existimat inde, quod caput ab omni fere parte aequali virium impetu comprimatur, adeoque periculum perinaeo damnum inferendi valde imminuatur. Habet enim vectis Roonhuyseniani adplicatio hoc incommodi, quod caput infantis ab ossibus pubis illius ope remotum, fortissime versus os coccygis prematur, sicque vehementer distensum perinaeum facillime rupturae exponatur, sed an illud forcipe Leakii possit paululum emendari, quin penitus tolli, nescio. Etenim adhibito solo vecte caput quidem infantis eodem virium impulsu versus os coccygis dirigitur, quo ejus ab ossibus pubis remotio tentatur: opposita vero hic, quod jubent, qui adhibendi vectis leges scripsere [11]), extus presso perinaeo manu sinistra ita, ut caput descendens hasce partes ulterius distendere nequeat, non poterit non cum dimensor capitis minimus, tum obliquus

10) Etenim vectis cum forcipe conjunctio non solum efficiet, ut ne, quod alias saepius fieri solet, cochlearia a capite infantis avulsa spem obstetricatoris eludant, sed etiam caput compressum a margine pelvis versus axin ejusdem dirigatur. Forcipis contra ea junctura offert vecti locum, quo sine parturientis periculo hypomochlium figere potest. Vid. Leak. *l. c. p.* 268.

11) V. c. *Das entdeckte Roonhuysische Geheimniss p.* 30. Camper *l. c. p.* 75.

tantundem augeri, quantum vectis pressione imminuitur transversalis. Cum vero cochlearia forcipis Leakianae ad utrumque latus caput constringentia impediant, quominus minima ejus diameter ullum incrementum capere possit, tota fere vectis vis ruet et in diametrum capitis obliquam, et in os coccygis, actioni illius ex adverso collocatum. Haud dubie igitur, quod averti debebat, magis acceleratur periculum conjuncto ad Leakii mentem vecte cum forcipis cochlearibus. Sed et alia sunt, quae fortasse nos, qui minus cupide de vero illius instrumenti pretio statuimus, ab ejus usu non eadem, quae auctor Leakius promisit, commoda exspectare sinant. Cum enim saepe caput repetita uteri contractione, eaque vehementi ita intra ossa pubis, atque sacrum inclavatum haereat, ut tumentibus insuper mollibus tum matris, tum infantis partibus, in quas pressio capitis maximam exserit vim, vectis difficulter admodum, quin interdum plane non inter os pubis et occiput infantis immitti possit, jubent viri artis obstetriciae peritissimi ad latera, ubi aditus ipsi nondum praeclusus est, vectem introducere, introductumque inde ad cartilagineam usque ossium pubis conjunctionem sensim sensimque transferre. Quod quidem artificium ad faciliorem vecti introitum parandum adhibere nequit Leakius, cum hiatum illum ad latera peluis relictum jam forcipis cochlearia occupaverint. Sed videtur compositi hujus instrumenti auctor plane non respexisse ad eam, quam modo posui, capitis inclavati vehementiam: adserit enim, sine magna virium impensa vectem intra occiput infantis atque ossa pubis collocari posse. In tanta vero ferramenti illius introducendi facilitate caput non adeo firme canali peluis osseo impactum est, ut plane moveri nequeat. Quamobrem tunc satius mihi quidem videtur pravam capitis directionem aut sola manuum, aut si hae non sufficiant, forcipis Levretianae ope, emendare, atque efficere, ut maxima capitis diameter

obliquo peluis incidat dimensori, quam forcipe Leakiana in usum vocata caput eadem, qua sese ad superiorem peluis aperturam obtulerat, directione protrahere. Quae cum ita sint, profecto arti obstetriciae parum, quin nihil omnino incrementi accessisse Leakianae forcipis inventione, eo lubentius statuo, quo certius scio, me non libidine quadam, omnia recens inventa, quamvis utilia, ingenioseque excogitata, tenaci antiquitatis amore, gentisve praejudicio rejiciendi, sed solo veritatis studio in dijudicando Leakii ferramento ductum esse. Si qui tamen fuerint novitatis magis, quam veri amantes, qui illius defendendi provincia suscepta hoc meum qualecunque judicium tanquam tironis explodant, ii meminerint, etiam virum in arte obstetricia versatissimum, adeoque maxime idoneum in hac re arbitrum, Ge. Gvil. Steinivm, in eadem mecum sententia versari, ferramentique Leakiani tertium, quod vectem constituit, cochleare non solum inutile, sed etiam maxime noxium statuere [12]).

§. 4.

De forcipe Johnsoniana.

Alia forcipis Smellianae emendatio aliquot annis ante priorem facta et publice proposita est a Robert. Wallace Johnsono, Med. Doct. [13]) quae qualis fuerit, qua de causa suscepta, et quantum ad perfectionem forcipis contulerit, jam nunc pro instituti natura breviter perpendamus. Scilicet aliquoties Johnsonvs, Smelliana usus forcipe, expertus erat, quod, dum alterum ejus brachium capiti infantis adplicare conaretur, illud, quod prius introductum erat, loco motum suo in concavam ossis sacri partem delabebatur, unde

---

12) Conf. Ejusd. *practische Anleit. zur Geburtshülfe. Cassel* 1777. *p.* 159.

13) A new system of midwifery in four parts; founded on practical observations. *London* 1769. 4. *p.* 178. et 269. *Tab.* 11.

vi quamvis magna adhibita, in pristinum locum reponi non poterat. Quod cum Johnsono saepius accideret, non poterat non ipsum taedium forcipis capere, atque ad ejus usum negligendum quodammodo invitare. Cum vero multa inciderent tempora, quibus sine forcipe partus aut plane non, aut difficulter absolvi poterat, hinc factum est, ut de ferramenti hujus emendatione studiose cogitaret. Ac prima quidem immutatio in eo comprehendebatur, quod in altero, quod primo loco genitalibus matris immittendum erat, brachio fissuram transversalem ibi aperiendam curabat, ubi manubrium cochleari jungitur, per quam alterum brachium, quod marem appellare liceat, sensim sensimque directione contraria matrici inferre, caputque infantis complecti studebat. Verum enim vero facile est ad perspiciendum, hac emendatione uti effectum erat, ut prius introductum brachium, usque dum alterum, quod illius fissura continebatur, etiam suo loco collocatum esset, immotum quiesceret: ita introductionem alterius brachii multo difficiliorem redditam fuisse, quam antea, cum cochlearia amplius spatium, quo liberrime moveri in omnes fere partes poterant, obtinerent. In qua quidem sententia neutiquam metuo, ne sint, qui rationem optime callentes, qua secure et facile introduci forceps queat, in contrarias abeant partes. Etenim perpendamus modo, quoties cochlearia forcipis vel in caput infantis, vel in ossa peluis incurrant, et nisi paululum ab ingressa via manubrium nunc magis illi ossi femoris, in cujus vicinia forcipis brachium matrici immittitur, apprimendo, nunc in oppositum latus movendo, nunc versus ossa pubis elevando, nunc denique versus os coccygis deprimendo deflexeris, et matri et infanti damna inferant gravissima; cogitemus praeterea hancce ferramenti Johnsoniani fabricam, qua alterum ejusdem brachium per fissuram transversalem, in superiori manubrii extremitate apertam, atque adeo in spatio

admodum arctis limitibus circumscripto sursum moveri debet: et facilis erit conjectura, hanc emendationem multo pluribus obrutam incommodis, quam commodis probabilem, nec ipsi ejusdem auctori diu placere potuisse. Nam ut taceam, magnum manubrii volumen, in quod, nisi velimus cochlearia ipsa minus lata crassaque reddere, ob illam fissuram extendi necessario in superiori parte debet, semper quoque priori loco immittendum erat in genitalia femineum brachium: id quod uti in Levretiana forcipe, ita et in hac non omni tempore fieri posse, inter viros artis obstetriciae peritos satis constat [14]). Cum igitur diutius Johnsonvs cum tot ab concava peluis, intra quam forceps promoveri debebat, formatione incommodis colluctari nollet, forcipi rectae Smellii, qua antea paululum, ut vidimus, immutata usus erat, incuruam praetulit, quippe qua melius illas, quas partim a concava pelvis formatione, partim a capite infantis derivabat, introducendi instrumenti difficultates superare posse existimabat. Sed tunc fissura illa transversalis, quae maxime Johnsono probabatur, non amplius locum habere poterat, quippe cum alterum brachium per hanc aperturam non ita transmitti posset, ut et femina ab omni laesione tuta esset, et brachium forcipis ob varias flexiones, introductionis causa necessario suscipiendas, non infanti aeque ac matri noxium evaderet. Quamobrem neglecta hac conjungendorum invicem brachiorum ratione recepit iterum Smellianam, ita tamen, ut

---

14) Cf. Bavdelocqve's *Anleitung zur Geburtshülfe to. II. p.* 61. Cum enim ut plurimum masculum brachium forcipis Levretianae primo inferri, capitique adplicari soleat, femineum tamen praeferimus v. c. tunc, cum caput foetus supra superiorem peluis aperturam ita collocatum adhuc restat, ut occiput versus sinistrum, frons vero versus dextrum matris latus spectet. Nam occiput, utprimum caput superiorem peluis aperturam penetraverit, sub arcum ossium peluis collocandum est, id quod, quando curvatura dicta versus aliam capitis regionem, quam versus occiput, posita est, fieri nequit.

eam profundiorem redderet, exteriorique juncturae margini majorem tribueret crassitiem, roburque.

Priusquam vero longius progrediar, eaque enarrem, quae emendatione forcipis sua Johnsonvs spectavit, videtur necessarium esse, ut instrumenti formam accuratius definiam, rationesque singularum, quibus compositum est, partium adferam. Forceps igitur Johnsoniana, e chalybe, aut quod praeferendum auctori videtur, cum ignis vi effingi, formarique debeat, e ferro, ad chalybis duritiem perducto, facta aeque ac reliquae forcipes in tres dividitur partes, manubrium nempe, juncturam, et cochlearia. Quarum quidem partium rationes ita finiit Johnsonvs, ut manubrio A. C. quatuor pollices, juncturae C. D. quadrantem, seu potius parum ultra tres octantes pollicis partes, cochleari denique D. P. sex cum septem octantibus pollices concederet. Tota igitur longitudo inde ab A. usque ad alteram, quae ipsi opposita est, extremitatem G. efficiet undecim cum tribus fere octantibus pollices. Et in eo quidem primo differt Johnsoni forceps a Smelliana, quippe quae duodecim cum dimidio pollices longa est, manubriumque sesqui pollice majus habet. Neque vero haec manubrii longitudo, in Smelliana forcipe observata, videtur vitio vertenda esse instrumento, imo, quantum quidem ego sentio, ad ejus commendationem haud parum facere. Cum enim in Smelliana forcipe manubrium aequet fere dimidiam totius ferramenti longitudinem, illud, quo vires comprimentes adplicantur, punctum longius ab hypomochlio removetur, atque adeo caput infantis magis comprimi, compressumque fortius retineri potest, quam cum forcipe Johnsoniana, cujus manubrium tertia tantum totius brachii parte paululum majus est. Quod quidem incommodum in illa forcipe Johnsoniana, cujus copiam mihi Experientissimus Pohlivs humanissime fecit, cui et ob innumera, ex Illius institutione in me profecta commoda, et ob alia benevolen-

tiae favorisque erga me specimina non possum non publice agere gratias, ita emendatum fuisse animadverti, ut manubrium, toto brachio in XIV partes aequales diviso, VI cochleare vero VIII partes aequaret. Praeter commemoratas vero dimensiones longitudinales in medium quoque adducendae sunt illae, quibus latitudinem instrumenti, diversis in partibus diversam, finivit Johnsonus, quarumque utilitatem usus et experientia ipsi maxime comprobavit. Scilicet ad A uno pollice cum octante, ad B quatuor octantibus cum dimidio, ad C et D quinque, ad E duobus fere, ad F quatuor, ad G quinque, ad H sex, ad I septem octantibus, ad K pollice uno, ad L pollice uno cum octante, ad M pollice I cum duobus octantibus, ad N pollice I cum tribus octantibus, et ad O denique quinque fere quadrantibus latam forcipem curabat formandam. Haecce igitur cochlearia, uti omnes anglicae forcipes esse solent, margine paululum prominentiore orbata, media sui parte ita perforata sunt, ut hujus aperturae margo cum curvatura cochlearis exteriore eadem sit directione, et quod mathematici ajunt, parallelus. Ipsa cochlearia, versus interiorem, qui aperturam finit, marginem, magis, quam in media ipsorum parte, tenuia, efficiunt, ut apertura illa cavitatem quasi formet, quae caput infantis arctius comprehendat, forcipemque, quominus caput male relinquat, impediat. Jam igitur ad intelligendam omnem forcipis Johnsonianae naturam nihil videtur deesse amplius, quam ut et istam cochlearium curvaturam definiam, qua brachiis sibi invicem junctis, sensim sensimque a se recedant, iterumque se contrahant. Cum vero, si omnes omnino hujus distantiae dimensiones numeris complecti vellem, haud temere metuendum esset, ne nimium lectoribus taedium adferrem, Johnsoni exemplum secutus, solummodo in universum finiendum putavi, quantum hac curvatura forcipis decedat longitudini. Quod quidem forcipis

decrementum non ultra tres octantes excurrit, ita, ut jam instrumentum integrum undecim aequet pollices.

§. 5.

De commodis, quae Johnsonus emendata a se forcipe consequi studuit.

Ac primum quidem studuit forcipis curvaturam, qua cochlearia a se invicem distant, ita efformare Johnsonvs, ut optime conveniat concavae peluis figurae. In quo tam feliciter versatus est, ut vix putem aliam inveniri forcipem, quae in hac ipsa re superet Johnsonianam. Neque igitur, quod pace viri in arte obstetricia celeberrimi dixerim, audiendus Steinivs [15]) esse videtur, qui ob ipsam illam curvaturam, quam, si cum cochlearium brevitate comparaveris, nimis magnam pronuntiat, forcipi Johnsonianae tunc tantum aliquam tribuit utilitatem, cum caput infantis jam totum vagina uteri continetur, atque exitum ex inferiori pelvis apertura molitur. Etenim non video, qui ista curvatura impediat, quo minus forceps Johnsoni tam alte, quam ipsius longitudo concedit, in pelvis cavitatem penetrare possit, nec memini ullum inter viros, arti obstetriciae vitam studiumque dicantes, praeter Steinivm hoc forcipi Johnsonianae vitio vertere, atque inde praetextum captare, Levretianam illi praeferendi. Plerisque potius hoc displicet, quod illius in genitalia parturientis immissio ob majorem, quae cum in margine, tum in ipsa cochlearis latitudine conspicitur, curvaturam sit difficilior quam Levretianae, incuruaeque Smellianae, quarum inflexio mollior deprehendatur [16]). Verum enim vero videtur prius,

---

15) Cf. *pract. Anleitung zur Geburtshülfe* §. 579. *p.* 159.

16) Idem quoque voluisse videtur Bavdelocqv. *l. c. to. II. p.* 31. seq. dum ait: *nonnullos medicos obstetricios forcipem aliquot pollicibus longiorem fieri jussisse: alios marginem in interiore cochlearium parte prominentem, aequalem fecisse; alios denique curvaturam marginis majorem reddidisse, quorum ut illi utilita-*

quam hoc de crimine, Johnsonianae forcipi inflicto sententiam feramus nostram, inquirendum esse, num ista introducendi difficultas magis ab obstetricatoris partibus, quam ab ipsius ferramenti natura pendeat. Nam ut quisque est Levretianae forcipi magis adsuetus, ita plura, majoraque impedimenta cum Johnsonianae usu inveniet conjuncta. — Quid? quod et Exper. MECKELIVS[17]) tum egregie monuit, hasce difficultates usu, atque exercitatione facillime superari: tum commode ROEDERERVM, Argentinensem magni nominis medicum, testatur de forcipis Johnsonianae utilitate, atque praestantia ita esse usu et experientia convictum, ut ipsam ceteris praetulerit omnibus: atque ter tempora, dum ipse Argentorati versaretur, incidisse, quibus, Levretiana relicta, ad Johnsonianam confugere sit coactus. Quibus quidem accedit etiam GEHLERI, Viri Exper. sententia, quae non potest non apud illos multum valere, qui exquisitam Ipsius norunt doctrinam, longo usu magis magisque excultam firmatamque. Is vero mihi, quae ejus erga me fuit humanitas, cujus, et aliis documentis cognitae, memoria numquam animo excidet meo, saepius adfirmavit, sibi nullis omnino, vel certe admodum exiguis difficultatibus obnoxiam videri forcipis Johnsonianae in genitalia parturientis immissionem. Etenim quamquam inflexio hujus instrumenti satis magna est, mul-

---

tem forcipis auxissent, ita hi usum instrumenti difficiliorem, quin interdum minus tutum effecisse. Nescio, an illa verba *minus tutum* magis ad omissum marginem alias eminentiorem, qualis in Levretiana forcipe esse solet, quam ad auctam curvaturam marginis referenda sint. Quamquam prior mihi sese magis probavit sententia. Putavit enim LEVRETVS margine paululum elatiore, quem forcipes Anglicanae omnes abesse iusserunt, magis firmam reddi adhaesionem et adplicationem forcipis; cum contra ea facilius sine ejusmodi margine prominente caput infantis relinquat. Sed jam dudum ostenderunt viri, in arte obstetricia peritissimi, LEVRETVM in hac re cupide magis, quam vere judicasse.

17) In notis ad BAVDELOCQV. *l. c.*

tumque superat curvaturam Levretianae forcipis; tamen ea, nisi abdomen aut ob obliquum, et in anteriorem quidem partem directum uteri situm, aut ob gemellos tergeminosque foetus matrici inclusos, aut aliam ob causam praeternaturalem, atque adeo rarius, quam res forcipis usum efflagitare solitae, contingentem, nimis prominulum sit, non impediet, quominus illud ferramentum in universum eadem, qua Levretianum, cum facilitate introduci, capitique foetus adplicari possit. Nam ex paucis singularibusque factis profecto de instrumenti alicujus aut praestantia, aut inutilitate in universum judicare non licet. Quid? quod et inter enumerata impedimenta sunt, quae nisi prius removeantur, ne dicam instrumentorum adplicationem, sed ipsum partum difficilem, quin penitus non absolvendum reddant. Huc refero, et jure quidem, obliquum uteri situm, quippe quo efficitur, ut axis uteri longitudinalis a pelvis axi recedat vel ad latera, vel versus anteriora abdominis, vel in contrariam partem plus minusve labatur. In quamcunque vero regionem viscus illud inclinatum vergat, ipsius orificium, quod sub partus tempore amplum, perfecteque rotundum hiatum formare, atque foetus, ovi tunicis contenti, pressu aequali magis magisque dilatatum in media peluis parte situm occupare suum debebat, non ubivis aequo gradu distenditur, nec adeo circulo circumscribitur integro, et denique aut plane non, aut ex aliqua tantum sui parte, et quidem extra mediam pelvim tactu percipi potest. Hinc non mirum, quod interdum nullum omnino instrumentum, et saepe ne digitus quidem sine orificii uterini laesione immitti queat. Cogitemus enim, qui huc proprie pertinet, obliquum, et in anteriora propendentem uterum, habebimus altius retractum atque ita inflexum uteri orificium, ut partus, ista matricis directione superstite, naturae viribus, quin et arte accedente absolvi feliciter non possit, cum neque caput, aliave infantis pars

orificium omni ex parte aequaliter distendere, neque manus obstetricis ob obliquam colli uterini directionem immitti, immissaque versio perfici queat. Emendanda igitur prius ista prava uteri positio est, quam ullum adplicare possumus ferramentum; utero vero, ad eum, qui ipsi naturalis esse solet, situm revocato, abdomen paululum detumescet, nec Johnsonianae forcipi introducendae ullum amplius objiciet impedimentum. Quodsi vero os uteri, hoc secundum naturam sito, neutiquam in causa difficulter aut plane non in genitalia immittendae forcipis est, sed haec solummodo a nimia protuberantia abdominis, foetuum vel magnitudine vel multitudine, aut hydrope nimis distensi, pendet, videndum erit, annon parturiente ita collocata, uti praecipiunt, qui corrigere uteri versus anteriora directi situm cupiunt [18]), istam abdominis prominentiam imminuere possis.

Alterum vero, quod Johnsonus spectavit, cum Smellianam forcipem emendare apud animum constitueret suum, cernitur in eo, quod Smellii aeque ac Levreti forceps ob curvaturam, ab hoc inventam, nec ibi, ubi junctura brachiorum conspicitur, paululum versus superiora inflexam perinaeum soleat foras pellere, rupturamque ipsius promovere. Incommodum igitur illud ita sustulit, ut cochlearia inde ab extrema parte perforata I usque ad F introrsum flexa, et ab

---

18) Cf. Saxtorphii *animadvers. de correctione uteri, et foetus in partu*, quae continentur in *collect. societatis medicae Hafniensis vol. II. Hafniae* 1775. *p.* 127. *ss.* Suadent scilicet plerique medicorum obstetriciorum, ut femina pelui admodum elata, pectore vero declivi, dorso incumbat, obstetrix vero, sive adstantium quidam manibus leniter uterum versus superiora, et posteriora trudat. Sed rejicit Saxtorphius istam agendi rationem, tanquam inutilem noxiamque, probatque versionem infantis, forcipisque usum. Vix tamen, si perfecta uteri versus anteriora obliquitas adest, mihi probabilis videtur consilii hujus utilitas; quippe cum tunc orificium uteri ita versus posteriora directum esse soleat, ut manus ad versionem necessaria aegre, forceps vero non sine maximo laedendarum genitalium partium periculo introduci queat.

F usque ad juncturam C leniter iterum reflexa novam quasi curvaturam efficere juberet. Qua quidem re factum est, ut caput foetus magis ab osse coccygis atque adeo a perinaeo versus arcum, ab ossibus pubis efformatum, duceretur. At audio defensores forcipis Levretianae, cum dicunt, idem etiam hoc instrumento effici posse, modo istud paululum versus ossa pubis flectatur, sicque caput infantis a perinaeo retrahatur. Sed vereor, ne, dum hoc modo malum tollimus, alteri nec leviori viam aditumque pandamus. Etenim fieri nequit, quin inferior ossium pubis pars, nisi huic rei eadem, qua Johnsonus, ratione medelam adferas, nimio forcipis pressu laedatur. Ille scilicet duplici flexui, qui in Levretiana, incurvaque Smellii forcipe est, addebat tertium, cujus utilitatem ac praestantiam, ut quisque maxime est ad rectum ejusmodi rebus pretium statuendum idoneus, nec antecaptarum opinionum vinculis constrictus detinetur, ita non potest non facillime intelligere. Praeter illa enim commoda, quae modo enumeravi, e nova hac curvatura certissime oriunda, quaeque in praecavenda laesione cum perinaei, tum ossium pubis cernebantur, huc etiam non immerito retuleris, quod caput infantis melius sic educi potest, cum vires foetum protrahentes ita manubrio hujus forcipis adplicari possint, ut eaedem, quamvis magna sit ejus inflexio, tamen, linea recta per medium manubrium, angulumque rectum, quem junctura cum procurrente brachio efficit, ad extremitatem cochlearis Q ducta, in eundem incidant locum, cui forceps haeret admota. Contra ea si eandem lineam eadem ratione in Levretiana, incurvaque Smellii forcipe ducimus, ductamve animo fingimus, pertinget ipsa non ad illum capitis locum, cui circumposita est latior cochlearium extremitas, sed ad alium, ab hoc paulo remotiorem. Quamobrem non poterimus hisce forcipibus usi descensum capitis tanta cum certitudine dirigere, quanta Johnsoni ferra-

mento adhibito. Dum vero de tertia curvatura agimus, qua Johnsonus forcipem auxit, videtur monendum aliquid esse de apice illo F, quem minime convenire ejusmodi instrumento crediderim. Quantopere enim in eo elaborare soleant viri, quorum studiis, et sagacitati variorum instrumentorum in arte obstetricia adhibendorum inventionem debemus, ut omnis absit aspritudo, marginesque sint obtusi, leniterque inflexi, vel in vulgus notum est. Quamobrem mirabar magnopere, quod Johnsoni forceps tuberculum quoddam offerret satis acutum F, quo genitalia parturientis facile laedi poterant. Quod ipsum etiam intellexit jam Friedius, qui hanc forcipis Johnsonianae emendationem auditoribus commendabat suis: cujus rei notitiam Exper. Pohlius mihi humanissime suppeditavit.

Denique et in eo haud levis commendatio Johnsonianae forcipis mihi reperisse videor, quod suprema cochlearium pars latior est, quam in Smellii Levretique instrumentis. Ut enim brevitatis studio mittam majorem firmitatem, qua cochlearia capiti infantili adhaerent, auctis contactus punctis effectam, in eo tantum paululum commorabor, quod hac emendatione capiti foetus etiam multum prospicitur, quando id, trunco jam extra genitalia, in pelvi quodammodo inclavatum forcipe est detrahendum. Nam quo angustiore superficie caput comprimitur infantis, eo magis metuendum est, ne cerebrum, uno tantum in loco vehementer pressum, laedatur, aut ossa cranii, quibus forceps adponitur, tenera adhuc atque flexilia ita versus interiora adigantur, ut inde fovea quasi oriatur, quae si magna fuerit, gravia inde dimanare solent symptomata [19]), non prius compescenda, quam calva

---

19) Huc pertinent febris, interdum satis vehemens, continua fere in somnum proclivitas, vomitus, et interdum accedit post longum temporis intervallum etiam memoriae jactura. Conf. Camperdonus, et Maurelus in Journ. de médécine to L. mens. Aug. Fabricius Hildanus Cent. II. Observ. 5. p. 87. Kölpin. etc.

aperta est, et modiolo aliisve artibus locus depressus elevatus. Quae quidem incommoda JOHNSONVS optime praecavit sic, ut superius cochlearia in latum apicem terminaret, quippe quo non una eaque exigua calvae pars, sed tota fere ejus lateris, cui adplicatur, superficies aequo comprimatur nisu.

Neque vero displicet, quod JOHNSONVS cochlearia inde ab eorum junctura sensim sensimque a se invicem discedere, nec statim magno hiatu sese expandere jussit. Etenim hac ipsa re efficitur, ut orificium vaginae uteri lenius diducatur, nec nimis subita dilatatione laedatur. In qua quidem re peccasse mihi videtur ORMIVS, qui cochlearia forcipis sub angulo valde obtuso sibi invicem junxit. Nam expansio orificii vaginalis eo facilius, et tutius continget, quo magis corpus illud, a quo dilatatio pendet, ad cunei recti formam accedit. ORMII autem forceps refert cuneum inversum, cujus basis primo, apex vero ultimo loco, atque adeo longe difficilius, e genitalibus prodit. De qua quidem re curatius paulo post agam, cum forcipem ab ORMIO inventam descripsero. Uti vero Johnsonianum ferramentum ratione anguli istius, qui a cochlearium conjunctione efficitur, ab Ormiano, ita etiam a Levretiano, atque Smelliano recedit, in quibus ille nimis acutus esse solet, quam ut caput infantis recte, et quantum opus fuerit, inde comprimi possit[20]). Quam ob rem etiam in eo reliquis longe praeferenda mihi videtur Johnsoni forceps, quod cum ea pressionem capitis melius, et pro nostro arbitrio dirigere valemus.

Quamquam vero haec, quae attuli, omnia faciunt ad commendandam, quae a JOHNSONO suscepta est,

---

20) Si quatuor has forcipes, Levretianam, Smellianam, Johnsonianam, et Ormianam invicem comparamus, distantiamque cochlearium a se invicem finimus, invenimus eam in LEVRETI forcipe dimidium, in JOHNSONI unum cum tribus quadrantibus, in SMELLII recta duo, in ORMII denique duo pollices cum $\frac{15}{16}$ aequare.

forcipis emendationem; tamen sum ejus praestantia non ita captus, ut nihil omnino inveniam, quod in illa merito reprehendi queat. Huc, ut hoc utar, referendum puto involucrum e corio rupicaprae confectum, quod Smellii exemplum imitatus male retinuit. Etenim crassitiem cochlearium, quae jam satis magna est, multum auget, atque adeo impedit, quominus forceps eadem facilitate, qua debet, in genitalia introduci, capitique infantis adplicari possit. Deinde vero etiam istud pellitum quasi velamentum plane supervacuum est, cum illa commoda aut plane non praestet, quae ab ipso Smellivs expectavit, aut alia, eaque meliore ratione consequi liceat. Nolo haec fusius explicare, cum nota sint, diuque jam a viris peritissimis observata [21]). Addi tamen potest incommodis inde dimanantibus etiam hoc, quod forceps pelle inducta, quae oleo, aut unguinoso, qui ex utero tunc profluit, humore admodum lubrica redditur, facilius a capite foetus secedit, laboremque obstetricatoris eludit, quam si nuda in uterum immittitur. Hinc Boekelmannvs cum Titsingo [22]), ut istam nimiam lubricitatem effugerent, corio, quo munitus esse quondam solebat vectis Roonhuysenianus, pannum e lana succida factum substituebant. Quae cum ita sint, recte omnino, et cum ratione egisse videntur, qui inutile istud involucrum proscripsere, cochlearibusque bene politis illis quidem, sed nudis usi sunt.

§. 6.

De forcipe Ormii.

Inter emendationes forcipis Smellianae restat una haec, ab Ormio, chirurgo nosocomii Londinensis,

---

21) Ex plurimis scriptoribus uno defungar Levreto; cf. ejus suite des observations sur les causes, et les accid. des plus. accouchem. labor. p. 233.

22) Vid. *entdeckt Roonhuys. Geheimn.* p. 44. Campers *Betrachtungen über einige Gegenst. a. d. Geburtshülfe* p. 84.

Guy's Hospital dicti, et Experientissimo Lowthero, medico obstetricio ejusdem nosocomii, nuper facta. Annum vero, quo instrumentum illud inventum, inque publicum productum est, ut ingenue fatear, aeque ignoro, ac causam, ob quam soli Ormio inventionis honor tributus est, quamquam et Lowtherum in ejus societatem venisse certo scio. Qui mihi ista ad historiam instrumenti Ormiani perficiendam necessaria suppeditaverint Viri eruditi, gratissimum mihi facient, meque hoc humanitatis specimine ipsis maximopere obstringent.

Forma vero forcipis hujus accedit multum ad formam forcipis Smellii rectae. Nam et fere eadem est utriusque longitudo, eadem conjungendi ratio, eademque manubriorum figura. Prius autem, quam quae inter utramque tamen intercedat differentia, curatius exponam, non ingratum fore lectoribus existimo, uno quasi intuitu, et veluti in tabula dimensiones utriusque instrumenti finitas hic conspicere.

	Smellii recta	Ormii forceps
longitudo totius instrumenti	11. $\frac{5}{16}$. poll. rhen.	— A I (vid. tab. Fig. 3.) 11. $\frac{1}{3}$
cochlearium	— 7.	— H A 6. $\frac{2}{3}$
manubrii	4. $\frac{5}{16}$	— H I — $\frac{11}{16}$
inde a junctura loco H signato (vid. tabula aenea citata Fig. 3.) usque ad perforationis cochlearium initium, a Gallis *la fenêtre* dictae,	— 2. $\frac{1}{6}$	— H B 1. $\frac{2}{3}$
Spatium, quod inter utrumque cochleare intermedium est, ducta linea a perforationis cochlearis in inferiori parte initio usque ad eundem alterius cochlearis locum 2 poll.	— —	— B G B 2. $\frac{1}{3}$

	Smellii recta	Ormii forceps
Spatium, quo maximopere a se invicem distant cochlearia	— 2. $\frac{1}{6}$	(quod in hac forcipe a B versus superiora abest $1\frac{13}{24}$ poll.) 3
latitudo cochlearium ad inferius perforationis initium	— — $\frac{4}{9}$	— $1\frac{13}{24}$ et paulo superius, inde a B $\frac{13}{16}$, aequat parum ultra 1. $\frac{2}{3}$
— — — ad superiorem perforationis extremitatem	— $\frac{5}{6}$	— — 1. $\frac{1}{8}$
Spatium, quo utrumque cochleare in superiori extremitate a se invicem remotum est, o	— — —	— — 1. —

Jam facillimum esse puto ad intelligendum, Ormianam forcipem a Smellii recta differre partim in cochlearium figura, quae quippe in Smellii ferramento ab angusta inferius basi in latum desinit apicem, in Ormiano contra ea latam basin in apicem paulo angustiorem coeuntem repraesentat, partim in anguli, sub quo sibi cochlearia junguntur, magnitudine, qua Ormiano Smellii instrumentum primas concedit, partim denique in hiatus amplitudine, quo cochlearium superiores extremitates a se invicem distant. Quae quidem immutationes an vere ad emendationem forcipis fecerint, jam nunc inquirendum esse videtur antea, quam de pretio, quod Ormiano ferramento recte statuendum sit, judicare licet. Ac primum sunt, qui magnam Ormianae forcipis commendationem quaerant in eo, quod sinus ejusdem sit inter omnes, quae quidem nunc in manibus obstetricantium versari solent, forcipes maximus [23]. Qua quidem re effectum esse

23) Honoris causa nomino Exper. Meckelium, qui aliquoties in eruditissimis ad Baudelocquii artem obstetriciam to. II. notis

putant, ut caput infantis lenius, et cum minore damni periculo comprimi possit. Etenim cum infans plerumque in magnum vitae discrimen adducatur, quando per pelvim deprimendus est, cujus diameter minima tres tantum aequat pollices, idem illud discrimen maximopere augeri debere concludunt forcipibus, quarum cochlearia nunquam ultra duorum pollicum cum dimidio distantiam a se invicem remota sunt. Sed equidem nescio, an metus aut plane inanis, aut certe nimius fregerit animos eorum, qui in istam abierunt sententiam. Nam consideranti cuilibet, quam difficiles saepius ob nimiam pelvis angustiam contingant partus, nullo in infantem inde redundante incommodo, non licebit de forcipis applicatione, indeque orta capitis compressione nimis inique statuere. Non ignoro quidem, adversarios regerere, pressionem capitis sola uteri contractione effectam multum differre ab ea, quae a forcipe pendeat, nec ab illa, quamvis vehementi, ulla interdum incommoda in vitam sanitatemque dimanare infantis; illam enim sensim sensimque contingere, et in totam capitis superficiem simul agere: hanc, etiam si maxima cautio adhibeatur, subitaneam esse, atque illum tantum minuere capitis dimensorem, cui apposita sint forcipis cochlearia [24]). Verum enim vero omnis haec disputatio non speculatione, sed usu, et experientia sola dirimenda mihi esse videtur. Atqui nondum certa experimenta instituta sunt, unde intelligi possit, quantum caput infantis sine periculo forcipe comprimi queat. Nam quod viri artis periti

---

v. c. pag. 36. not. 10. p. 39. not. 9. hujus forcipis commendationem suscepit. Optandum foret, ut ipse experimenta, quae cum isto instituit instrumento, publici juris faciat. Magnitudo sinus illius superat parum tantummodo sinum, qui in Smelliana forcipe conspicitur, quique Levreto (Suite des observat. to. II. p. 229.) ita probatur, ut Smellianum instrumentum eam ob rem omnibus forcipibus, ne sua quidem excepta, praeferendum existimaret. cf. eundem l. c. p. 232.

24) Baudelocqu. l. c. p. 37.

affirmant capitis dimensionem sex lineis et ultra absque omni incommodo imminui posse, id ex tam paucis observationibus deductum est, ut in regulae formulam redigi nequeat[25]). Nupera Gallorum inventio, qua forcipi additum est instrumentum, ad angulum, sub quo manubria invicem coeunt, metiendum perquam idoneum, a medicis obstetriciis in usus vocata, illi disquisitioni sensim sensimque lucem affundet majorem. Quorsum vero haec omnia? Nempe eo, ut ostendam, quamquam Ormiana forcipe caput vere lenius comprimatur, reliquas tamen forcipes illi non multum cedere, cum, etiamsi ipsarum comprimendi vis major sit, tamen nondum certis experimentis finitum esse videatur, quinam constrictionis gradus vitae infantis sit periculosus.

Verum enim vero sumamus, forcipem Ormianam ob majorem, qua cochlearia versus juncturae regionem a se invicem distant, curvaturam capiti infantis protrahendo plus incolumitatis praestare, indene eam reliquis omnibus, quibus hucusque usi sumus, praeferemus? Minime vero. Etenim quotiescunque istud quidem instrumentum accurate, et ab omnibus antecaptarum opinionum vinculis liber considero, non possum non illud omnium fere eorum reum agere, quae rectae Smellii forcipi a viris artis obstetriciae peritissimis vitio sunt jure meritoque versa. Quo pertinet, ut his utar, quod junctura cochlearium, plerumque ad perinaeum sita, huic parti facillime cum pressione sua, tum quando cochlearia caput male relinquunt, damnum inferre potest; quod capite ossibus pubis innixo, uteroque versus anteriora inflexo plane inutilis est, et quae sunt similia. Quae cum ita sint, videtur Celeberrimi Steinii judicium, quod supra de Johnsoniana laudabam, majori cum jure in hanc esse transferendum. Nam tunc tantum eam alicujus utili-

---

25) Ibid. p. 38.

tatis esse putem, quando caput jam per superiorem peluis aperturam descendit, et intra ossa ischia, seu in inferiore peluis apertura haerent, ita, ut promoveri nequeat. Ad ejusmodi partum celerius absolvendum, cum reliquae forcipes, si Smellii rectam, Ormiique exceperis, ob longitudinem aegre possint applicari, rectoque situ contineri, has omnino in usus vocandas esse censeo, nisi velimus exspectare naturae efficaciam, caputque doloribus partus deprimendum relinquere. Quodsi vero etiam tunc temporis mihi optio concedatur inter Smellii rectam, Ormiique forcipem, semper illam huic praetulerim. Etenim hujus cochlearia nimio a se invicem distant hiatu, quam ut inde nullum in vaginae uterinae orificium redundet incommodum. Nolo hic ea iterum repetere, quae jam supra, cum de Johnsonianae forcipis commodis agerem, tetigi.

Praeterea vero aliud adhuc, quod, quantum equidem video, jure in forcipe Ormiana reprehendendum est, cernitur in eo, quod cochlearia partim justo tenuiora cedunt vi extractrici, nec caput prehensum tam firmiter retinent, ut illud effugere plane nequeat, partim abeunt versus superiora in apicem angustiorem, quam forceps Smellii recta exhibet: quo fit, ut puncta contactus, adhaesionisque vires imminuantur. Quod quidem incommodum augetur etiam hiatu admodum, qui in superiori cochlearium parte relinquitur. Si enim cochlearia sese invicem ibi mutuo contingerent, major vis necessaria foret ad ea ita diducenda, ut caput infantis quamvis exiguum elabi patiantur. Hinc Smellii recta forceps, cujus cochlearia extrema sese mutuo contingunt, magis apta est ad caput firmiter in inferiore peluis apertura impactum atque immobile extrahendum. Denique brachiorum conjungendorum ratio, quamvis cum Smelliana primo quidem intuitu convenire videretur, tamen etiam, nisi brevitati studendum esset, largam reprehensionis

materiam praebitura erat. Nam cum admodum infirma sit, forcipis usum etiam non satis efficit tutum, quoniam brachium vel hoc, vel illud nunc versus superiora, nunc inferiora versus facillime movetur, caputque inaequali modo comprimitur. Quanta inde extractioni infantis suboriatur difficultas, quanta in sanitatem infantis dimanent incommoda, nemo non lubentissime concedet, qui ab usu, experientiaque non omnino remotus est. Nolo jam ex his, quae breviter de Ormianae forcipis incommodis disserui, colligere quasi animi mei hac de forcipis Smellianae immutatione sententiam. Etenim lucide apparere puto, me non tantopere captum esse novitatis amore, ut vere emendatam, et ad majorem perfectionis gradum evectam Ormii studiis forcipem fuisse censeam.

Sed haec hactenus. Reliqua, quae de novissimis correctionibus forcipis Levretianae, quas luxurians Francogallorum ingenium tentavit, in promptu erant, in aliud tempus, ne lectorum eruditissimorum patientia abutar, differre constitui, nunc nihil amplius additurus, nisi preces observantissimas, velint hoc qualecunque specimen humaniter excipere, mihique, quae minus recte forte dicta exciderint, benevole condonare!

V.

MOMENTA QVAEDAM,

QVAE AD VITAM HOMINVM SVBMERSORVM RESTITVENDAM MVLTVM FACERE VIDENTVR.

Memoriae Kregelio - Sternbachianae pie colendae causa, Jo. Ca. Gehleri, t. t. med. ord. Decani, nomine scriptum, et d. xx. Jul. cIↃIↃccxciii. editum programma.

Instituenti mihi animum ad cogitandum, de qua re potissimum per hanc scribendi opportunitatem, quam mihi memoria Generosissimi Car. Frid. Kregel de Sternbach celebranda suppeditat, paucis agerem, haud quaesita se obtulit, quin ingrata obtrusit tristis eorum recordatio, qui nuper admodum hic Lipsiae aqua suffocati artibus medicorum studiose adhibitis in vitam revocari haud potuerunt. Insuper memineram intra decennium proxime elapsum ex centum pluribusve, eodem mortis genere defunctis, quamvis nihil, quo suppressa eorum anima posset reduci, intentatum esset relictum, tamen vix unum, vel forsan alterum esse vitae redditos. Neque vero nobis solis id accidit, ut ars nostra hoc in genere votis nostris minus respondeat, sed alios quoque alibi per totam Germaniam, Hannoverae, Argentorati, Berolini, Stralsundae etc. eadem haec conqueri, Illustris Sam. Vogelivs [1]) testatur.

Quodsi hos infelices conatus conferimus cum frequentissimis, quibus utuntur Londinenses, Parisienses,

---

1) Cons. *Diatribe med. polit. de causis, quare tot submersi in vitam non revocentur. Hamb.* 790. 8. *p.* 16 — 18.

Amstelodamenses chirurgi medicique successibus, merito obstupescimus, miramurque, quid sit, quod nobis negatum sit, eadem efficere, quae illi saepissime praestiterunt magno cum civium suorum emolumento. Etenim ope societatis illius Londinensis, quae ab humanitate, cujus indies plurima exhibet documenta, haud immerito *humana* nominatur, intra decem annos mille quadringenti quinquaginta octo submersi resuscitati sunt [2]). Amstelodami vero intra novennium bis centum octoginta homines reperti sunt, qui, undis extracti, ex mortis, jamjam ipsos tenentis, potestate liberarentur. Lutetiae denique Parisiorum tribus annis ducentos viginti quatuor homines, qui sine praesenti auxilio certissimam in aqua inventuri erant mortem, servatos esse, Cel. Pia narrat [3]).

Quodsi igitur has narrationes, publica auctoritate munitas atque adeo omni fide dignissimas, comparamus cum iis, quae de Germanorum conatibus, aqua suffocatis vitam restituendi, cognita habemus, non potest non hujus insignis diversitatis ratio animum solicitare nostrum et ad ejus causas curiose inquirendas excitare. In quibus explicandis quamquam jam alii, paucis abhinc annis, haud inepte versati sunt, inter quos Experient. Vogelivm [4]) et Fr. Gottl. Engelmannvm [5]) nominasse sufficiat: tamen nonnulla adhuc superesse video, quae, cum haud exigui sint momenti, haud alienum erit hic paucis indicare. Haec vero cernuntur potissimum in iis, quae ut promtius praesentiusque auxilium miseris illis feratur, publice

---

2) Videsis *Reports of the humane society for the recovery of persons apparently drowned.*

3) Cons. *Détail des succès de l'établissement, que la ville de Paris a fait en faveur de personnes noyées. To. VII. Par.* 1782. 12. *p.* 53 — 150.

4) Libro citato.

5) Quaest. phys. med. *cur rarum sit, suffocatos, submersos et laqueo suspensos vitae reddi. Lips.* 1787. 4.

instituenda videntur atque ab exteris jam olim sunt instituta.

Scilicet duo praecipue animadverti, in quibus Londinenses, Amstelodamenses atque ipsi Franco-Galli, hac certe in re exemplo plane egregio atque laudabili, nobis praeiverunt; quorum primum pertinet ad praemiorum distributionem, alterum ad instrumenta, hisce experimentis perficiendis inservientia, publicis sumtibus redimenda opportunisque in locis reponenda. Etenim cum aliquis in aquam delapsus extrahendus, aut rigidus ex aqua extractus et mortui imaginem prae se ferens, iterum vitae suisque reddendus est, tum multorum opera haud levi, ministerioque ad omnia medici praesentis jussa promte parateque exsequenda opus est. Detergendum ante omnia madidum corpus: omnes ejus partes molliter fricandae: spiritus ori inflandus: frigore horrido et in lectum calefactum reposito corpori nudo duo homines itidem nudi applicandi, ut horum calor naturalis cum illius corpore sensim sensimque communicetur: enemata coquenda et quae sunt ejus generis alia.

Praeterea necesse est, ut, qui proximi habitent, non modo male affectum corpus sine mora ac tergiversatione in domum recipiant, quod ipsum immisericorditer negatum esse ipse vidi, sed etiam variam supellectilem, lectum aliaque suppeditent. Quae omnia officia, partim aeque ingrata ac molesta, cum sint ex eorum genere, quae *imperfecta* vocari solent, ideoque legibus poenisque a nemine extorqueri possint: eos, qui sunt animo adeo illiberali, ut ad ea sponte praestanda humanitatis sensu adduci haud possint, praemiis allici oportet, quae saltim in animos hominum in tenuiore sorte constitutorum eam vim exserere solent, ut ad labores omnis generis pro aliis subeundos, quin ad vitam ipsam in discrimen committendam sese praebeant paratos. Id vero per se intelligitur, illa praemia non modo ita comparata esse debe-

re, ut animos lucri cupidos graviter commoveant, sed etiam, quod multo efficacius, religiose distribui oportere, ut jam Clar. MICHAELIS in praefatione ad KITEI ab humana societate Londinensi praemio ornatum libellum 6) pag. VII. vidit. Dum haec negliguntur, haud unquam sperare nobis licebit, homines ad varia illa officia praestanda paratiores inventum iri, nosque feliciore conatuum nostrorum hoc in genere successu esse usuros. At quis hosce sumtus feret? Respublica, quam, cum de vita civium conservanda agitur, haudquaquam parcam decet esse atque tenacem.

Alterum, quod ab exteris illis societatibus imitatione petendum est, instrumentorum ad submersorum suffocatorumque vitam resuscitandam necessariorum publicis sumtibus comparationem spectat. Hoc cum hucusque in Germania nostra plerumque neglectum sit, videtur omnino hic causa aliqua sublatere infaustorum successuum, quibus in revocanda submersorum vita utimur. Nam cum chirurgus ad opem ferendam advocatur, non statim eo, quo ejus praesentia maximopere necessaria est, advolare potest, sed temporis jacturam facit collectio instrumentorum, quae forte hic illic disjecta, aut alieno plane loco reposita sunt, adeoque difficulter inveniri possunt. Prae nimia etiam festinandi cupiditate interdum illud, cujus usus maxime requiritur, oblivioni penitus datur, atque, dum apportandum curatur, temporis momenta, auro quovis pretiosiora, perduntur. Praeterea non omnibus chirurgis talis fortunae conditio esse solet, ut expensas facile ferre queant, cum comparatione ejusmodi apparatus conjunctas. Haec similiaque incommoda omnium optime evitantur, si publico sumtu totus hic instrumentorum apparatus redimitur redemptusque in communem usum loco, omnibus bene noto, deponitur.

---

6) An essay on the recovery of the apparently dead. *Lond.* 1788. 8. versio germanica prodiit *Lips.* 1790. 8.

Laudabili exemplo hac in re rex Borussorum praeiuit, qui omnes terrarum suarum magistratus jussit publico aere cistulas redimere, continentes instrumenta ad venaesectionem apparatumque ad vulnera deliganda necessarium; siphonem ad clysteres injiciendos et consuetum, et talem, quo fumus tabaci in intestina traducitur; scopulam e brevibus iisque durioribus setis compositam ad plantas pedum fricandas; phialas oleo amygdalarum dulcium aut recenti oleo olivarum, spiritu denique salis ammoniaci repletas [7]). Neque silentio praetereunda est memoria viri anonymi quidem, sed liberalis et de re publica bene merèntis, qui Monachii vivit, atque quatuor ejusmodi cistas instrumentarias suis sumtibus perficiendas interque urbis chirurgos cum regulis, quibus cujuslibet instrumenti usus circumscribitur, distribuendas curavit [8]).

Quae his cistulis continentur, ad revocandam submersorum animam adhiberi solita, eorum numerus variare potest pro pretii magnitudine, quod tali apparatui redimendo magistratus destinaverit. Eae enim, quae a Carolo Kiteo [9]) describuntur, largiorem instrumentorum suppellectilem continent, quam quae in terris Borussicis in usu esse solent. Eorumque instrumentorum pleraque dupla adesse jubet Vogelivs *l. c.* p. 45. ut alterutro inter usum forte laeso, alterum cito arripi queat. In quo tamen alia mihi mens est, quoniam pretium ejusmodi cistae, uti et ejusdem pondus sic nimium auctum iri facile praevideo. Utrumque usui ejus valde obest. Alias cistas commendarunt Pia, Gardane, Cogan et Lammersdorf, qua-

---

7) Vid. *Königl. Preussischer Unterricht wegen schleuniger Rettung verunglückter Personen v. Jahr* 1788. in Celeb. Scherfii *Beyträgen z. Archiv d. mediz. Polizey u. Volksarzneyk. B.* 1. *Samml.* 2. *S.* 142 ff.

8) Consul. Cl. Pylii *Magazin d. gerichtl. Arzneykunde B.* 2. *S.* 815.

9) Loc. cit. p. 208. ss.

rum mentionem injicit Vogelius *l. c.* p. 42. Quare ab enumeratione rerum, quae hisce arculis inclusae servantur, abstineo, cum hac de re nunc tantum in universum disputare constituerim.

Haec igitur, universe dicta, liceat ad hanc ipsam transferre urbem, atque consiliis quibusdam peculiaribus in medium prolatis publici muneris mei aliquam explere partem. Amplissimi Magistratus civici, cujus de servandae civium vitae insignis cura edicto de balneorum fluviatilium securitate, paucis abhinc annis sapientissime lato [10]), luculentissime probata est, munificentia optarem, ut comparentur arculae, selecto instrumentorum ad vitam submersorum restituendam necessariorum apparatu repletae, atque partim in iis suburbiorum nostrorum portis, quae fluminibus adjacent, in communem usum reponantur, partim chirurgo urbis publico servandae tradantur. Cuilibet cistulae adjiciatur regularum perspicue scriptarum index, quibus usus cujuslibet instrumenti et ordo, quo adhiberi debet, doceatur, ut, chirurgo medicove non protinus praesente, ii, qui aquis mersum inde extraxerunt, statim operi manus admovere atque sic resuscitationem hominis apparenter mortui, quae quo citius molitur, eo melius procedere solet, reddere faciliorem possint.

Quam primum igitur is, qui ejusmodi arculam custodiendam accepit, de submerso ex aqua educto certior factus est, statim e suis quemquam mittat cum cista, ne forte ea ab homine fraudulento subripiatur, aut instrumenta rudi manu tractata laedantur. Chirurgus cum advenit, is sibi eligat ex adstantium et plerumque curiositate quadam allectorum hominum turba paucos, qui labores ipsis commissos lubenter in se suscepturos, recteque peracturos esse spondent; reliquis procul esse jussis, ne nimia hominum multitudo operationes turbet impediatque.

10) Vid. Scherfii libr. modo citat. *Samml. i.* 1789. *S.* 59.

Opere aut feliciter, aut minus prospere absoluto, chirurgus e schedulis, typis exscriptis, quae simul cum re instrumentaria cuilibet arculae inesse debent, unicuique, cujus aut opera, aut domicilio, aut supellectili usus est, exhibeat unam, qua nomen ejus, et quid praestiterit, aut quam diu in labore perduraverit, religiose sit consignatum. Talem schedulam magistratui qui obtulerit, illi, sine mora, praemium accurate jam antea definitum persolvatur. Antea vero, quam cista instrumentaria iterum eo, quo custodiri solet, deportatur, notare debet chirurgus et ea, quae e salibus, oleis, tabaco aliisque rebus consumta, et ex instrumentis sub vitae restituendae periculo forte laesa sunt, ut illa e pharmacopolio urbis publico iterum suppleri, haec a viro harum rerum perito in integrum restitui queant.

Regulae illae, quibus usus cujuslibet instrumenti ordoque, quo singula singulis succedere debent (etenim promiscue illis uti neutiquam decet [11]), praemiaque eos manentia, qui suam operam conferunt ad vitam hominis submergendo suffocati refocillandam, quotannis aliquoties edicto promulganda, aut iis schedis politicis, quae ab hominum vulgo omnium maxime lectitari solent, inserenda sunt. Neque vero a re alienum fuerit, in libros, quos tenerior aetas in scholis assidua versat manu, recipere illa et praecepta et incitamenta, quibus quivis honestus ac liberalis homo ad haec submersis praestanda officia allici et permoveri potest. Quo maturius enim juventus hisce de rebus, ad hominum vitam valetudinemque prosperam aut conservandam aut restituendam spectantibus eruditur, eo altiores ut haec institutio agat radices ac tenacissime haereat, certissima spes est. Itaque valde mihi arri-

---

11) Docuerunt hoc nuper luculentissime et *Sam. Vogel l. c.* et *Ed. Coleman* (*Abhandl. über das durch Ertrinken, Erdrosseln und Ersticken gehemmte Ademholen, nebst Vorschlägen z. einer neuen Behandlungsart dieser Krankheit u. s. w. Leipz.* 1792. 8.

debat id, quod in Lippiacis terris nuper admodum institutum legimus, ut elementa sanitatis tuendae, ab Exper. B. Ch. Favstio conscripta et variis aucta subsidiis, quibus praesentissima vitae pericula arceri possent, praeter consuetos libros, e quibus prima religionis christianae elementa hauriri solent, scholarum magistri explicare juberentur. » Poterat etiam Rvd. Zach. Beckeri notissimus liber (*Noth- u. Hülfsbüchlein Goth.* 1791. 8.), sermone admodum perspicuo captuique vulgi admodum accommodato compositus, in hunc finem adhiberi.

Quodsi haec omnia, quae hucusque monuimus, diligentius studiosiusque in posterum serventur, non video, quid sit, quin laetissimam animo concipiam spem, conatus nostros submersos vitae suisque reddendi felici successu haud destitutum iri. Neque enim, quod nonnulli jactitant, in peculiari aquarum nostrarum indole atque natura, neque in corporum nostrorum singulari conditione et constitutione situm esse putemus, quod tam parum hac in re profecimus. Nam lutosa fluviorum, hanc urbem praeterfluentium, indoles, quam inprimis ut irrevocabilis aqua submersorum fati causam accusant, profecto non tanta est, quanta Sequanae, quae Lutetiam Parisiorum alluit, et tamen multos eorum intra triennium esse servatos supra narravi [12]), qui ex illo flumine mortuis similes sunt extracti. Praeter hanc vero lutosam partem, quam nostrae aquae fluviatiles vehunt, chemica analysis nuper instituta [13]) nihil detegere potuit, cui praecipue lethiferam vim jure meritoque impertire possimus.

Quae cum ita sint, nihil magis optandum esse videtur, quam ut ii, penes quos est horum consiliorum exsequendorum facultas, ea ad usum salutemque

---

12) Vid supra p. 120.

13) Vid. Exper. *J. G. Daehne* diss. I. II. de aquis Lipsiensibus. *Lips.* 1783. 4.

civium velint transferre. Si felix successus haec instituta coronet, quanta quaeso voluptate perfundentur animi eorum, qui plurimis, quos hic quotannis aqua perire videmus, salutis vitaeque recuperatae auctores fuerint: sin praeter omnem spem opinionemque successu destituantur, in conscientia acquiescere poterunt, nihil a se praetermissum esse, quo iis, qui levitate animi temeritateque sua sibi vitaeque suae saepe pessime consulunt, consuleretur optime.

Praemittenda haec pauca duximus nunc indicendae panegyri, memoriae beati **KREGELII de STERNBACH**, Viri ob insignem literarum amorem aeque, ac ob summa in academiam nostram munificentiam ac liberalitatem nobis post mortem desideratissimi, dicatae. Recolet eam pie, et gratissimo animi sensu juvenis ornatissimus Kregeliano stipendio per tres annos exhilaratus, Fridericvs Lvdovicvs Kreyssig, Ileburgensis, Medicinae Candidatus, Ordini Medicorum, uti per varia specimina, sic per comprobatam suam in nupero examine, pro Licentia dicto, in arte salutari laudabilem ac egregiam doctrinam maxime probatus. Faciet id proximo die Sabbathi, qui est hujus mensis XX., habita brevi oratione, qua *Aristotelis doctrinam physicam ab iniquis judiciis vindicare* conabitur.

VI.

DE MORBO VACCINO - VARIOLOSO COLLECTANEA QVAEDAM.

Disputatio pro loco in facultate medica capessendo d. XXXI. Jul. CIƆIƆCCCI. adsumto socio CHR. SAL. WEISS, nunc professore Berolinensi, publice defensa.

INTRODVCTIO.

Ex quo variolarum morbus propter insignem hominum stragem [1]), quam quovis anno edit, medicorum, nec medicorum solum, sed et principum magistratuumque attentionem excitavit, variae viae ac rationes propositae sunt, quibus perniciosissima hujus morbi pestis coërceri, atque penitus e politioribus terris excludi queat. Quarum quidem nisi omnes, plurimas tamen hoc loco indicare, et an ad propositum finem ducant, nec ne, disquirere neque vacat, neque lubet, inprimis cum eae a FR. GEO. AVG. BOVCHHOLTZIO [2]) inde a se-

---

1) Cel. MOVRGVES (*Essai de Statistique*) e tabulis publicis, in quas omnis mortuorum numerus refertur, Montispessulani annis 1774, 1778 et 1785 e 1113 hominibus, fato functis, 421 variolarum contagio fuisse enecatos probat. Unde patet, e 371 hominibus, qui quotannis ibidem moriebantur, $140\frac{1}{3}$ a variolis esse interfectos. BOTTINVS (*annuaire du Bas-Rhin*) ostendit, anno VIII. reipublicae Gallicae e pago Rheni inferioris 2170 homines e vita decessisse, inter quos 158 variolosi fuerunt. Gallia, qua nunc patent ejus fines, quolibet anno, quem *medium* arithmetici appellant, 90 millia civium morte amittit, cujus jacturae insignis potentissima causa in variolis deprehenditur, quae 64, $285\frac{5}{7}$ homines neci dederunt. — Germaniae quotannis 70,000, totique Europae 400,000 homines variolis eripiuntur. Conf. JO. CH. W. JVNCKER'S *Archiv der Aerzte* etc. *wider die Pockennoth*. St. 1. p. 57.

2) Analecta de variolis. Spec. I. *Götting*. 1790. 8. p. 81—112.

culi XVII. initio, quo Clavd. Chanvel primum de exstirpandis variolis consilium evulgavit, usque ad Ill. Hvfelandii tempora diligentissime sunt enumeratae. Novissimis temporibus innotuit, Jenneri inprimis studiis, alia adhuc ratio, variolas exstirpandi, facilior illa ipsa harum inoculatione, adeoque a medicis omnium fere nationum maximo cum plausu excepta. Variolas puta vaccinas. Cujus quidem morbi primam in Anglia apparitionem aeque ignoramus ac veram ejus originem [3]). Etenim maximo senio confecti homines declararunt, teste Jennero, se morbi hujus notitiam jam habuisse admodum juvenes, nec audivisse unquam, quod illo tempore de hujus morbi invasione tanquam de re nova sermones fuerint facti [4]). Neque vero minus bene hanc variolarum vaccinarum naturam, qua variolarum contagio resistunt, cognoverant illi senes depontani; sed hac ipsa experientia fruebantur sine laudum strepitu, uti aliis naturae liberalitate ipsis tri-

---

3) Antiquitates hujus morbi ad seculum usque sextum a Ch. N. persecutus est Vir doctus, nomen suum litera *M.* abscondens, in *Neuen teutschen Merkur* 1801. *p.* 320. *St.* IV. Laudavit is ex Marii, episcopi primi Losannensis, *annalibus* A. 570 hunc locum: *Hoc anno morbus validus cum profluvio et* variola *Italiam Galliamque valde adflixit. Et animalia bubula maxime per ea loca interierunt.* Sed dubito, quin locus hic omni dubio eripi possit. In *allgem. Unterhalt. v. J.* 1769. *m. K. Götting.* 1769. *St.* 39. §. 3. non solum vaccinarum variolarum mentio facta est, sed etiam earum virtutis ac facultatis, contra variolas humanas tuendi eos, qui illis laboravere. Vid. Steinbecks *deutscher Patriot* 1802. *S.* 43—46. Terrae igitur Hannoveranae honorem hunc sibi vindicant, ut ante Jennerum variolas vaccinas cognitas haberent, atque publice describerent. Nuper Exper. K. F. H. Marx (*Göttingen in medicin., physischer und histor. Hinsicht geschildert. Gött.* 1824. 8.) ostendit, Jobst Boese, juri dicundo praefectum, hanc variolarum vaccinarum virtutem primum observasse, nemine illius verbis fidem habente. — Vir Generosiss. Al. de Hvmboldt, itinere suo in Americam meridionalem suscepto, aliisque scriptis eruditissimis jure meritoque celebratissimus, in regno Mexicano et montibus, Andes dictis, longe ante Jennerum cognitas fuisse variolas vaccinas, narrat. (*Voyage.* Livrais. II.)

4) Disquis. de caus. et effectibus variolarum vaccinarum. Ex. Angl. in lat. conversa ab Aloys. Careno. C. fig. col. *Vindob.* 1799. 4. p. 20.

butis bonis. E qua quidem umbra, tam utilem humano generi vim variolarum vaccinarum occultante, in lucem meridianam eas protraxit Edvard. Jennervs, qui anno superioris seculi nonagesimo octavo publici juris fecit libellum, quo sua hac de re diligentissime instituta experimenta collectasque observationes divulgavit. Vix dici potest, quantam animorum intentionem haec res excitaverit, et quantopere invicem certaverint omnium regionum medici, ut aut experimenta Jenneriana repeterent, et de illorum certitudine sese redderent certiores, aut quid alii experiundo didicerint, colligendo ordinandoque scriptis vernaculis enunciarent, magisque in publicam verterent utilitatem.

Quorum quidem libellorum largum proventum si ego, ex quo me ad scribendum hoc de argumento accingebam, prospexissem, profecto non auxissem meo. Tot enim cum in Anglia, tum in Gallia et cum maxime in Germania nostra evolarunt, ut ab eorum multitudine paene obruerer. Nolui tamen id tempus, quod legendo excerpendoque consumseram, plane perdere. Quam ob rem rogo Lectores benevolos, velint et hoc benevolentiae documentum mihi exhibere, ut mihi hanc argumenti toties jam pertractati retractationem condonent.

Liceat autem ea, quae hic illic de variolis vaccinis dispersa legi, ita ordinare, ut primo varias de origine morbi opiniones enarrem, deinde morbi exhibeam cum veri, tum spurii descriptionem; cui symptomata subjungam peculiaria quaedam, praecipuam animi attentionem merentia, atque differentias inter morbum vaccino-variolosum et variolas intercedentes. Quibus expositis commoda commemorabo cum inoculatione morbi vaccino-variolosi conjuncta, inter quae hoc primarium est, ut ejus beneficio a variolis defendi possimus. Cum autem et adversarii extiterint, qui variis armis contra variolas vaccinas depugnaverint, haec arma accuratius considerare constitui. In-

quisivi igitur in argumenta, quibus efficaciam morbi vaccino-variolosi contra variolas aut in dubium vocare, aut penitus negare studuerunt medici, et quid contra moneri possit, attuli. Tum et subjeci praecipua curationis momenta, quae morbo vaccino-varioloso adhiberi et potest et debet. Denique et catalogum adjeci omnium, quae in meam venerunt notitiam, de variolis vaccinis dissertationum, sive singulares libros efficiebant, sive aliis libris, inprimis diariis scriptisque periodicis, continebantur, et regionum, quarum medici morbo vaccino-varioloso tanquam efficacissimo adversus variolas remedio usi sunt et adhuc utuntur.

---

§. 1.

De morbi vaccino-variolosi origine.

Inter morbos pecudum nuper is magna animorum attentione dignus judicatus est, qui vaccarum lac praebentium ubera, inprimisque papillas obsidet, et ob similitudinem cum variolis *variolarum anglicarum, variolarum vaccinarum, variolarum lactearum, variolarum defendentium* [5]) *morbi vaccino-variolosi,* nomine insignitae sunt [6]). Pustulae, quarum color e coeruleo

---

5) Vid. Sömmerring u. Lehr *Prüfung d. Schutz- oder Kuhblattern. Frcft. a. M.* 1801. 8. p. 3., ubi argumenta sex pro hac denominatione adfert, simulque ostendere conatur, quam absurdum sit variolarum *vaccinarum* nomen.

6) Angli morbum vocarunt *Cow-pox* aut *Cow-pock*, aut *Vaccine-pock* aut *the Vaccinea*; (conf. Pearson *Untersuchungen* p. 123. sequ. et *Phys. medic. Journ.* 1800. p. 659.) Galli *La vaccine*, aut, sic jubente J. S. Vayme (Reflexions sur la nouv. méth. d'inoculer la pétite vérole avec le virus des vaches. Par. an VIII. 8. p. 1.), *la vachine.* Vide et de synonymia morbi Exper. Osiander (*Abh. über die Kuhpocken.* p. 22. sequ.). De Carro (*l. c.* p. 1—3.), allatis variis denominationibus, quarum vanitatem ostendit, invitat omnes medicos philologos, ut novum condant nomen, quod omnem variolae notionem excludat.

albidus, aut coeruleus, aut e coeruleo in rubrum vergens seu lividus, aut plerumque sordide flavo-coeruleus seu plumbeus esse solet, areola seu circulo lato, ex inflammatione erysipelacea rubicundo, circumdatae sunt, materiemque glaucam, aut fuscam continent, quam, cum brevi disrumpantur, effundunt; quo facto exsiccatae crustam formant, aliquot diebus post sponte sua excidentem. Haec exanthemata efflorescunt solemnemque decursum servant, febriculam excitant, lactisque secretionem imminuunt; cumque mere localia sint, nec ultra uberum superficiem diffundantur, et hac ipsa re, et mitiori omnium symptomatum natura, et denique contagio neque vitulos, neque boves, neque vaccas ipsas, quae nondum conceperunt [7]), attingente maximopere differunt a peste sic dicta bovina.

In Angliae partibus occidentalibus, inprimisque in ducatu Glocestriensi primum innotuere variolae vaccinae, pratis laetissime virentibus, atque ingentibus pecorum gregibus divite. Inde de hoc morbo ad terram continentem rumores percrebuerunt, medicique ad ejus investigationem invitati sunt. Quo factum est, ut in variis Germaniae [8]) Galliaeque regionibus non solum morbi hujus, qui antea Angliae endemius credebatur, praesentia detegeretur, sed etiam hoc extra omnem dubitationem poneretur, homines, qui rus colunt hisce in terris, optime cognitam habere virtutem variolarum vaccinarum, qua varioloso contagio resistant [9]).

---

7) Woodvillio teste. Cujus quidem phaenomeni causam vir doctus, qui Woodvillii librum in *Medical Review and Magazine* indicavit, reperisse sibi visus est aut in praedispositione quadam vaccarum mulgentium, aut in communicandi cum vitulis, bobus etc. mulgentium ope veneni defectu.

8) Ballhorn et Stromeyer Traité de l'inoculation etc. p. 34. not. Sybelius *über Kuhpocken*, p. 37. ss. Hellwagius *Nordisch. Archiv* I. 3. Nissenus *Schleswig - Holstein. Blaett. f. Polic. u. Cult.* 1799. *St.* 6. Osiander *l. c.* p. 31. ss. Kausch in Silesia observavit; Jördens in pago quodam *Kirch - Guttendorf*, prope Curiam Variscorum *Allgem. med. Zeit.* 1801. *Jul.* p. 110.

9) Catalogum regionum locorumque, ubi variolae vaccinae obser-

De morbi autem hujus origine variae sunt medicorum sive opiniones, sive sententiae, in quibus ea, quam Jennerus fovit [10]), si non omnium prima, tamen in primis ponenda est. Atque hic quidem, modo ad ipsum tanquam ad primum auctorem haec opinio referenda sit [11]), morbi originem derivandam existimavit a materia redundante illa ex malignis equinarum ungularum ulceribus, ob tenacem, unguinosam et quasi pinguedinosam materiam, in eorum superficie secretam, ab Anglis *the Grease* nominatis [12]), eamque opinionem variis argumentis probabilem reddere studuit [13]), in quibus haec praecipua. Primum observarat, morbum illum vaccino-variolosum iis in praediis erumpere, ubi equi istis ulceribus laborabant, et qui eos curabant, simul operi lactario mulgendisque vaccis adhibebantur [14]). Tum audierat, fabros

---

vatae fuerunt, vide apud *Sachse* (*Beob. u. Bemerk. üb. d. Kuhpock. Berl.* 1802. 8. p. 18.). In America detectas fuisse testatur V. D. cs. *Journ. d. ausl. med. Litter.* 1802. Oct. denique in Turcia *de Carro* p. 93.

10) De hac Jenneri sententia vid. de Carro (*l. c.* p. 32. not. a.) et Ej. *Geschichte d. Kuhpockenimpf. in d. Türkey, in Griechenl.* etc. *M. viel. neu. Actenst. u. Zus. d. Verf. bereichert. A. d. Fr. v. D. Fr. Gh. Friese. Bresl.* 1804. 8. ubi etiam aliorum observationes leguntur. — Sed distinguendae sunt tres hujus morbi equini formae, glandulosa (ecrouelleux), phlegmonosa et pustulosa, quarum tertia sola efficaciam habet adversus variolas defendendi homines. Sacco libellum edidit hac de re singularem. Chirurgus Mediolan. *Birago*, confirmavit Jenneri sententiam de origine morbi nostri. cs. *Jen. allgem. Litter. Zeit. No.* 71. *Intellig. Bl.* 1803.

11) Videtur enim ipse Jennerus (*Untersuchung. über die Ursachen und Wirkungen der Kuhpocken. Hannover* 1799. 8. p. 135.) eam chirurgo Dollando tribuere. Certi tamen quid hac de re nolo definire, cum hoc ipso loco insigniter a se invicem recedant Jenneriani libelli versiones latina et germanica.

12) Nos morbum hunc vocamus *die Mauke*; de quo nuper diligenter expositum est in F. N. Rohlwes *Magazin für die Thierarzneykunst.* 1801. Quart. 1.

13) Disquis. de caus. et effect. variol. vaccinar. *Vindob.* 1799. 4. pag. 51.

14) Cujus quidem argumenti levitatem ostendit Woodvillius (*Beschreibung einer Reihe von Kuhpocken-Impf.* p. 7. seq.).

ferrarios, qui ruri equorum quoque morbos curant adeoque etiam illa, quae diximus, ulcera tractant, aut contagio varioloso omnino non tentari, aut si tententur, morbum benignissimum experiri. Cujus phaenomeni causam adscribendam putabat illius materiae ulcerosae, sive per resorptionem cutaneam, sive per vulnus corpori humano illatae, virtuti cuidam singulari, per quam variolarum venenum vi privaretur sua. Neque tamen ea in re sibi adsentientem habuit Exp. Odierivm, quippe qui in ferreis particulis ab illorum hominum cute absorptis omnem securitatis a varioloso contagio causam quaerendam esse conjicit [15]). Denique suae opinionis praesidium Jennervs invenisse sibi videtur in eo, quod pustula in brachio pueri, cui materies ista equina per inoculationem inserta erat, enata, eodem erat habitu externo, et eundem, quem variolae vaccinae, decursum tenebat, ita, ut etiam universalis morbi symptomata consequerentur.

Quod vero reliqua argumenta a Jennero hanc in rem allata attinet, ea etiam minoris esse ponderis minorisque ad persuadendum efficaciae mihi quidem videntur. Nam quod inde desumsit, quod morbus vaccino-variolosus iis in regionibus incognitus sit, in quibus non iidem homines, quibus equorum curandorum officium demandatum est, etiam vaccis mulgendis inserviunt, ut in Hibernia et Scotia [16]), id refutatur observatione regionum, equis alendis divitum, in quibus quamquam utraque provincia a se invicem sejuncta, illa maribus solis, haec non nisi feminis demandata est, tamen morbus vaccino-variolosus endemius occurrit, Holsatiam [17]) intelligo et ducatum Megalopolitanum. Neque vero plus ponderis attribuam

---

15) Vid. Jenneriani libelli version lat. p. 29.

16) L. c. p. 47. vers. lat.

17) Cs. Exper. Chph. Fr. Hellwag, medicus Eutinensis, in *Nordisch. Archiv* I. 3. p. 384.

partim testimoniis, ad quae JENNERVS provocat [18]), hominum aut veterinariam medicinam vulgo facientium: horum enim observandi facultas arctis admodum limitibus circumscripta esse solet; partim observationi, qua detectum fuisse dicitur, quosdam homines ab ulcerosis equorum ungulis ita infectos, ut pustulae inde in ulcus abeuntes in eorum manibus progignerentur, a contagio varioloso aeque liberos persistere, ac eos, qui morbo varioloso laborarunt. Sed hujus observationis vanitatem ipse JENNERVS (*l. c.* p. 53. vers. lat.) agnoscere videtur, contendens, male a quibusdam utrumque morbum, cum eum, quo ex equinarum ungularum ulcere, tum illum, quo ex variolis vaccinis homines corripiantur, eodem vaccino-variolosi nomine insigniri, nec priorem omnino securos reddere eos ab infectione variolosa [19]). Denique nec temporis convenientia, quo uterque morbus et equorum et vaccarum sese manifestare solet, (vere enim ac tempestate humida uterque frequentius occurrere dicitur) firmum pro illa sententia seu potius opinione argumentum praebet, qua uterque morbus ejusdem naturae ac indolis esse dicitur [20]).

Quae quidem de origine morbi vaccino-variolosi sententia JENNERI multos in Anglia, tum et extra eam adversarios invenit. Inter quos primum locum mihi occupare videtur PEARSONVS [21]), his argumentis usus,

---

18) Vid. *Medic. phys. Journ. nach* BRADLEY *und* WILLICH. 1800. p. 26. 28. 83. ss. ac D. REGGE in Lond. medic. Review 1800. Nov. p. 36. a me germanice versa in scriptiuncula: *Die Kuhpocken, ein Mittel gegen die natürlichen Blattern. Leipzig* 1801. 8.

19) Vid. hist. 15. a JENNERO descripta.

20) Conf. JENNERVS *l. c.* p. 12. et 16.

21) Vid. Ej. *Untersuch. üb. die Geschichte d. Kuhpocken* etc. *übersezt v.* J. FR. KÜTTLINGER. *Nürnb.* 1800. 8. p. 92—94. Praeterea inter adversarios hujus opinionis Jennerianae referendus est W. SIMMONS in *Reflexions on the property of performing the Caesarean operation: to which are added observations on cancer and experiments on the supposed origin of the Kow-pox. Lond.* 1799. 8. W. WOODVILLE *Beschreib. ein. Reihe v. Kuhpocken-*

quod 1) morbus in multis villis subito inter vaccas erumpat, licet neque aliunde vaccae advenissent ullae, quae morbi fomitem secum adferre potuissent, neque ab iis mulgerentur, qui equorum curam simul gererent, neque in universum equi, ulceribus ungularum laborantes, in illis villis alerentur; 2) morbus vaccino-variolosus saepe, quamvis in magno ejus generationi faventium rerum concursu, tamen non exoriatur. Regiones enim esse, quae praeter copiosissimas vaccarum greges etiam multos equos nutriant, longo in cruribus crine horridos, malignisque ungularum ulceribus obnoxios, quae etsi ab iisdem hominibus mundentur deligenturque, qui et vaccas mulgeant, tamen in harum uberibus nunquam producant ulcera, inter quae et morbum vaccino-variolosum vel levissima intercedat similitudo.

His argumentis tertium adjungi poterat, longe gravissimum, repetitum illud ab experimentis. Nam si verum est, quod Jennerus, Woodmann[22]), Regge aliique conjecerunt, morbum vaccino-variolosum a materia ichorosa, quam maligna equorum ulcera suppeditant, derivandum esse, inoculatio illius materiei, in vaccarum uberibus instituta, semper morbum vaccino-variolosum producat, necesse est. Exspectationem tamen hanc destituerunt experimenta[23]), cum in

---

Impfungen, übers. v. F. G. Friese. *Bresl.* 1800. 8. p. 6. ss. Lawrens in Diario phys. med. (*Phys. med. Journ. nach* Bradley etc. 1800. p. 83. ss.) — *Nord. Arch. d. Natur- u. Arzneykunde v. Pfaff, Scheel u. Rudolphi. Bd.* III. *St.* 1. p. 241. ss. Medicis Schleswicensibus et Holsteinensibus non videtur morbi vaccino-variolosi origo a morbo equorum, Mauke, derivanda esse.

22) Pearson *l. c.* p. 96.

23) Haud scio, an irritus experimentorum horum exitus recte tribui possit temporis, ad ea instituenda adhibiti, incommoditati. Jennerus enim *l. c.* p. 37. vers. germ. nondum definire audet, utrum vaccae ab hoc veneno equino quovis anni tempore infici queant, an solo vere et aestatis initio, quippe quibus tempestatibus vaccae inprimis exanthematibus obnoxiae esse soleant. Tannerus, e collegio veterinario Londinensi, infectionem vac-

Anglia a Colemanno, medicinae veterinariae Londini professore, et inter nos satis claro [24]), tum Genevae a Sylvestro, medico veterinario percelebri, et Hafniae ab Excell. E. Viborgio capta. Hic quidem attrivit foedidissimum pus ex ulceribus ungularum scroto equorum sanorum, cui prius crines abrasi erant, nullo contagii effectu. Neque is sese exserebat, cum idem pus aut vulneri inflicto inferretur, aut cannabi illitum scroto alligaretur. Unde videtur haud temere colligi posse, materiam morbosam, quae in corporibus animalium ejusdem speciei ne minimum quidem mali proferre possit, longe minus id effecturam esse in animalium alius generis corporibus.

Praeterea aliud experimentorum genus erat instituendum. Etenim ichor ex ungularum equinarum ulceribus derivatus debebat humano corpori inseri, ut intelligeretur ejus in hoc effectus. Id perfecere et W. Simmons, chirurgus Anglus, et Exp. Jensenvs, Danus, quorum ille tribus infantibus sanis ichorem flavescentem inoculavit, quem ex inflammata equi ungula hauserat. Loca insitionis brevissimo tempore, h. e. intra septem octove horarum spatium, inflammabantur, inflammata suppurabant; febris aderat, intra biduum denuo cum reliquis symptomatibus penitus evanescens. Hi infantes, quibus postea variolae inserebantur, ab earum contagio neutiquam immunes mansere [25]). Alter, Jensenvs, eandem materiam maxime foetentem infanti repetitis vicibus per leve vulnusculum, in cute apertum, inseruit. Ex qua cum nullum in sanitatem infantis redundaret incommodum,

---

carum a materia ichorosa, ex equinarum ungularum malignis ulceribus desumta, perfecisse ita adserit, ut hanc materiam majori uberum superficiei adplicaret, quam vulgo fieri solet. *Lond. medic. Review and Magaz.* 1800. *Jul.*

24) Vid. Woodville libr. laud. p. 6. Lavater *Abhandl. v. d. Milchpocken.* p. 31.

25) Lavater *l. c.* p. 32.

emplastro vesicatorio cuticulam amovit, huicque loco pus ex ulceratis equorum ungulis attrivit. Neque ulcus mali moris inde ortum, neque aliud sanitati damnum illatum. E quibus experimentis idem efficit, ab hac ichorosa materia, in vaccarum ubera insita, nunquam posse morbum vaccino - variolosum progenerari [26]).

Sed alia de morbi vaccino-variolosi origine sententia in medium proferenda et dijudicanda superest. Sunt enim, qui, cum videant, ulcera in vaccarum uberibus tunc sese manifestare, cum lactis copiosior secretio producta est, statuant, ab hujus humoris, quamvis mitis, stimulo ubera irritari, irritata corripi inflammatione, inflammata in suppurationem abire et ulcera efformari, quae variolarum vaccinarum nomine soleant insigniri. Quamquam autem observationis, cum a Pearsono [27]), tum a Lavatero [28]) allatae, veritatem in dubium vocare nolo, qua ille Londini, hic autem in praefectura Knonaviensi ad provinciam seu pagum Turicensem pertinente morbum vaccino-variolosum inprimis tunc frequentiorem esse accepit, cum vaccae victum hybernum aut tenuem cum herbis recentibus aut pabulo magis nutriente commutaverint, tamen haec ulcera non verum ac genuinum morbum vaccino - variolosum constituere atque efficere puto, cujus plane singularis ac praecipua virtus in eo posita est, ut nos a variolarum contagio reddat securos. Idem satuendum esse videtur et de iis ulceribus, quae in vaccarum uberibus gigni solent, aut ex aliis regionibus, ubi alia fortasse pabuli conditio obtinebat, recens advenarum [29]), aut venum expositarum, quae

---

26) Vid. *Nordisches Archiv f. Natur - und Arzneywiss. Herausgeg. v. Prof.* Pfaff *und* D. Scheel. *Kopenh.* 1800. Th. I. p. 569 seq.

27) L. c. p. 16.

28) Libr. laud. p. 18.

29) Pearsonus *l. c.* p. 33.

ut ubera magis turgeant pluresque emtores alliciant, per unum aut aliquot dies non mulgentur [30]), aut denique partu recens enixarum, quibus vel natura sic jubente, vel quoniam victus ipsis lautior magisque nutriens tunc porrigi solet, copiosior lactis secretio contingit [31]).

Tvrnervs autem cum adsereret, se in ea versari opinione, ut credat, morbum vaccino-variolosum a variolis humanis ortum traxisse suum [32]), a Colemanno et Woodvillio experimentis ad persuadendum aptissimis refutatus est, teste Exper. Cvrtio Sprengelio [33]). W. Simmonsivs eadem experimenta sine successu repetiit (l. c.), unde recte, Osiandro judice [34]), deduxit, a varioloso miasmate nunquam posse in vaccis morbum oriri vaccino-variolosum.

Silentio praetereo aliam de morbi vaccino-variolosi origine opinionem, qua ille a morsibus insectorum, quorum neque nomina, neque descriptiones adferuntur [35]), derivatur. Nam quamquam haud nego, ab hac causa ulcera quaedam in vaccarum uberibus omnino provenire posse, tamen id nego ac pernego,

---

30) Jenner. *l. c.* p. 46. Lavater *l. c.* p. 18.

31) Jo. Ch. Sybel's *Erfahrungen über die Kuhpocken. Berl.* 1801. 8. p. 37. ss. C. R. Aikin's *kurze Darstell. d. wichtigst. die Kuhpocken betreff. Thatsachen. A. d. E. übers. v.* F. G. Friese. *Bresl.* 1801. 8. p. 7.

32) Vid. *Monthly Magazine* 1799. *Jul.* 425. Vid. de *Carro l. c.* p. 32. qui hanc de origine morbi v. v. opinionem plane non tolerandam adserit duobus nixus argumentis, quorum posterius desumtum ab experimentis, quibus evictum sit, morbum variolosum cum nullo plane praeter hominem animale posse communicari, refutatum est nuperis experimentis Hufelandi etc. qui simiis inseruerunt optimo cum successu variolas, et observatione, qua variolas ovillas ab humanis oriri compertum est. (*Hufel. Journ.* XII. 1.)

33) *Kritische Uebersicht d. Zustandes d. Arzneyk. in d. lezt. Jahrzehend. Halle* 1801. 8. p. 476.

34) Vid. Ej. *Ausführl. Abhandl. üb. d. Kuhpocken. Gött.* 1801. p. 43.

35) Vid. *Théorie et pratique de l'inoculation de la vaccine. Par* H. Ranqve. *à Par.* an IX. 8. p. 71. — Aikin *l. c.* p. 6.

haec ulcera signis characteristicis convenire cum illis, quae verum morbum vaccino-variolosum efficiunt.

Dum haec typis exscribuntur, lego aliam adhuc morbi vaccino-variolosi causam, ab Exper. Hellwagio e mulierculae testimonio commemoratam. Haec enim, quae prope Eutinum villico nupserat, adseverabat, vaccam suam aliquando variolis vaccinis correptam fuisse, cum eodem loco, quo paulo ante lepus variolis leporinis laborans jacuerat, sterneretur. Provocat Hellwagius medicos ad experimenta cum hisce variolis leporinis, vaccarum uberibus inserendis, capienda, ut intelligatur, an verum morbum vaccino-variolosum producere queant, nec ne [36]).

§. 2.

Descriptio morbi vaccino-variolosi.

Multum interest, ejus morbi naturam et decursum accuratissime nosse, a quo auxilium contra dirissimi morbi variolosi furorem nunc haud temere exspectari posse videtur. Quam ob rem multi, qui de variolis vaccinis scripserunt, et hac in re elaborarunt, ut imaginem morbi vaccino-variolosi adumbrarent. Neque tamen vereor, ne rem actam egisse videar, cum eandem descriptionem nunc constituerim denuo exhibere. Etenim nec satis accurate sejuncta esse videntur phaenomena, quae morbum vaccino-variolosum comitantur insitione productum, ab iis, quae morbo eidem propria sunt sponte sua orto, nec variae species seu formae diligenter notatae, quas variolae vaccinae constituunt. Quae quidem posterior disquisitionis pars haud levis momenti res est. Nam nisi summa cum cura ac diligentia hae ipsae a se invicem diversae formae morbi vaccino-variolosi descriptae, nec signa solum, quibus earum quamlibet

36) *Nordisch. Archiv.* *B.* II. p. 188.

dignoscere poteris, studiose eruta, sed etiam effectus, quos in corpore humano exserunt, religiose observati fuerint, non possumus unquam certi esse vel de observationum ab aliis publicatarum certitudine, vel de nostrorum experimentorum eventu.

Ac recte quidem morbus vaccino-variolosus, qui non nisi in vaccis lac praebentibus occurrit, videtur dividi in *verum* et *spurium*.

Spurius[37]) *morbus*

a) sua sponte in vaccis oriens.

Spurius morbus in vaccis oritur *sua sponte*, nullo contagio, vere inprimis, quando aut victum hybernum cum pabulo gramineo recenti commutant, aut vitulos lactant. Leniorem illum esse judicat Jennerus[38]) vero morbo vaccino-varioloso. In qua tamen re hunc medicum sagacissimum non omnino adsecutum esse verum, ea probabunt, quae ab Exper. Hellwagio observata paulo post sum prolaturus. Spuriae praeterea variolae vaccinae nulla inflammatione stipatae sunt erysipelacea, neque ulcera relinquunt coloris lividi et phagedaenicae naturae. Corneas partes nunquam penetrant, sed cutis tantum superficiem adficiunt[39]). Vaccae his ulceribus, quae celeriter crusta obteguntur, vexatae neque sensibili modo aegrotant, neque lactis minorem, quam sanae solent, copiam secernunt. A vaccis ad ancillas mulgentes transit quidem hic morbus, minus tamen facile, quam verus.

---

37) Contra hanc morbi vaccino-variolosi distinctionem multa disputat de *Carro* (Obs. et exper. sur l'inoculat. de la vaccine. *Vienn.* 1801. 8.) p. 135. sequ. contendens, unum esse morbum vaccino-variolosum, eumque genuinum, nec ullum scriptorem Anglum sumsisse, morbum esse vel genuinum, vel spurium, Jennerum potius asseverasse, vaccinas variolas non solum esse morbum eruptivum, quo ubera vaccarum affici possint aut soleant.

38) *Libr. cit.* p. 6. vers. germ.

39) Jenner. *l. c.* p. 46. vers. lat.

Quae quidem spuriarum variolarum vaccinarum imago, a Jennero expressa, mihi minus accurata esse videtur, cum variae praeterea deprehendantur vaccino-variolosi morbi formae, multum ab his recedentes, quarum ille neque naturam rimatus est, neque signa characteristica investigavit. Qua in re superatus est ab Exp. Nisseno, medico physico Segebergensi. Is enim duas hujus morbi spurii species observavit, utrasque mulgendo contagiosas, et in corpore humano variolas ejusdem coloris et conditionis efficientes, neutras ita benignas, ut inserere corpori humano illas fuerit ausus. Prior harum variolarum species colore nigro erat, numo Holsatico, quem *Schilling* vocant, latior et in apice depressa: pure spisso replebantur pustulae. Ancillae, earum contagio tactae, levi febre, cum ardore, languore, cephalalgia et doloribus in glandulis axillaribus corripiebantur; variolae ipsae ulcera efficiebant dolorifica, rodentia et ad sanandum difficilia [40]). Altera species pustulas succinei coloris exhibebat minus latas, quam modo descriptae, repletas ichore subflavo, foetente. Vaccae gravius ab his, quam a nigris illis variolis, aegrotabant; lactis secretione imminuta. Foetor, cum mulgerentur, tolerari haud poterat, nisi ita venti adflatui exponerentur, ut ista effluvia ab ancillis mulgentibus amoverentur. Materiae hujus ichorosae ea erat acrimonia, ut parum abesset, quin ancilla, quae optima uteretur sanitate, ab his variolis infecta, digiti phalange, quam ulcus occupaverat, orbaretur [41]). His speciebus tertiam addit Exper. Hellwagius (*l. c.*), quam variolas vaccinas flavas appellat. Discrepant hae a duabus praecedentibus et coloris diversitate [42]), et humoris con-

---

40) Easdem observavit Ill. Chph. Fr. Hellwag, medicus Eutinensis, vid. *Nord. Arch. f. Nat. u. Arzneyw.* I. 3. p. 390.

41) Cf. *Schleswig-Holsteinische Blätter f. Policey u. Cultur* 1799. *St.* 6.

42) Videtur Celeb. Osiander *l. c.* p. 37. coloris diversitati parum

tenti aquosa natura, et denique omnis contagii absentia [43]). Quibus omnibus si superius ex Jennero allatas addiderimus, multis signis ab his tribus discernendas, v. c. inflammationis erysipelaceae defectu, lactis non imminuta secretione, celeri crustae efformatione cet., quatuor omnino habebimus morbi vaccino-variolosi spurii ejusdemque sponte sua nati formas.

b) *insitione in humana corpora translatus.*

Sed morbus quoque, *insitione in humana corpora translatus*, naturam suam ita interdum immutat, ut verarum variolarum vaccinarum nomine insigniri amplius haud possit. Qua quidem in re eo acrior animorum adversio necessaria est, quo periculosior in discernenda harum variolarum natura commissus error evadere potest. Nam hae variolarum vaccinarum species minime ab infectione variolosa securos reddunt, quos ab hac defendere studemus. Harum autem variolarum spuriarum duas formas, et habitu suo externo, et decursu a se invicem diversas, enumerat accuratiusque describit Exp. H. M. Hvssonvs, medicus Parisiensis [44]); alteram insitione miasmatis vaccino-variolosi in hominibus instituta, qui olim jam variolis laboraverant, alteram irritatione produci adferens in hominibus, quibuscum varioloso contagio nondum infectis, morbi vaccino-variolosi miasma, corruptum illud aut minus efficax, insitione communi-

---

tribuere in definiendis variis variolarum vaccinarum speciebus, quippe cum ipse in vaccis, quibuscum Gottingae casu morbus vaccino-variolosus communicatus erat, pustulas deprehenderet cum coeruleas, tum albidas, atque etiam subflavas. Sed Nissenvs non ad solum colorem, sed et ad alia respexit momenta, quibus istas species a se invicem recedere intellexit.

43) Has cum coeruleis s. veris solas cognitas sibi esse testatus est Günzelivs. Vid. *Nord. Archiv l. c.* p. 400.

44) Cons. Ej. *Recherches hist. et méd. sur la vaccine. à Par.* an IX. 8. p. 30 — 40.

catum est. Exper. de CARRO, qui artem Vindobonae exercet, experimenti causa homini, variolis jam olim adfecto, miasma vaccino-variolosum inseruit, unde inflammatio excitabatur die secundo, et pustula irregularis figurae efflorescebat, areola cincta ejusdem et latitudinis et rubedinis, qua vera variola vaccina in conspectum prodit; hoc tantum discrimine inter utramque intercedente, ut illa citius elevaretur, nec in apice foveolam haberet crateriformem, quae nunquam a variola vaccina vera abest. Materia, quam pustula talis continet, per brevissimum temporis spatium limpida, subito in humorem puri similem mutatur, qui, si aliis hominibus inseritur, eundem semper morbum producit, adeoque miasma sui generis continere videtur [45]). —

Altera morbi vaccino-variolosi, spurii ejusdemque arte producti, species efficitur, si inoculatio sicco et in vitri modum duro miasmate vaccino-varioloso instituta est. Tunc enim illud ab initio quidem, uti corpora peregrina solent, in vulneris facti parietes agit; postea tamen, quam ab humoribus adfluentibus emollitum ac solutum est, eosdem fere, quos recens miasma vaccino-variolosum exserit effectus. Eodem igitur aut altero post inoculationem die ea epidermidis pars, quae induratam materiae vaccino-variolosae portiunculam obtegit, elevatur, et e vulnere, cujus ambitus colore vivide rubro tingitur, humor puriformis profluit. Die proximo rubor valde imminutus; epidermidis illa portio magis, quam die antecedente, elevata; in tela cellulosa, vulnusculum ambiente, levis inflammatio; pustula generata rumpitur, funditque pus opacum flavumque; crusta, ab hoc pure exsiccato orta, quinto aut sexto die decidit relinquitque interdum ulcus profundum et ad sanandum difficile. Hoc morbi stadio

---

45) Vid. A. AUBERT *Rapport sur la vaccine. à Paris* an VIII. p. 51.

rubor satis intensus in ipso inoculationis loco, durities quaedam telae cellulosae proxime circumjacentis, intumescentia levior cutis, incrementum areolae periphericae etc. perdurant [46]). Quae quidem morbi vaccino-variolosi spurii species an insitione propagari queat, nec ne, quaerit Hvssonvs [47]), propria, qua in alterutram partem certi quid definiri queat, experientia destitutus.

His duabus spuriarum variolarum vaccinarum, arte productarum, formis, ab Hvssono constitutis, addi potest et debet tertia, si causam efficientem respexeris, ab illis diversa. Oritur enim morbus spurius ab adhibito ad inoculationem miasmate, fluido illo quidem, sed sive nondum maturuerit, sive ob nimis protractam in pustula moram, aut ob aëris etiam liberum accessum corruptum fuerit, inefficaci. Pustulae in loco insitionis nimis cito prorumpunt, et, rubore erysipelaceo, variolae basin cingente, destitutae, mox crusta teguntur. Nolo occupare, ulterius huic rei inhaerendo, ea, quae infra, ubi et de variolarum vaccinarum spuriarum fontibus et de inoculatione sermo erit, de materie vaccino-variolosae selectu occurrent.

Sed haud sufficere videtur in varias hujus, de quo sermo est, morbi spurii formas accurate inquisivisse, sed etiam fontes investigandi sunt, unde ejus origo repetenda est. His enim detectis poterimus feliciori cum successu opportunitates; quae spem de prospero inoculationis variolarum vaccinarum effectu conceptam eludere possunt, evitare. Quod cum praeclare intelligeret Jennervs, quatuor enumeravit fontes, unde spuriae variolae vaccinae soleant oriri [48]). Et *primum*

---

46) Conf. Odier in Bibl. Britann. Vol. XIV. p. 285. inprimis autem Hvssonvs *l. c.* p. 35.

47) *Libr. cit.* p. 38.

48) *Libr. laud.* p. 42. ss. vers. lat.

quidem deprehendisse sibi visus est in pustulis, quae ubera vaccarum interdum obsident, nullo tamen specifico veneno imbutis. Tale exemplum refert ipse Jennervs (*l. c.* p. 45. vers. lat.) ancillae, e pustulis albis, quae in uberibus trium vaccarum copiose effloruerant, tria aut quatuor in quolibet utriusque manus digito ulcuscula contrahentis, manibus brachiisque inflammatis, nulla alia corporis aegritudine praesente. Paulo post variolis correpta vix evasit mortem. *Deinde* et morbi vaccino-variolosi spurii causam esse statuebat materiem, quae quidem etsi ab initio venenum specificum continebat, tamen postea aut putredine, aut alia, sensus nostros fugiente, ratione dissoluta est et decomposita [49]). Huc exemplum villici pertinet, ab Ingenhovssio [50]) publicatum, qui quamquam morbo jam vaccino-varioloso laboravisse sibi videbatur, tamen variolis corripiebatur, unde adversarii novae variolarum pestem coercendi viae ac rationis argumentum contra hujus remedii inefficaciam nimia cum animorum fiducia repetebant. Nam cum aegrotus fateretur, se morbum vaccino-variolosum olim ab uberum contrectatione, odorem admodum foetidum exhalantium, contraxisse, facile inde colligi et potest et debet, aut variolas vaccinas illas ad spuriarum genus referendas fuisse, aut putredinis effectu venenum vaccino-variolosum ita immutatum, ut vim amitteret, morbum

---

49) Hujus rei veritatem usu suo comprobavit *Winklerus* Altenburgensis *l. c.* p. 103. seq. cum fila pustulae genuinae vaccinae, scabendo apertae, imposita, et a materia, quae sive ab aëris aditu, sive a filorum irritamento, puriformem adsumserat habitum, colore flavo tincta, vulnusculo recenti immissa videret jam die secundo producere vulnusculi inflammationem, tertio, quarto, quinto pustulam flavam, signis characteristicis verae vaccinae destitutum. Denuo insitus morbus materia recenti producebat genuinam variolam vaccinam. In alius infantis brachio altero insitio morbi filis illis, altero materia recenti instituebatur. Fila pustulam provocabant flavam, spuriam, materia recens coeruleam, genuinam.

50) Vid. Jenneri *l. c.* p. 49.

vaccino - variolosum verum producendi. *Tertium* fontem ponit Jennervs in materia ex ulcere antiquo desumta, quamquam hoc ulcus a veris variolis vaccinis originem traxit. Recte igitur Cel. Odier suasit, u ne inoculatio cum pure opaco et spissiore, quod sub crusta jam formata latet, institueretur: ipsum enim experientia edoctum fuisse, ab ejusmodi pure symptomata originem trahere, quae praecocis irritationis localis indicia sint, atque pustularum efflorescentiam comitentur, variolis vaccinis spuriis simillimarum [51]). Idem Exper. Ballhornivs et Stromeyervs, chirurgus Hannoveranus, experti sunt [52]). Quae quidem efficaciae destructio, diuturna suppuratione effecta, veneno vaccino - varioloso communis est cum miasmate varioloso, quod eadem ita immutari constat, ut inde variolae spuriae oriantur [53]). *Denique* et causam, unde frequentius spuriae variolae vaccinae provenirent, reperisse putabat Jennervs in materia, quae post inflammationem a contactu ichoris purulenti foetidique, quem maligna equinarum ungularum ulcera fundere solent, in cute humana generatur; quae materia, ubi eo consilio aliis corporibus inseritur, ut variolae vaccinae inde oriantur, spuriis originem praebeat. Nolo hujus causae insufficientiam multis ostendere, inprimis cum luculentissime pateat, effecta ab illa materia mere localia esse, quae a sola irritatione humoris acris ac purulenti pendeant. Potiori jure debebat Jennervs ad perversam medicorum nonnullorum consuetudinem respicere, — certiorem morbi vaccino-variolosi spurii causam, — qua e pustulis, magna

51) Vid. *Récueil de mémoir. d'observat. et expériences sur l'inoculation de la Vaccine. à Par.* an IX. 8. p. 22. et *Die Kuhpocken, ein Mittel gegen die natürlichen Blattern.* p. 83.
52) *Traité d'inoculation vaccine. à Leips.* 1801. 8. p. 65.
53) Conf. Earle ap. Jennervm *l. c.* p. 47. Keate in act. societ. med. *Londin.* Tom. IV. p. 114. et eos, quos Exper. interpres Cvllenii commemoravit *Anfangsgr. d. pract. Arzneyk. Dritte Ausg. Leipz.* 1800. Vol. II. p. 70.

interdum copia totam corporis aegrotorum superficiem obtegentibus, inoculationis materiem desumunt, persuasi, hoc modo leniorem posse produci morbum. In qua quidem re haud decipiuntur; nam lenior est morbus, hac via generatus, idem vero in contagio varioloso supprimendo etiam plane inefficax. Praeter has a Jennero allatas causas spuriarum variolarum, insitione progenitarum, alias adhuc commemoravit Exp. Kreysigivs, qui diligenter in hanc rem inquisivit[54]) et Winkler[55]). Accusandos enim hac de re ille putat nunc homines ipsos, quibus miasma vaccino-variolosum inoculatum est, nunc lymphae nimis aquosam naturam, nunc pustulam vaccino-variolosam, nimium a corpore illo, quo miasma excipitur, irritatam, nunc denique viam ac rationem, qua insitio perfecta est. Nam si cutis nimium sensibilis a miasmate vehementius adficitur, aut plures ad vulnus inflictum humores lymphatici adfluunt, quibus miasma ita diluitur, ut genuinam variolam vaccinam producere nequeat, aut reactio cutis vulneratae nimia immutat miasmatis naturam. Utraque haec conditio rationem continet causae secundae et tertiae, a quibus Kreysigivs variolarum vaccinarum spuriarum originem derivabat. Etenim nimium aquosa indoles lymphae, ex insitionis pustula haustae, impedit, quominus miasma, cujus tam lenis natura est, effectus exserat suos. Idem quoque efficitur, si et irritatio nimia praeter modum auxit vulneratae partis reactionem, qua indoles miasmatis vaccino-variolosi corrumpitur,

---

54) *Neues Wittenb. Wochenbl.* 1801. No. 21. p. 166.

55) Winkler *l. c.* p. 104. variolarum vaccinarum spuriarum causam inde derivat, quod inoculatio instituta sit in hominibus, variolas expertis. Ipse, qui puer olim variolis laboravit, bis sibi inoculavit miasma vaccino-variolosum, unde pustula oriebatur, verae vaccinae admodum similis, at ab initio magis in flavum colorem vergens, post diem decimum neque rubore peripherico cincta, neque motibus febrilibus juncta.

et inoculatio ope vesicatorii instituta est. Quam ob rem neutri materiae fidendum est multum.

Morbus vaccino-variolosus verus

a) in vaccis sua sponte et in hominibus contagio fortuito natus.

Jam exhibita morbi vaccino-variolosi spurii, cum sponte sua nati, tum insitione producti, descriptione, liceat et addere imaginem ejusdem morbi veri ac genuini. Atque in vaccarum quidem uberibus, uti supra jam breviter monui, solet is apparere sub forma pustularum irregularis figurae, coloris ab initio coerulei, paulo post lividi, inflammatione erysipelacea cinctarum, et in apicibus foveolam exhibentium, ita depressam, ut pustulae infundibuli referant figuram. Hae pustulae, majores semper iis, quae insitione proliciuntur, nisi mature aptis medicamentis tractentur, v. c. vitriolo cupri aut zinci aqua soluto [56]), degenerant in ulcera mali moris, late saepe serpentia: vaccae magis aegrotant, alacritate pristina privantur atque minorem lactis copiam secernunt. Contagio transit hic morbus ad eos, qui has aegrotas vaccas mulgent, quorum in manibus, maximam partem ad articulos et in apicibus digitorum, maculae ab initio inflammatae prodeunt, in pustulas sese sensim attollentes, brevique in suppurationem abeuntes. Pustularum et color et habitus plane convenit cum iis, quas in vaccis obvias commemoravi. Glandulae subaxillares cum dolore intumescunt: febris universalis incenditur, symptomatibus maxime communibus stipata, v. c. horri-

---

56) In Holsatia applicatur remedium constans e partibus aequalibus VI essentiae myrrhae et aloes, e parte una extracti saturni, et camphorae in pulverem redactae partibus tribus. Ab alio medico veterinario ibidem commendabatur usus internus decoctarum cum cerivisia radicum Pimpinellae, Sassaparillae et Nardi indicae, si recte intelliguntur nomina indigena et vulgaria. Vid. *Nord. Archiv.* Vol. I. 3. p. 395.

pilationibus, aestu, languore, doloribus artuum, vomituritione, cephalalgia adeoque interdum deliriis. Quae quidem aegroti corporis phaenomena pro varia ejusdem et aetate et constitutione nunc intensiora sunt, nunc remissiora. Plerumque tamen aegroti ita valent, ut solitis negotiis vacare queant. A manibus saepe ad alias corporis partes contactu venenum vaccino-variolosum transfertur, ita, ut in labiis, naso, fronte etc. tales conspiciantur pustulae [57]).

b) in hominibus insitione productus.

Qui ab hisce variolis vaccinis genuinis producitur insitione morbus, solet multo lenior esse, adeo, ut et Exper. Odiervs [58]) contendat, vehementiam morbi vaccino-variolosi, praesertim in infantibus tenellis, ratione esse eadem ad vehementiam variolarum insitarum, qua hae sunt ad variolas naturales, et Lavatervs [59]) in novissima variolarum epidemia, quae Turici et per omnem omnino Helvetiam grassabatur, et tertium quemque infantem morti tradebat, cum variolas tum fortuito homines invadentes, tum arte in iis prolicitas, tum denique morbum vaccino-variolosum, simul tractaret, observavit, infantes gravissime a morbo vaccino-varioloso adfectos nondum ita aegrotasse, ut illi, qui levissime e variolis insitis decumbebant. — Hujus igitur morbi vaccino-variolosi arte producti decursum sic semper constantem, ut, qui semel eum observaverit, centies eum observasse judicetur ab Exper. de Carro [60]), cum accuratissime de-

---

57) Cf. Lavater's *Abhandl. v. d. Milchblattern.* p. 19. 20.

58) *Die Kuhpocken, ein Mittel* etc. p. 74.

59) *L. l.* p. 28.

60) In epist. ad Exper. Ballhornivm scripta. Vid. hujus *Traité de l'inoculation vaccine.* p. 130. Interim phaenomena, variolae vaccinae eruptionem comitantia, pro diversa eas inserendi methodo differre statuit Sachse *Beob. u. Bemerk. Berl.* 1802. 8. qui Sybelivm, Osiandrvm, et Helwagivm secutus accurate

scripserint Exper. BALLHORNIVS et STROMEYERVS chirurgus, liceat eorum vestigia hac in re sequi, adspersis iis, quae ab aliis aliter sunt observata. Et *secundo* ab inoculatione instituta die prodire ajunt in insitionis loco puncta rubra, similia illis, quae a morsu pulicum remanere solent, intra quae incisiones factae distingui possunt. Exper. de CARRO [61]) autem hoc solum tempus differre adserit, quo rubor puncturarum seu incisionum primum se manifestet. Qua quidem in re et alios secum consentientes habet medicos, e quibus unum excito HVSSONVM, qui ad tertium usque aut quartum diem plane nihil in cute observari posse adserit, quod introducti veneni efficaciam ullo modo prodat [62]). Lipsiae animadversum est, maculas has rubras tertio, quartove die, cum jam de inoculationis efficacia desperaretur, subito in conspectum venisse. Cujus quidem nunc promptioris, nunc tardioris macularum efflorescentiae causa videtur repetenda esse a cutis nunc tenerioris, nunc densioris conditione. *Tertio* die eundem esse vulnerati propter insitionem loci adspectum, hac solummodo differentia, ut interdum in ipso vulnerum loco nodulus in conspectum prodeat, qui forte ab irritato per miasma vaccino-variolosum vase lymphatico originem ducat suam. *Quarto* die in cutis contextu, quae marginem parvae cicatriculae efformet, levem duritiem tactu detegi posse, quae in tumorem coloris pallide rubri exiguum exsurgat, et *quinto* die mole sua ita augeatur, ut apex foveolam repraesentet infundibuliformem, infectionis successurae certissimum signum. Hoc ipso morbi tempore plures aegroti male se habent [63]);

---

haec exposuit, additis simul phaenomenis variolarum insitarum e VOGELIO et FRANKIO.

61) *L. c.*

62) *Libr. laud.* p. 25.

63) Cujus quidem aegritudinis initium ad sextum diem retulit JENNERVS *l. c.* observ. 21. — Hoc ipso die WINKLERVS *l. c.* in-

manuum volae calent; somnus inquietus; transpiratio aucta, cujus odor plane convenit cum odore, quem spirant variolae, (vid. Nolde *Beobacht. üb. d. Kuhpocken. Erford.* 1802. 8.); facies pallida. Quae quidem turbatae sanitatis signa pro varia irritabilitatis in aegroto corpore conspicuae ratione, et materiae, quacum inoculatio instituta est, efficacia solent et vehementia et apparitionis tempore variare [64]). Etenim in nonnullis aegrotis hoc ipso tempore plane nihil observare licet, quod imminutam indicet sanitatem; in aliis symptomata modo enumerata sexto demum aut septimo oriuntur die.

Sexto die tumor ille exiguus, in pustulae speciem jam nunc abiens, paulo magis auctus, foveolam apicis profundiorem ostendit, aegrotique, teste Jennero [65]), de doloribus in glandulis subaxillaribus et de vomitu conqueruntur.

Septimo die pustula, jamjam lymphae exiguam continens quantitatem, coloris est languide rubri, fere pellucidi. Quod pustulae incrementum per dies quatuor sequentes procedit. Foveola evanescit: tota pustula, lymphae limpidae plena, peripherico rubore, admodum vivido, cingitur [66]), per duos aut tres pollices excurrente, quando duo aut tria brachio inflicta sunt vulnera. Hanc inflammationem periphericam, cum febricula incipientem, die *nono* oriri adseruit Exper. de Carro [67]). Winklervs ut plurimum eam die 10 — 12 prodire adserit, atque hujus phaenomeni

---

sultum febrilem leviorem observavit, qui naturae catarrhalis esse videbatur. Definire tamen non sustinet, eum ab inoculatione pendere. p. 101.

64) Cons. primam apud Lavatervm *l. c.* p. 22. ss. morbi historiam.

65) *Libr. citat.* p. 13. Hic tamen dolor in alio aegroto sese die demum septimo exserebat, eodem Jennero referente *l. c.* p. 12.

66) Lavater. *Abhandl. üb. d. Milchblatt.* p. 22.

67) In epistola laudata ad Ballhornivm. Vid. Ej. *Traité* etc. p. 130.

diversitatem quaerendam esse in velocitate aut tarditate, qua infectio locum habeat. Ruborem vidit idem veluti radiis diffusum per brachia, tuncque tumorem admodum intendi. *L. c.* p. 102. Sensum, quem aegroti in vulneratis locis percipiunt, magis titillantem (*zuckend*), quam dolorificum esse, idem statuit *l. c.* Pars inflammata durescit atque intumescit. *Glandulae subaxillares* cum dolore (quamquam non semper) paululum intumescunt; qui tumor, haud dubie medici culpa, ad vestimentorum brachium tegentium rationem non satis respicientis, interdum adeo omni resolutioni resistit, ut suppuratio consequatur[68]). Nec hae solum, sed etiam glandulae in genu, ac inguinibus collocatae; unde apparet, totum systema lymphaticum esse adfectum. WINKLER. *l. c.* Febris incenditur vaccino-variolosa, quae se calore saepius non nisi manuum, interdum autem universi corporis, atque somno, per duas tresve noctes inquieto, prodit[69]). Rarissime febris vehementia major[70]) esse solet: nec tamen est, quod et a vehementiore timeas febre. Nam solet multum imminui et intra solitos coërceri fines exhibita salium purgantium dosi[71]). Transspiratio aucta; facies nisi jam antea pallida fuerit, nunc hoc colore tincta; infantibus tenellis alacritas corporis deficit, ita, ut

---

68) Vid. Illustr. HELLWAGIVM, tale exemplum narrantem in *Nord. Archiv.* I. p. 435.

69) R. REDFEARN in *Phys. med. Journ.* 1800. p. 347.

70) Quamvis levis febris esset, tamen nunquam penitus deerat: et interdum eo usque vehementiae processit, ut deliria, lenesque convulsiones aegrotum male haberent. Qui vehementior febris gradus ultra diem non durabat. WINKLER *l. c.* p. 102. — JÖRDENS (*allg. med. Ann.* 1801. *Jul.* p. 110.) febrem hanc non semper ea esse lenitate testatur, quam plerique medici jactitent.

71) Usus est hac via ROB. HOLT, verbi divini apud Finmerenses in comitatu Buckinghamensi minister. Vid. *Phys. med. Journ.* 1800. p. 844. ss. Et WINKLERVS *l. c.* p. 102. vomitu aut diarrhoea sponte sua ortis febrem hanc valde imminui observavit; nec dubia atque obscura erat observatio, qua ruborem periphericum pustulae a diarrhoea imminui constitit.

gestari semper velint. Interdum tussicula et levis diarrhoea accedit, cujus causa fortasse a refrigerio diaetaeque erroribus repetenda est. Zieglerus in epistola ad Ballhornium [72]) observatam fuisse adserit, cum XXX fere infantes inoculasset, altero die a febris vaccino - variolosae cessatione diarrhoeam validam, foetentem, pituitosam et interdum adeo sanguineam, nec ullum aegrotum, hac diarrhoea vexatum, eruptioni illi subsequenti obnoxium fuisse, quae *rubeolis* sit similis. (Phaenomena diei noni et decimi solent nunc citius, nunc serius contingere.)

Duodecimo die peripherica pustulae inflammatio plerumque imminui solet. Qua quidem in re peculiare quid videtur locum habere. Nam erysipelatis ruborem constat a peripheria ad centrum sensim sensimque decrescere; contra ea rubedinis erysipelaceae, qua pustula vaccino-variolosa circumdata est, margo videtur et tunc demum conspicuus manere, cum remotiores partes ad naturalem cutis colorem jam redierunt. — Pustularum color albidus in flavum vergit; variolarum habitum exuunt atque corneam quasi conditionem sibi vindicant, in majorem altitudinem exporrectae et exsiccatae conspiciuntur pruritumque efficiunt; in earum fastigiis crustula rotunda, tenuis, nec asperitate aliqua inaequalis [73]) formatur, interdum jam die antecedenti, interdum decimo tertio demum in conspectum veniens, quae quo magis expandatur, eo magis inflammationem periphericam decrescere auctor est Exper. de Carro [74]).

Die *decimo tertio* et *quarto* pustulae penitus obtectae sunt crusta flava, in fuscum aut brunneum colorem abeunte. Febris nulla amplius vestigia. Ru-

---

72) *Traité de l'inoc. vacc.* p. 135. Eandem diarrhoeam cum aucta urinae secretione observavit Boernerus chirurgus die duodecimo in Stoofia, quae postea variolis malignis extincta est.

73) Lavater *l. c.* p. 25.

74) Cons. Ballhorn et Stromeyer *Traité etc.* p. 130.

bedo peripherica, pustulam cingens, fere tota evanescit.

Diebus proxime insequentibus, inprimis decimo sexto, crustae, quae indies sicciores et duriores nigriorem induunt colorem, excidere incipiunt, nonnisi tamen praevia suppuratione. Liberata ab iis loca rubent, nec foveam formant, qualem variolae solent relinquere. Ultimae crustarum reliquiae interdum die tandem tricesimo separantur [75]).

Intra diem decimum tertium et octavum, raro prius, interdum in trunco, facie et prae ceteris in antibrachio efflorescentia illa prodit, de qua paragrapho proxima plura dicenda erunt. Quam quidem eruptionem quamquam plerumque aegritudo, cum diarrhoea levi vomituque bilioso conjuncta, praecedit, unde Ballhornius (*l. c.* p. 57.) bilis secretionem tunc temporis auctam esse et miasma vaccino-variolosum inprimis ventriculum atque tubum intestinalem petere conjecit, tamen ea Lipsiae sine omni horum symptomatum comitatu prodire observata est.

Atque hic quidem morbi vaccino-variolosi insitione producti decursus, qualem plerumque obtinentem modo descripsi, facile offert stadia quaedam, in quae quasi dispesci ac dirimi commode potest. Quae stadia, quamquam in variolis recte finita sunt, tamen, si Hussonum [76]) et Osiandrum exceperis, a reliquis omnibus, qui de variolis vaccinis scripsere, in harum descriptione prorsus neglecta fuerunt. Is autem tribus periodis distinxit morbum vaccino-variolosum, quarum primam *inertiae*, secundam *inflammationis*, tertiam denique *exsiccationis* nomine insignivit. Prima, quae tribus aut quatuor concluditur diebus, distinguitur a reliquis omni signorum absentia, unde ad efficaciae veneni vaccino-variolosi in vulnere exsertionem con-

---

75) Lavarer *l. c.* p. 26.

76) *Libr. laud.* p. 25 — 30.

cludi possit. Secunda morbi periodus a die tertio aut quarto usque ad undecimum extenditur, motibus febrilibus, et manifestis inflammationis erysipelatosae signis distincta. Tertia a duodecimo die usque ad plenariam crustae efformatae exsiccationem atque casum pertinet. Quamquam autem positi fines cuilibet harum periodorum ut plurimum conveniunt, tamen, quod ex antecedentibus colligi jam poterat, haud sunt adeo certi ac constantes, ut nunquam varient. Nam medici Rhemenses, qui inoculandis variolis vaccinis omnem operam dant, observarunt, inertiae stadium, uti ad diem vicesimum secundum usque prolongabatur, ita jam die secundo ad finem vergente in inflammationis transiisse stadium [77]), quod interdum etiam, licet quarto demum die initium ceperit suum, tamen jamjam octavo die penitus erat absolutum. De Carro *l. c.* p. 169. observavit, demum die duodecimo prodire vaccinam in Henr. Smithio, puero quadrienni. Exper. Winklervs, med. Altenburgensis, infectionis manifestae signa die secundo, quarto quintoque observavit, hujusque rei diversitatem a corporis constitutione aut vividiore, aut tardiore repetiit (*Allg. med. Ann.* 1801. *Jul.* p. 101.). — Celeb. Osiandrvm quatuor stadia, infectionis, eruptionis, suppurationis atque exsiccationis, assumere, verbo monuisse sufficiat [78]).

§. 3.

De symptomatibus nonnullis, morbum vaccino-variolosum interdum concomitantibus.

Cum paulo ante decursum morbi vaccino-variolosi adumbrarem, atque symptomata enumerarem,

---

77) Hvssonvs *l. c.* p. 29. Ballhornivs et Stromeyervs *libr. cit.* p. 151. decem ad minimum diebus elapsis demum certi quid de infectionis vaccino-variolosae inefficacia statui posse, et Exp. Odiervs die XVII. atque S. G. Vogel. (*Nord. Archiv.* II, 1. p. 187.) die XXII. inoculationem efficaciae signa exhibuisse testantur.

78) *L. c.* p. 101.

quae ipsi maxime familiaria esse solent, trium inprimis symptomatum mentionem aut nullam aut nimis brevem injeci, quae cum diligentiorem considerationem mereri videantur, nunc accuratius expendere apud animum constitui meum.

Ac *primum* symptoma *inflammationem* offert erysipelaceam, quae in loco inoculationis orta latius subito diffunditur, atque per omnem omnino brachiorum, quin totius corporis superficiem excurrit [79]). Illam quidem, quae Lipsiae observata non est, in hominibus magis obtinere, ruri degentibus, quam in iis, qui Londini vivant, Jennervs statuit, qui primus hoc morbi vaccino-variolosi symptoma observavit, idque a majori miasmatis vaccini efficacia derivavit [80]). Videtur tamen alia adhuc causa eaque verisimilior, huic inflammationi subesse. Scabendo enim insitionis vulnus, non solum hoc, sed totum brachium ita inflammatione correptum animadvertit Exper. Hellwagivs [81]), ut metus esset, ne res male verteret. Lavatervs autem, qui inter LXXIII infantes quatuor tantum deprehendit, ab hoc ipso symptomate male habitos, quorum unius brachium sinistrum occupabat totum, decemque diebus post iterum, motibus febrilibus haud omnino levibus stipatum, prodibat, crusta in insitionis loco nata, quae jamjam penitus sicca erat, denuo suppurante atque obscure rubra peripheria cincta, illud aliunde, quam ab inoculatione morbi vaccino-variolosi, originem traxisse suam putat: nam praeter infantes multos, quibus idem morbus insertus non erat, etiam adulti eodem tempore hac inflammatione erysipelacea laborabant [82]). Celeb. Odiervs, qui inter centum aegrotos non nisi duos

---

79) Ballhorn et Stromeyer *Traité*. p. 82.
80) *Libr. cit.* p. 14. vers. lat. observ. XXI.
81) *Nord. Archiv* I. p. 422.
82) *Libr. cit.* p. 63.

aut tres occurrere putat, isti symptomati obnoxios, suspicatur, illius causam, nisi semper, tamen interdum ab instrumenti impuritate derivandam esse, quocum inoculatio instituta est [83]). I. EVANS denique hanc inflammationem derivavit ab aquilone, qui, cum morbus vaccino-variolosus insertus esset, frigus vehemens efficiebat [84]). In universum symptomata localia nunc vehementiora, nunc leniora aut a duriore aut molliore vulnus infligendi ratione derivanda esse autumat WINKLERVS *l. c.* p. 101. Quo levius enim vulnusculum insitionis, eo minor pustula, eo leviora symptomata pustulae eruptionem sequebantur. — Idem *l. c.* p. 103. ruborem scarlatinae similem (aberant tamen faucium mala, et desquamatio cuticulae) die 14 — 16 ab insitione observavit, nec ultra duos dies durantem, nec periculum minantem.

Quamquam autem de causa hujus symptomatis magna adhuc inter medicos obtinet dissensio, tamen hoc extra omnem dubitationis aleam positum est, illam inflammationem plane non esse periculosam, saepiusque nullis omnino egere auxiliis [85]). Id medici Genevenses experti sunt, qui inflammationem illam soli naturae commiserunt, optimo cum successu. JENNERVS autem, qui hanc innocuam symptomatis illius naturam nondum usu atque experientia noverat sua, inunxit locum inflammatum unguento mercuriali, quod ad inflammationem vulneris, propter insitionem variolarum facti, imminuendam, quin penitus coërcendam efficacissimum repererat. Nec spes eum destituit de hoc medicamento concepta: nam paulo post cessit omnino brachii inflammatio [86]). PEARSONVS [87]) et

83) *Die Kuhpocken, ein Mittel* etc. p. 86.

84) Cons. *Phys. med. Journ.* 1800. p. 759.

85) HVSSON *l. c.* p. 42. ODIER *l. c.* p. 86.

86) *L. c.* p. 68.

87) Vid. Ej. *Untersuchungen* etc. p. 41. ss.

Woodvillivs [88]), Jenneri exemplum secuti, inflammationem, quae undecimo aut duodecimo die apparebat, symptomatibus febrilibus, nec non tumore subaxillarium glandularum stipatam, statim coërcuerunt, impositis loco adfecto linteis, aqua lithargyrii acetati madefactis. Exper. Hellwagivs [89]) lotionem commendabat ex aquae calcis vivae cum aqua nasturtii mixtura, et cum pustulae serum large fundentes et in omni brachii inflammati superficie erumpentes inde ad siccitatem perduci haud possent, decoctum calcis antimonii sulphurati Hofmanni cum fructu adhibuit [90]). In leviori inflammationis gradu et spiritum vini, aqua commixtum, utilem fore speravit Odiervs (*l. c.* p. 85.).

Neque vero solum mederi huic symptomati voluerunt medici, sed et eidem occurrere ejusque originem praecavere. Et Jennervs quidem id caustico, e saponis et calcis vivae partibus aequalibus composito adsecutus est, quo locum insitionis per breve tempus texerat, conjecitque (*l. c.* observ. 22.), levissimum eumque repetitum vulneris contactum lapide infernali idem fortasse praestiturum esse. In qua quidem re Jenneri praecepta non sequerer. Etenim cum constet, miasmatum, alioquin valde efficacium v. c. venerei, canis rabidi etc. vim a causticorum medicamentorum usu imminui penitusque destrui, haud temere verendum esse videtur, ne miasma vaccino-variolosum, cujus, insitione inprimis in corpus humanum translati, lenior natura est ac indoles, adjuncto ipsi caustici remedii potentioris stimulo, plane nullam aut admodum parvam exserat virtutem adeoque insitionem inutilem

---

88) *Beschreib. ein. Reihe v. Kuhpocken-Impf.* p. 134.

89) *Nord. Archiv* I. p. 422.

90) Vid. et Exper. Sybelivs (*Erfahrungen üb. Kuhpocken*, p. 52.), qui adhibita solutione tenui salis alcalini caustici et inunctione unguenti mercurialis felici cum successu usus est.

reddat. Sed cum sciam, quam caute rationes ab analogia ductae in re medica sint adhibendae, experimentorum hac de re accurate instituendorum eventum exspectandum esse puto.

Secundum symptoma, quod maxima medicorum attentione dignum est, cum inde inoculationis variolarum vaccinarum adversarii argumentum contra ejusdem inefficaciam depromere soleant, eruptionem pustularum, variolis spuriis, aut, Exper. Kappio teste, papulis scabiei siccae, aut, ex Exp. Winkleri observatione, eruptioni urticatae, (*l. c.* p. 103. papulae enim habebant adspectum vivide rubrum, inque apice pustulam lympha limpida plenam) simillimarum spectat, de quarum vera indole nondum inter medicos constat. Etenim si ad ipsam morbi vaccino-variolosi naturam haec eruptio pertineret, nunquam ab eo morbo abesse debebat, cujus tamen rei exempla longe frequentissima sunt. Nam Fosbrooke, qui Horsleii in comitatu Glocestriensi artem facit, inter mille homines, quibus variolae vaccinae inoculabantur, nullum invenit, hac eruptione pustulosa correptum [91]). De Carro in centum aegrotis ne unum quidem [92]). Lavatervs inter LXXIII infantes, morbo vaccino-varioloso imbutos, neminem invenit, qui quatuor, quin sex pustulis plures in brachio ostenderet [93]). Lutetiae Parisiorum, ubi quatuor fere millia hominum inoculationi variolarum vaccinarum exposita sunt, nondum observata fuit illa eruptio pustulosa, teste Hvssono [94]). Silentio praetermitto et alias plures urbes, in quibus quamvis morbi vaccino-variolosi inoculatio multum vigeat, tamen nondum occurrit illud symptoma, quod contra ea Londini in nosocomio, variolis inserendis destinato,

---

91) *London medic. Review and Magaz. Jan.* 1800. p. 480.

92) In litteris ad Ballhorn. *l. c.* p. 132.

93) *Libro cit.* p. 63.

94) *Libro cit.* p. 45.

cui Woodvillivs praeest, longe frequentissimum erat[95]), et Hannoverae tam commune esse narratur, ut e decem aegrotis octo, quin novem adeo illi sint obnoxii. Pearsonvs autem nonnisi quatuor inter omnes illos, quibus morbum vaccino-variolosum inoculavit, deprehendit, ista eruptione pustulosa vexatos[96]). Genevae quoque ter inter centum aegrotos occurrit[97]), idemque Hellwagio[98]); et inter quadraginta aegros semel a medicis Bernburgensibus[99]), pluries a Pilgero[100]) atque ter quaterque a Sybelio[101]), et a Kreysigio inter quatuor et centum infantes tricies fere[102]), a Lipsiensibus medicis aliquoties observatum fuit, uti et a Winklero inter XXX quater aut quinquies (*L. c.* p. 102.) antea, quam morbilli epidemie grassari Altenburgi coeperant. Postea diversa exanthemata variolis vaccinis accedebant, quorum causam aut morbilli, aut nimius anni tempestatis calor (mense Maio) fortasse suppeditabant. — Jördens inter VIII vaccinatos tres observavit non a febre solum male habitos, sed et eruptioni huic subsequenti obnoxios fuisse, die 12 aut 13 ad finem vergentibus macularum rubrarum, a pulicum morsu relictarum, inque centro nunc majori, nunc minori tuberculo insignium, forma sese exhibenti.

Liceat hujus *eruptionis vaccinae subsequentis* (hoc enim solent nomine illam pustularum efflorescentiam insignire) descriptionem, ex Cel. Ballhornii et Stro-

---

95) Observavit idem symptoma in aegrotis sexaginta octo tricies novies J. Evans (*Med. phys. Journ.* 1800. *Oct.* p. 757.).

96) Cons. *Medic. physisch. Journ.* 1801. p. 339, ubi de hoc ipso symptomate multa disputavit.

97) *Die Kuhpocken, ein Mittel* etc. p. 87.

98) *Nord. Archiv* I. p. 427. 429.

99) Vid. *Bernburg. wöchentl. Anzeigen* 1801. *No.* 3.

100) *Sammlung v. Nachricht., Beobacht. u. Erfahr. üb. d. Kuhpocken-Impf. Giessen* 1801. 8. p. 99.

101) *Libr. cit.* p. 106. 133.

102) *Neue Wittenb. Anz.* 1801. 21.

MEYERI commentatione petitam [103]), hoc loco exhibere. Intra diem scilicet 13 et 18 ab ipsa insitione in trunco, facie, inprimisque in antibrachio, praevia corporis inquietudine, alvi solutione et vomitu prodeunt parvae pustulae, a se invicem distinctae, quas intra XXIV primas ab earum ortu horas pro eruptione variolosa facile habueris. Hae pustulae in apicem acutum, saepe pellucidum, desinunt, parum elevatum, coloris rubri sunt et circulo itidem vivide rubro cinguntur. Qui color elapsis XXIV horis evanescit. Tubercula, quae remanent, parum elevata, colore sunt languide rubro, referuntque ea, quae a morsu culicum relinquuntur, nec nisi post quatuor ex sex adeo hebdomadum spatium evanescunt. Quae apicibus tuberculorum continetur aquula, ea post aliquot dies evaporata crustulam relinquit, magnitudine caput acus vix attingentem. Interdum solent et hae pustulae in suppurationem abire, adeoque majorem adhuc cum variolis similitudinem affectare. Neque difficile tamen est, utrasque pustulas a se invicem distinguere, modo accurati observatoris personam tueamur. Si enim pustulae illae, quae morbi vaccino - variolosi insitionem interdum sequi solent, dubiae sunt originis, tunc respiciendum est ad variolam, insitionis loco enatam, quae ubi cincta fuit, aut adhuc cingitur rubore illo peripherico, de quo antecedenti paragrapho dictum est, medicus potest de natura pustularum non variolosa certus esse [104]). Praeter hoc signum primarium inter pustulas eruptionis vaccinae subsequentis et illas, quas variolae offerunt verae, hoc quoque discrimen obtinet, quod in harum apicibus observare liceat vesiculam rotundam, cum illarum summitates foveolam infundibuliformem efformant [105]). Neque vero parum ad dis-

103) *Traité de l'inoc. vacc.* p. 53 ss.

104) BALLHORN et STROMEYER *l. c.* préf. p. VIII.

105) Idem. *l. c.* p. IX.

cernendam utramque pustularum speciem videntur valere symptomata, earum eruptionem antecedentia. Cum enim Woodvillivs adserit [106]), eas symptomatibus admodum vehementibus stipatas prodire, Ballhornivs autem cum Stromeyero hanc symptomatum vehementiam in nullo unquam aegroto observasse contendunt [107]), videntur uterque, et Woodvillivs et Ballhornivs, de diversae naturae pustulis sermonem fecisse, ille de variolis veris, hic de eruptione vaccina subsequente. Praeterea, Ballhornio et Stromeyero testibus [108]), pustulae eruptionis vaccino-variolosae subsequentis a variolis differunt ita, ut sint illae semper his minus largae; ut materia, apicibus pustularum priorum inclusa, naturae sit magis lymphaticae, quam purulentae; ut numerus pustularum, quae eruptionem vaccinam subsequentem efformant, plerumque minor sit, quam numerus variolosarum; ut crustae, quae aliquantisper post exsiccationem priorum pustularum remanent, minores, tenuiores colorisque flavescentis sint, cum variolosarum pustularum crustae brunneo colore tinctae conspiciantur; ut plures post dies ab exsiccatione priorum pustularum, sexto aut septimo die contingente, noduli duri in conspectum prodeant, qui sensim evanescunt, nec ullum cicatricis vestigium relinquunt; ut denique maculae brunneae post nodulorum horum plenariam resolutionem superstites sese oculis sensim sensimque subtrahant. Jam igitur licet certo statuere, quid partim de rumoribus judicandum sit, qui de eruptione variolarum, paulo post insitionem variolae vaccinae contingente, percrebuerunt [109]), partim de Woodvillii observationi-

106) *Libr. cit.* p. 128.

107) *L. l.* préf. p. XIV.

108) Lib. pluries jam laud. p. 57. sequ.

109) Exp. Lodemannvs et Mühryvs observarunt, infantem, *cujus frater variolis decubuerat*, sanum adhuc, morbo vaccino-varioloso infectum, eoque feliciter superato die fere *decimo quarto* variolis

bus, quae pustulosam eruptionem, ab ipso post insitum morbum vaccino-variolosum conspectam, huic ipsi morbo tanquam symptoma tribuerunt, quamquam variolarum potius erat effectus [110]).

In causam hujus eruptionis pustulosae, pus verum gignentis, inquirentibus hae potissimum sese offerunt. Exper. AIKINUS quidem rationem morbi vaccino-variolosi inoculandi rudem, minusque convenientem eruptionis illius subsequentis causam accusat; nam si vulnus, quo miasma vaccino-variolosum corpori humano infertur, tam profundum infligatur, ut miasma cutem ipsam attingat, tunc plures in diversis brachii partibus pustulas efflorescere morbumque localem, quod et in variolarum insitione, similiter administrata, fieri soleat, vehementiorem evadere. Cujus quidem observationis testem villicum adducit, qui subulae in cutem infixae ope morbum vaccino-variolosum inserebat, frequenter cum pustulosa eruptione conjunctum, cum illi, quibuscum ab his ipsis aegrotis idem morbus, cultri ancipitis chirurgici ope, more solemni communicatus erat, praeter variolam vaccinam, insitionis loco enatam, nullas alias pustulas ostenderent [111]).

Alteram eamque satis probabilem causam Celeb. WOODVILLIUS [112]), ODIERUS [113]), AIKINUS [114]), AUBERTUS [115]) aliique invenerunt in aëre, effluviis variolosis impraegnato, quem hauserant ii, quibus morbus vaccino-variolosus erat insertus. WOODVILLIUS enim, cum in hospitio, variolis inserendis destinato, mor-

---

admodum benignis correptum fuisse. Vid. Ill. HUFELANDI *Journ. d. pract. Arzneywiss.* Vol. X. pa. 2. p. 186.

110) *Libr. cit.* p. 25. 29. 30. 44. 48. 71. s. histor. insitionis 8. 11—14. 30. 37. 45.

111) AIKIN. *l. l.* p. 53.

112) *Die Kuhpocken, ein Mittel gegen d. nat. Blatt.* p. 11.

113) Ibidem, p. 87.

114) *Libro citato*, p. 54.

115) *Rapport sur la vaccine*, p. 31.

bum vaccino - variolosum inocularet, eruptionem pustularum suppurantium, variolis simillimarum, eo frequentiorem deprehendebat, quo plures aegroti simul aderant, variolis insitis decumbentes [116]). Idem Hannoverae, Genevae etc. observatum est, probantque ea, quae Evans, chirurgus Ketleyensis, publicavit. Is enim, cum uno eodemque tempore variolas morbumque vaccino - variolosum hominibus insereret, qui saepe eodem contubernio utebantur, reperiebat, dimidio plures aegrotos eruptioni vaccino - variolosae obnoxios factos fuisse [117]). Materiam ipsam, quae inoculationi variolarum vaccinarum inservit, et a Jennero hujus symptomatis causa accusata est [118]), ab hac suspicione liberandam esse, probare videntur cum quae in hanc rem protulit Woodvillivs [119]), qui eadem materia, quae in hospitio pustulosam produxerat eruptionem, extra illud alios inoculavit, in quorum corporibus praeter variolam vaccinam nullae aliae pustulae oriebantur, tum ea, quae in Evansii inoculationibus observare licuit, cui Jennervs ipse miasma vaccino-variolosum transmiserat. Quae hucusque attuli, ea magis adhuc confirmantur aliis Woodvillii experimentis, quibus constitit, neque a miscela partium aequalium miasmatis variolosi et vaccino - variolosi vulneri facto insita, neque tunc, cum duobus vulneribus, pollicem a se invicem distantibus, alteri miasma variolosum, alteri miasma vaccino - variolosum uno eodemque tempore inoculatum est, immutationem morbi vaccino - variolosi productam fuisse.

---

116) *Die Kuhpocken, ein Mittel* etc. p. 12. et 13.

117) *Physisch - medicin. Journ.* 1800. p. 759.

118) *Continuation of facts and observat. relating to the* Variolae vaccinae, p. 7. ubi contendit, miasma vaccino - variolosum, quod ejusmodi eruptionem produxit, varioloso miasmate fuisse mixtum et quasi inquinatum.

119) *Die Kuhpocken, ein Mittel* etc. p. 3 — 13.

Ab hisce duabus de origine eruptionis vaccino-variolosae subsequentis opinionibus recedit illa, quam Pearsonvs protulit [120]). Etenim is putabat, verum miasma vaccino-variolosum interdum aut ob peculiares dispositiones oeconomiae corporis humani, aut ob effectus rerum quarundam externarum, quarum vis et potestas in hujus ipsius miasmatis naturam nobis incognita adhuc est, ita immutari posse, ut morbum producat, symptomate uno vel altero a communi ejusdem decursu abludentem. Addit his observationem de infante bienni, cui cum morbus vaccino-variolosus cum materia e vaccae ubere desumta insertus esset, maculae illae rubrae in cute effloruerant, de quibus paulo post dicturus sum. E quo infante morbus idem cum ad multos alios insitione translatus esset, horum plurimi, plane nullis rubris maculis in conspectum prodeuntibus, eruptione pustulosa, variolas referente, corripiebantur. Haud scio, an ad hanc Pearsoni sententiam firmandam faciat Exper. Kapfii observatio, qua ab omnibus aegris, quorum pustulae vaccino-variolosae vivide rubro circulo erysipelaceo cinctae erant, hanc eruptionem subsequentem abesse vidit.

Tertium denique symptoma, quod ad ipsam morbi vaccino-variolosi naturam haud pertinere videtur, adeoque raro occurrit, offerunt maculae rubrae, morbillis fere similes. Id observatum bis a Jennero [121]) accuratius ab illo descriptum non est. Pearsonvs autem, qui in viginti aut triginta aegrotis unum deprehendit, his maculis notatum, testatur has maculas esse magnas, rubras, tactuque duriores, ac paucam aut plane nullam lympham, et nunquam pus fundere; exanthema ipsum, sive durationis brevitatem, sive effectuum lenitatem spectaverimus, praecipua medicorum attentione haud egere. Easdem maculas et non-

120) Cs. *Phys. medic. Journ.* 1801. p. 340.
121) *Libr. cit.* p. 58. et p. 67.

nunquam Lipsiae observatas fuisse novi, duasque, duorum fere pollicum magnitudine, in brachio infantis, variolis vaccinis correpti, conspexit SYBELIVS [122]).

§. 4.

Differentiae inter morbum vaccino-variolosum et variolas intercedentes.

Varia sunt, quibus uterque morbus, insitione inprimis communicatus, multum a se invicem recedit. Nam sive febris rationem, sive pustularum formam, sive puris contenti conditionem, sive contagii subtilitatem, sive denique cicatrices respexerimus, habebimus sane maxime notatu dignas utriusque morbi differentias. Ac *febris* quidem variolosa, nunc vehementior, nunc lenior, semper tamen, si cum febre vaccino-variolosa comparaveris, multum intensior, praecedit eruptionem macularum rubrarum, sensim in pustulas abeuntium; contra ea nulli motus febriles notabiles in hominibus, morbo vaccino-varioloso infectis, ante diem quintum observantur, quo jam morbi praesentis certissima vestigia in loco insitionis conspiciuntur. Febris variolosa plerumque horis meridianis invadit aegrotos; febris vaccino-variolosa finitum accessionis tempus non habet, nunc primo mane, nunc versus vesperam, nunc media nocte, plerumque tamen vespertinis horis accensa. Febris variolosae vehementiam aut ab anni tempestate, aut a morborum cum variolis grassantium, inprimis febris stationariae, quae vel catarrhalis, vel inflammatoria, vel nervosa esse solet, natura maximopere variari constat; horum autem omnium nihil, quantum quidem hucusque observare licuit,

---

122) *Libr. laud.* p. 57. Vid. et PILGERVS, qui has ipsas maculas observavit, in *Samml. v. Nachricht.*, *Beobacht. u. Erfahr. über d. Kuhpockenimpf. Giess.* 1801. p. 98.

valet ad febris vaccino-variolosae vim vel leniendam vel intendendam.

Pustulae variolosae, minores pustulis vaccino-variolosis, e macula rubra, vix ultra cutis superficiem elata, adsurgunt; pustulae vaccino-variolosae e nodulo tanquam e basi efflorescunt. Illae, ubi frequentissimae erumpunt, solent confluere invicem; hae semper discretae reperiuntur [123]). Illae, ubi a se invicem distinctae fuerunt, et crustulis obducuntur distinctis, harum, quamvis discretarum, crustae invicem quasi confluunt. Illae rubore, qui quo propius ad apicem accedit, eo magis languescit, tanquam vallo quodam circumseptae conspiciuntur; harum rubedo cum coeruleo aut livido colore intermixta est. Illae per omnem omnino corporis superficiem dispersae, hae in loco insitionis tantum conspiciuntur. Illae exiguam foveolam in apicibus conspicuam ostendunt ad octavum usque diem, quo ab intus contenta materia apex extrorsum trusus convexam superficiem efformare solet; hae majori, eaque infundibuliformi fovea instructae sunt, nec unquam, fovea licet evanescente, convexam, sed potius planisculam, inaequalem superficiem, visui offerunt. Quae cum sint communi omnium observatorum consensu firmata, haud video, quid sibi velint Excell. Hessertus atque Pilgerus, cum hanc differentiam inter morbum vaccino-variolosum et variolas intercedere affirmant, ut pustulae vaccino-variolosae apex plane non depressus sit, quales esse soleant apices variolarum prius, quam in suppurationem abierint [124]). Pustula autem vaccino-variolosa, in loco insitionis enata, quamquam tunc, cum inoculatio punctura efficitur, magnam similitudinem alit cum variolis sic dictis verrucosis aut etiam umbilicatis,

---

123) Cs. Hessertus et Pilgerus *üb. die Kuhpocken u. deren Impfung. Giessen* 1801. 8. p. 32.

124) *Loco citato.*

tamen, si ope vesicatorii morbus inseritur, varia offert discrimina, quae omnium diligentissime observavit, observataque accurate descripsit Cel. OSIANDER. Primum enim principium ulceris insitionis offerre in variolis tuberculum rubicundum, in vaccino - variolis autem maculam albam, omni convexitate destitutam, aphthae parvae aliquo modo similem. In pustula variolosa primo tuberculum rubicundum, postea autem in tuberculi apice foveolam efformari; in pustula vero vaccino - variolosa albam illam maculam sensim sensimque cingi a margine elatiore, qui diebus proximis fossa quasi circumvalletur. Pustulam variolosam integram repleri pure, contra ea in medio ulcere vaccino-varioloso cutem, uti in carbunculo, emori, cujus rei luculentissimum signum in maculae albae, sensim latescentis, paulo post coeruleae, a cute sana separatione repositum sit [125]).

Pus in variolis e fluido maxime pellucido, aut etiam sero lactis simili, sensim in opacum, albidum, quin et flavum, spissiorem denique liquorem transeunte, efformatur; lympha autem, quae pustulas vaccino - variolosas replet, usque ad prima circuli rubri, basin earum cingentis, vestigia semper pellucida, nunquam fere, donec omni inflammatione periphérica sublata, et toti pustulae superficiei crustula inducta fuerit, ad veri puris naturam accedere, sed pellucidam semper manere atque aquae aut seri fluiditatem conservare solet [126]). — Pus variolosum diutius corruptioni resistit, quippe quod post septem, quin octo annorum spatium efficaciam retinet suam; materia, contagium vaccino - variolosum continente, intra paucos dies vim ac potestatem amittente omnem [127]). — Pus variolosum odorem spargit similem ei, qui e pin-

---

125) OSIANDER, *l. c.* p. 122 — 124.
126) MACDONALD, *Abhandl. üb. d. jezt fast allgem. eingef. Inoc. d. Kuhpocken. Hamb.* 1800. 8. p. 19.
127) Vid. OSIANDER, *l. c.* p. 81.

guedine corrupta exhalat, aut e pure spinae ventosae, atque in libero etiam aëre atmosphaerico sensibilem. Lympha vaccino-variolosa in aëre libero omnis odoris expers est, sed intra vitreas laminas conclusa, edit, dum efficaciam conservat suam, odorem hydrogeneo-sulphureum [128]).

Contagii subtilitas longe maxima est in variolis, minima in variolis vaccinis. Etenim illud non semper contactu opus habet ad morbum propagandum, sed effluviorum vi quoque disseminatur [129]); hoc non solum contactu eget, sed praeterea etiam necesse est, ut locus corporis, quem miasma vaccino-variolosum contingit, laesam habeat cuticulam. Certe haec est plurium medicorum, qui de variolis vaccinis scripserunt, sententia [130]). Observatum enim est, aegrotos, quibus morbus vaccino-variolosus felicissimo cum successu inoculatus erat, quamquam aut cum aliis, neque illo morbo neque variolis unquam correptis, eodem cubuerant lecto [131]), aut alio modo in veneni illius viciniam venerant, tamen ab infectione omni prorsus liberos mansisse. Id inprimis tum maxime mirandum, cum aliquando, teste Grayo, morbus vaccino-variolosus, ab ipsis vaccis contractus, tanta vehementia esset, ut per tres et quod excurrit, septima-

---

128) Ibidem. p. 124 sequ.

129) Vid. Celeb. Osiandri librum cit. p. 73—79, ubi multa exempla adferuntur, quae hanc contagii variolosi late sese diffundentis subtilitatem, luculentissime probare videntur.

130) Jennervs, *libr. cit.* p. 48. vers. germ. Pearson *Untersuchungen* etc. p. 56 ss. Ballhornivs et Stromeyer *traité* etc. p. 63. alii.

131) Woodvillivs narrat exemplum infantis, neque variolis, neque morbo vaccino-varioloso adhuc obnoxii, cum parentibus et fratre, quibuscum variolae vaccinae inoculatione communicatae erant, uno eodemque lecto noctes transigentis, nec inde infecti. Vid. *Die Kuhpocken, ein Mittel* etc. p. 18. Widemannvs, Himly et Roose, *üb. das Impfen der Kuhblattern. Bremen* 1801. 8. p. 18 ss.

nas medici auxilio opus esset ad morbi vim coërcendam, effluviaque foetidissima totam replerent domum[132]). Qua quidem contagii tarditate efficitur, ut inoculatio morbi vaccino-variolosi quovis tempore instituí queat, nec metuendum sit, ne, quod in variolis locum habet, epidemiae vaccino-variolosae inde oriundae ansa suppeditetur[133]). — Miasmatum porro et variolosi et vaccino-variolosi differentia, si subtilitatem respexeris, cernitur in eo, quod illud uni corporis loco applicatum, per omnem externam, quin et internam corporis superficiem diffundi atque exanthema protrudere pustulosum; hujus contra ea vis arctis loci insitionis limitibus conclusa contineri ibique tantum pustulam unam vel paucas generare solet.

Cicatrices denique gravem adhuc differentiam inter utrumque morbum constituunt. Nam variolas constat cicatrices relinquere, quae saepe omnem pulchritudinis decorem deturpant. Variolae autem vaccinae nullas omnino gignunt cicatrices, nisi perversa pustulae vaccino-variolosae tractatione ulcera fuerint orta phagedaenica et adversus omnem rebellia curationem. Hae autem cicatrices in insitionis loco tantum formantur adeoque, cum hic ita eligi possit, ut illae adspectui subtrahantur, pulchritudinem minime infestant. Quam ob rem praeferenda esse omnino videtur inoculatio morbi vaccino-variolosi insitioni variolarum tantopere hucusque celebratae. Sed magis adhuc nobis commendabitur morbi vaccino-variolosi inoculatio, si et aliorum adhuc commodorum rationem habuerimus, quae illa adferre dicitur. Sed de his paragrapho proxima.

---

132) Vid. *Medicin. Physisch. Journal.* 1800. p. 846.

133) Lavater *l. c.* p. 30.

§. 5.

Commoda, cum inoculatione morbi vaccino-variolosi conjuncta.

Cum soleant patroni cujuscunque rei in hoc semper elaborare, ut omnia omni studio conquirant, quae ad rei istius utilitatem demonstrandam aliquo modo facere possint, haud mirandum est, et morbum vaccino-variolosum eandem subiisse sortem. Nisi igitur iniqui judices esse velimus, repetitis experimentis curiose ea omnia subiiciamus, quae in commendationem et laudem morbi vaccino-variolosi ab ejus patronis dicta sunt. Vereor, ne plura deprehendamus, quae aut experientiae repugnent diligentiori, aut quae morbo illi plane non peculiaria et propria, sed cum variolis potius communia sint [134]).

Et Ballhornivs quidem Stromeyervsque commendationem haud levem variolis vaccinis insitione productis ex eo conciliari putabant, quod ad inoculationis successum juvandum nullus corporum inserendorum delectus haberi debeat. Inoculatione enim morbum illum communicabant cum hominibus debilibus robustisve, infantibus aeque ac adultis, omnium vitae conditionum, omni tempestate aërisque temperie, nullo diaetae regimine observato, quin et sub ipsa variolarum malignarum aut morbillorum (Winkler *l. c.* p. 103.) epidemia, nec unquam observata sunt symptomata metum incutientia [135]), ne febris quidem

---

134) Comparationem variolarum et morbi vaccino-variolosi plures instituerunt, e quibus et Thorntonvm (Vid. *Moniteur* an VIII. no. 325.) et Henr. Jennervm (*Ueber die Kuhpocken, ein Mittel* etc. p. 27.) laudare sufficiat, qui praecipua momenta, in variolis observanda, indicarunt, et quid in quolibet momento illis morbus vaccino-variolosus praestet, ex adversa pagina enumerarunt.

135) *Traité de l'inocul. vaccine.* p. 38 ss.

intensioris insultus [136]). Qua in re adsentientes habuerunt et Illustr. ZIEGLERVM, qui infantibus, per longum tempus tussi ferina excruciatis, optimo cum successu morbum vaccino - variolosum inseruit, nec incommoda inde ulla remanere observavit [137]), et Exper. LAVATERVM [138]), qui infantes dentientes debilesque a die vitae decimo quinto usque ad annum aetatis septimum inoculavit optimo cum eventu. Nec ego harum observationum veritatem negaverim, aut hos lenes morbi insiti effectus parvi existimaverim, sed id tantum monendum esse puto, enumerata commoda non solis variolis vaccinis competere. Nam et interdum variolae, infantibus dentientibus insitae, neque febrim, quae dentium eruptionem comitari solet, intendunt, neque aliud producunt symptoma grave, testibus multis, e quibus GIRTANNERVM liceat laudare [139]). Quae quamquam verissima sunt, tamen variolarum insitionem, quae interdum, vel optimis sub auspiciis instituta, infelicem exitum habere solet, iis infantibus dentientibus adhibere vix tutum puto, quibus dentes cum difficultate et convulsionibus vehementibus prorumpunt. Quid? quod, si optio mihi daretur inter infantem dentientem, ac illum, qui ab omni dentium prorumpendorum molimine liber est, variolas quoque vaccinas posteriori inserere consultius haberem. Quamobrem C. VOISIN (*mém. sur la vaccine* etc. an IX. 8.) imprudentiae reum facit illum, qui infantibus dentientibus miasma vaccino - variolosum inseruerit. Sed si variolosi contagii periculum instat,

---

136) Ibid. p. 58 sequ.

137) Ibid. p. 136. Exemplum infantis, cui, tussi ferina correpto, ob metum, ne variolis obnoxius fieret, variolosum miasma inserebatur optimo cum successu, retulit MACDONALDVS *l. c.* p. 54.

138) *Loc. cit.* p. 27. 63. WINKLERVS *l. c.* idem observavit.

139) *Abhandl. v. d. Krankh. d. Kinder.* p. 208.

aut alia urgent tempora, tunc hisce dubitationibus locum nullum relinquendum esse, facile intelligitur.

Dein contendunt, variolas insitione productas majore cum periculo conjunctas esse tunc, cum aliis morbis, aut certis humanae constitutionis ad morbos dispositionibus accedunt [140]); variolas contra ea vaccinas ab omni periculo liberas esse. C. Voisin *l. c.* contendit, extra omnem dubitationem positum esse, quod miasma vaccino-variolosum sese cum nullo alio conjungat miasmate morboso. Inter hos morbos inprimis urgent scrophulas [141]). Sed contrariam sententiam Cullenius [142]) aliique magnae auctoritatis medici, sua ipsorum experientia confisi, defendunt. Cum igitur utrinque argumentis pugnatur ab experientia desumtis, media incedendum esse puto via, statuendumque variolarum insitionem periculosam non esse, cum dispositio tantum scrophulosa adest, aut morbus ipse levem vehementiae gradum attigit, contra ea gravissima pericula, quin mortem minitari, quando scrophulae jam diu durarunt adeoque omnem omnino humorum massam maximopere depravarunt. In qua quidem sententia et Bosquillonum, et vernaculum interpretem Cullenii experientissimum esse, plurimum laetor. — Variolae spuriae [143]), morbilli [144]) aliique

140) Ballhornius et Stromeyer *l. l.* p. 59.

141) Jennerus *l. c.* p. 49. vs. germ. et p. 61. vers. lat. Bosquillonus ad Cullenii librum mox laudandum plures observavit infantes, qui cum scrophulis jam diu laborassent, e variolarum insitione moriebantur. Lavaterus *l. c.* p. 30 etc. Tristissimum ejusdem rei exemplum in memoriam revocavit Macdonaldus *l. c.* p. 60 ss. a Monroo olim observatum.

142) *Anfangsgründe d. prakt. Arzneyk. Dritte Ausg. Leipz.* 1800, Vol. II. p. 32. Girtanner *l. c.* p. 209. Hussonus cum Pinelio in hospitio *de la Salpétrière* dicto vidit scrophulosos aegrotos sanari febre moderata, quae inoculationem variolarum sequebatur, *l. c.* p. 50. not. 1. Ego ipse plures infantes novi, quibus haec sortis felicitas obtigit.

143) Ballhorn. et Stromeyer. *l. c.* p. 59.

144) Lavater *l. c.* p. 63. Macdonald (*l. c.* p. 31.) Jenneri observationem laudat hac de re institutam.

morbi accessere variolis vaccinis, nec harum alius, quam felicissimus fuit exitus. — Infantes nimia capitum magnitudine, ab hydrocephalo interno forte progenita, deformes, inserendis variolis ineptos judicavit Dimsdalius, talemque infantem, cui insitae erant variolae, vehementissimis convulsionibus correptum vix morti eripuit Interpres Cullenii germanicus *l. c.* p. 33. — Iis autem infantibus sine ullo incommodo variolas vaccinas inoculatas fuisse novi. — Usu atque experientia comprobatum esse adserit Jennerus [145]), variolas in quibusdam familiis ob peculiarem corporum constitutionem gravissima producere symptomata, quin mortis nullis artis nostrae remediis arcendae causam evadere. Talium familiarum membris Jennerus optimo cum successu morbum vaccino-variolosum inseruit. Quid? quod sunt, qui observasse sibi videantur, miasma vaccino-variolosum corpori tunc immissum, cum jam infectio variolosa locum habuit, variolis erumpentibus benigniorem conciliare indolem [146]). Quam quidem observationem videntur firmare et Woodvillii [147]) et Ballhornii Stromeyerique experimenta, quorum duo tamen posteriores hac de re certi quid definire haud sustinent, quoniam de malignis variolis haud poterat triumphare miasma vaccino-variolosum [148]). Pertinet hoc ad infantem militis cujusdam Hannoverani, qui miasmate infectus vaccino-varioloso, decimo die post e variolis aegrotare incipiebat, quae et ipsi die XVIII ab inoculatione vitam eripiebant. In hoc tamen infante deerant varia

145) *Libr. cit.* p. 48. ed. germ. Pearson *Untersuch.* etc. p. 83. J. C. W. Junker *gemeinn. Vorschläge und Nachrichten* etc. *Halle* 1793. 8. p. 128.

146) Exp. de Carro et Ziegler in epist. ad Ballhornium *l. c.* p. 131. 134 ss.

147) *Beschreib. ein. Reihe v. Kuhpocken-Impfung.* p. 20 seq. Vid. et Hessertus cum Pilgero *l. c.* p. 39.

148) *Libr. cit.* p. 85.

indicia, unde efficaciam insitionis augurari possumus, inprimis rubor ille, quo basis pustulae vaccino-variolosae cingi solet[149]). Idem locum habebat in duobus Tobleri, viri plurimum reverendi, liberis, quibus Illustr. Rahnius morbum vaccino-variolosum inseruerat, quique a variolis correpti perierunt[150]).

Longe alia tamen in promptu sunt inoculationis morbi vaccino-variolosi commoda, aut minus dubia, aut morbo huic cum variolis minime communia, inter quae primo loco commemorare liceat, quod variolas presso pede alia saepe mala sequantur, haud levia, interdumque sanitatem, variòlis jam labefactatam, penitus fere subvertentia. Huc pertinent inflammationes oculorum vehementissimae, maculae corneam obfuscantes visumque impedientes, puris in interioribus oculi partibus depositio; anchyloses, ossium caries; apostemata aliaque. Quae quidem mala solent a morbo vaccino-varioloso abesse. Nam quod narrat Drewius ophthalmiae exemplum, a variolis vaccinis ortae, et ad tantam vehementiam exacerbatae, ut aegrota oculum suppuratione perderet, id non morbo vaccino-varioloso, sed potius incuriae atque immunditiei aegrotae adscribendum est, qua factum erat, ut miasma vaccino-variolosum ipsi oculi bulbo adfricaretur[151]). Furunculos quidem ter superatum morbum vaccino-variolosum secutos esse observarunt Hessertus et Pilgerus[152]); sed eorum natura tam mitis erat, ut brevi remediis adhibitis cederent.

Gravidis feminis variolas inserere rem periculi plenam judicant Dimsdalius, quem Girtannerus[153]) hac in materia ita secutus est, ut eum fere exscribe-

149) *L. c.* p. 136 ss.
150) Lavaterus *l. c.* p. 69.
151) *Hannöver. Magaz.* 1800. p. 1391.
152) *L. c.* p. 40.
153) *Libr. laud.* p. 209.

ret, JENNERVS aliique, v. c. Interpres CVLLENII germanicus[154]). Etenim etsi gravidae matres variolas feliciter superarunt, tamen tot foetuum, qui post insitionem matris mortui, atque pustulis variolosis obsiti excludebantur, extant exempla, ut metus de variolarum insitione, gravidis pericula minitante, haud temere conceptus esse videatur. Morbum contra ea vaccino-variolosum his ipsis feminis inserere nemo debebit sibi religioni ducere, cum ille mitissimus sit, adeoque nec tenerrimo foetui detrimenti quid adferre queat.

Cum miasma vaccino-variolosum soleat motus febriles excitare eosque neutiquam vitae periculosos, JENNERVS[155]) putat, ex hac ipsa causa insitionem ejusdem in variis morbis chronicis utilissimam fore. Quam quidem conjecturam usu confirmarunt medici haud pauci. DVNNINGIVS[156]), societatis medicae, quae Plymuthi floret, membrum, puellae, quae corporis habitu erat admodum delicato, crebriori vomitu spirantique continua difficultate laborabat, cui denique faciei color valde pallidus et fere cadaverosus, hinc inde lividis maculis distinctus erat, morbum inoculavit vaccino-variolosum. Mater, cui phthisis pulmonalis modo maritum et fratrem eripuerat, praetereaque recens unius liberorum suorum mors vulnus inflixerat maxime dolorificum, quovis pretio cupiebat puellae illius vitam minitanti periculo (variolae enim malignae in vicinia grassabantur) subtrahere. In hac rerum conditione insitae variolae vaccinae non solum mitissimae fuerunt, sed etiam sanitatem puellae ita emendarunt, ut sensim sensimque optima evaderet. Hunc tam praeclarum successum inoculationis vario-

---

154) *L. c.* p. 76. Vol. II.

155) *L. l.* p. 49. Quam sententiam etiam amplexus est Exp. de CARRO.

156) Some Observations on Vaccination etc. *Lond.* 1800. 8.

larum vaccinarum observavit idem in alio quoque infante bienni, qui, corporis habitu tenerrimo, ex inflammatione pectoris convalescens, de debilitate, faciei pallore et respiratione difficili conquerebatur; quae symptomata omnia post feliciter superatum morbum vaccino-variolosum evanescebant. Similia optimorum effectuum exempla collegit Exper. HVSSONVS [157]), quae ob rei dignitatem commemorare lubet. Et MAVNOIRIVM quidem, chirurgum Genevensem, laudat, qui infantem, ab aliquot inde mensibus ophthalmia admodum rebelli correptum, aliumque, cujus brachia maculis lichenosis parvis obsita erant, sola inoculatione variolarum vaccinarum bene succedente sanavit. Maculae lichenosae inflammabantur; pustulae vaccino-variolosae inflammationi succedebant, quibus suo tempore exsiccatis maculae penitus evanuere. Eundem morbi vaccino-variolosi effectum in lichenibus observavit chirurgus Rotomagensis, BLANCHE, sub axillis et in curvatura cubiti conspicuis. HVSSONVS ipse inseruit variolas vaccinas puero septenni, qui praeter dolores capitis vix tolerandos, quolibet triduo aut quadriduo recurrentes, nulloque remedio leniendos tollendosve, satis bona fruebatur valetudine. Variolae vaccinae eruptionem comitabatur erysipelas admodum profundum, per humeri pectorisque superficiem diffusum: vomitus, dolores capitis acerbi, febrisque per biduum non sine vehementia perdurans, simul aderant. Quae quidem mala cum vaccino-varioloso morbo evanuerunt, nec dolores capitis periodici proximis quinque mensibus, qui post insitionem variolarum vaccinarum praeterlapsi sunt, rediere. — Idem medicus, accersitus ad infantem quinque annorum, a partu inde valetudinarium, nunc autem a morbo longae durationis convalescentem, deprehendebat pulmonum obstructionem et ex ea pendentem respirationem anhelosam,

---

157) *Libr. cit.* p. 53 ss.

minus liberam et cum sibilo conjunctam; insignem glandularum colli et mesenterii tumorem; colorem cutis pallidum et cadaverosum; faciem scrophulosam, tantamque virium exhaustionem, ut boni parum de curationis eventu sperari posset. Morbi vaccino-variolosi miasma huic aegroto inserebatur, quod quamquam tardius, quam fieri alias solet, vim exserebat suam, tamen pustulas producebat latas, ultra cutis superficiem sesquilineam elatas, materiaque turgidas. Inflammatio peripherica, eorum bases cingens, usque ad antibrachium et axillam extendebatur. Totum brachium tumidum, tensaque ejus cutis ob calorem phlegmonicum rubicundior et tactu durior erat. Aegrotus haud poterat ob insignem brachii tensionem et glandularum subaxillarium tumorem capiti manum imponere. Febris quamquam nulla observari poterat, tamen, ut primum tumor, pustulae eruptionem antecedens, apparere coepit, et variola vaccina penitus efformata fuit, tussis minus frequens, cutis color melior, glandulae colli sensim volumine imminutae. Quo longius processit morbus vaccino-variolosus, eo magis valetudinis ratio emendari videbatur, et quo tempore haec morbi historia publicabatur, infans non amplius tussiebat, respiratio libera reddita erat, vis vitalis aucta, sanitas denique in integrum restituta. E literis Exper. Clari, qui nunc in itinere, augendae doctrinae medicae causa suscepto, Vindobonae commoratur, didici, pemphigum chronicum ibidem morbi vaccino-variolosi inoculatione sublatum esse; addit tamen de hujus effectus salutaris constantia dubitationem. Nam cum jam alias huic aegroto aliquoties contigerit, ut morbus ille per sex aut plures septimanas sileret, quibus elapsis denuo recrudescebat, exspectandum esse, utrum hic ipse eventus rediturus sit, an inoculatione variolae vaccinae morbus ille penitus fuerit suppressus. Neque utilitatem solum in variis morbis chronicis praestat variolarum vaccinarum inoculatio, sed hoc

quoque commodum affert, quod acutis et acutissimis morbis, ut scarlatina et peste, epidemice grassantibus, tutas ab his morbus reddat. Qua de re conf. DE CARRO *Gesch. d. Kuhpocken-Impfung in d. Türkey u. s. w. A. d. Fr. v.* F. G. FRIESE. *Breslau* 1804. 8.

Alia morbi vaccino-variolosi inferendi commendatio e comparatione eventuum desumitur, quos cum illa, tum variolae insitione productae habere solent. Quamquam enim variolae insitae plerumque sine periculo sanantur, exempla tamen infantum adultorumque occurrunt, qui facta insitione confluentibus variolis correpti occubuere. Ejusmodi mors, cujus exemplum Exper. ODIERVS [158]) ipse vidit, magis acerbum amissae prolis desiderium relinquere, majoremque timorem incutere solet, quam si plures aegri morbo eodem sponte sua orto obiissent. Hinc cum sinister factae variolarum inoculationis exitus neque unquam tam certo prospici, neque ut nunquam fallamur, tanta cum securitate caveri queat, factum est, ut variolarum inoculatio, quamquam ea dirissimi morbi furorem coërcere tantamque stragem avertere poterat, tamen nullibi in communem omnium usum cederet. Memoriam tam infelicis successus, quo variolarum inoculatio interdum stipata esse solet, recoluit GIRTANNERVS [159]) exemplaque similia duo enarravit Exper. MACDONALDVS [160]). Nuper duo unius familiae infantes, a medico insiti hac nostra in urbe, a qua variolarum malignarum epidemia, quae varias Germaniae et Helvetiae regiones devastavit, et hoc ipso tempore Vitebergae grassatur, adhuc abest, hoc ipso morbo vitae sunt erepti (secundum tertiumque talis infortunii exemplum, ex quo apud nos variolae sunt insitae, h. e.

---

158) *Biblioth. britann.*, cujus particulam huc pertinentem adjunxit versioni latinae libri Jenneriani saepius laudati, p. 26, Exp. CARENO.

159) Libro saepius laudato. p. 192. 198.

160) *L. l.* p. 41.

intra XL fere annos). Quod quidem mortis periculum prorsus abest ab insitione morbi vaccino-variolosi. Nam quae ab adversariis novae hujus inoculationis narrantur exempla infantum, variolis vaccinis mortuorum, ea aliunde explicanda esse videntur. WOODVILLII infans, qui aeque ac alius, a BALLHORNIO et STROMEYERO [161]) commemoratus, jam antea, quam vaccino-varioloso miasmate inficiebatur, varioloso contagio correptus, hujus, minime autem illius vi fato fungebatur suo. LENTINVS junior, cum infanti bienni Hannoverae morbum vaccino-variolosum inseruisset, non poterat impedire, quominus ille duodecimo post inoculationem die moreretur. Sed neutiquam in causa hujus mortis non opinae erat inoculatio vaccino-variolosa, sed potius asthma acutum Millarii, quo infans fuerat correptus [162]). Quos a RAHNIO, viro illustri, inoculatos duos Tobleri filios supra narravi mortuos esse, aut quem retulit infantem Exper. SYBELIVS [163]) post inoculationem variolarum vaccinarum diem supremum obiisse, eos jam ante hanc insitionem contagio variolarum fuisse infectos ita, ut infectioni vaccino-variolosae plane nullus concederetur locus, certum est atque indubitatum. Neque vero aliter sese habere reperta est historia de infante praetoris Ileburgensis, Kranoldi, cujus mors insitioni variolarum vaccinarum tributa multos a remedio hoc contra variolas in usum vocando absterruit. Sed Exper. KREYSIGIVS [164]), cum Ileburgi commorans in rumoris hujus undiquaque diffusi veritatem inquireret, comperit, infanti quidem morbum vaccino-variolosum ab Exper. FRANKIO, artem ibi faciente, inoculatum fuisse, miasma tamen, utpote quod siccum nimisque fortasse

---

161) *L. c.* p. 136.

162) *Traité de l'inoc. vacc. p.* BALLHORN et STROMEYER. p. 140.

163) *L. c.* p. 104.

164) *Neues Wittenb. Wochenb.* 1801. *St.* 20. p. 157.

diu conservatum fuerat, plane nullos produxisse effectus, cum a variolis correptus infans hujus morbi vi fato fungeretur. Denique commemorandum est exemplum infantis, qui Vitebergae ab ipsis variolis vaccinis enecatus fuisse ferebatur. Res tamen ita se habuit. Puellula duorum annorum cum dimidio, vegeta, bene nutrita, abdomine satis tumido, et per hyemem tineae obnoxia, una cum sorore juniore inoculationi variolae vaccinae subjiciebatur die tertio ante Calend. Februar. hujus anni; frustra tamen, quamquam in sorore miasma vaccino-variolosum efficacissimum sese praebuerat. Denuo igitur inserebatur d. XXI. Aprilis feliciori cum successu; nam tres pustulae in dextro, una in sinistro brachio comparuerunt die tertio. Die sexto exanthema in tota corporis superficie effloruit, quod variolas spurias esse insequentibus proxime diebus constitit. Qui quidem morbus variolis vaccinis accedens neque hujus decursum retardavit, neque ab his simul praesentibus auctus est. Ad tertium usque Maii bene omnia cesserunt, quo horis pomeridianis subito aliquoties animo linquitur infans, vermemque cum multa pituita viridis coloris per aluum excrevit. Quae animi deliquia cum a vermibus et pituitae nimia in intestinis accumulatione derivarentur, imperabatur pulvis e calomelanis, saccharo excepti, granis octo, cujus quarta pars omni bihorio, usque dum dejectiones nonnullae effectae fuerant, assumebatur. Alvus a dimidia pulveris hujus quantitate per noctem aliquoties soluta cum verme exclusit pituitam viridem. Aegrota quamquam noctem inquietam transegerat, tamen nondum morti propinqua videbatur, quin potius pomum non sine cupiditate quadam comedebat. Propinata duo reliqua calomelanis grana sexies alvum solvebant pomeridie. Nunc infans, debilior redditus, convellebatur. Ad vesperam deprehendebatur aegrota anhelans, pulsus celer et parvus, convulsionibusque subinde correpta, quae intra horae spatium vitam

prorsus extinguebant. Variolae vaccinae, non nisi paucis ante mortem horis flaccescentes, continebant lympham tenuem. Causam hujus mortis Exper. Kreysigius haud temere in scarlatinae imminente efflorescentia reperisse sibi visus est: nam aegrotae soror adultior duobus ab illius morte diebus ab eodem morbo, tunc Vitebergae communi, et cum viridibus alvi dejectionibus incipiente, afficiebatur, quo etiam fraterculus paulo post correptus obiit [165]). Quae cum ita fuerint, nisi alia eaque certiora proferantur exempla hominum, ab insitis variolis vaccinis mortuorum, manebit his ea laus atque commendatio, ut longe plures homines earum inoculatione conserventur, quam insitione variolarum felicissima.

Ultimum commodum, quod omnium primo loco ponendum erat, in eo quaerendum est, quod illi homines, qui morbo vaccino-varioloso genuino laboraverunt, per omnem reliquam vitam a contagio varioloso tuti redduntur atque securi. Cujus quidem commodi dignitas tanta est, ut paulo diductius de illo disserere apud animum constituerim meum.

§. 6.

Morbus vaccino-variolosus genuinus infectionem variolosam penitus delet.

Cum omnis Jenneriani inventi dignitas pendeat a veritate problematis, quo ii, *qui febre specifica et exanthemate, quo morbus vaccino-variolosus sese prodit, laborarunt aut post fortuitam infectionem, aut post inoculationem factam, a variolis quod metuant, nihil habere* asseruntur, facile est ad intelligendum, patronos hujus methodi variolas praecavendi omni virium intentione in eo elaborasse, ut illud problema experimentis firmarent et ab adversariorum objectionibus vindicarent.

---

165) Ibid. *St.* 21. p. 163 sequ.

Quam ob rem aut iis hominibus, qui morbum vaccino-variolosum superaverant, variolas inseruerunt, aut eos variolosorum aegrotorum commercio uti jusserunt, ut viderent, utrum eo hujus tam efficacis miasmatis vis in corpus humanum deleta sit, an qui morbo vaccino-varioloso obnoxii fuerint, infectioni variolosae resistere non possent. E quindecim hominum millibus et quod excurrit, quibuscum in Anglia usque ad mensem Augustum anni superioris (1800) variolae vaccinae inoculatione communicatae erant, tertiam fere partem frustra miasmate varioloso insito tentatam fuisse, ad Illustr. BLVMENBACHIVM scripsit Exper. ASH [166]). Eadem experimenta eodem eventu BALLHORNIVS cum STROMEYERO [167]), Exper. MATTHAEI, medicus Hamelensis [168]), ZIEGLERVS, medicus Quedlinburgensis [169]), CARENO, Vindobonensis [170]), ODIERVS, Genevensis [171]), SYBELIVS, Brandenburgensis [172]), Medici Parisienses, Rhemenses [173]), Petropolitani aliique quam plurimi repetierunt. Exper. KREYSIGIVS narrat [174]), nullum e centum et quatuor infantibus, quibus ipse morbum vaccino-variolosum inoculaverat, in ea, quae nunc (1801) Vitebergae grassatur, epidemia variolis correptum fuisse, quamquam infectionis opportunitatem evitare non poterant.

Quod quidem argumentum ab experientia petitum haud potest vi privari sua sic, ut dicamus, variolosum miasma nimis cito per inoculationem corporibus illatum fuisse, quam ut, persistente adhuc vi mias-

---

166) Vid. BALLHORN et STROMEYER *Traité.* p. 118.
167) *L. c.* p. 40. 60.
168) *L. c.* p. 41.
169) Ibidem, p. 136.
170) Conf. JENNERI disquisitio. p. 38.
171) *Die Kuhpocken, ein Mittel* etc. p. 90.
172) *Libr. laud.* p. 141.
173) HVSSON, *l. c.* p. 64 ss.
174) *Neues Wittenb. Wochenbl.* 1801. *St.* 21.

matis vaccino - variolosi, efficaciam suam exserere posset. Nam Jennerus inoculavit variolas hominibus, qui ante XXX usque ad XL annos morbo vaccino-varioloso correpti fuerant, nec unquam efficacem sese praebuit talis inoculatio [175]). Idem experti sunt Pearsonus [176]), Hellwagius [177]), Lavaterus [178]), Sybelius [179]); et Exper. Münch, aulae Hannoveranae medicus, publici juris faciet historiam feminae, quae ante XXX annos e variola vaccina aegrotavit, cujus vestigia in manuum cicatricibus ostendit. Haec, plurium liberorum mater, quos variolis decumbentes curavit, ab hujus morbi contagio nunquam infecta fuit [180]). Ad Pearsonum (p. 116.) scripsit Fewsterus, chirurgus Thornburyensis, se anno 1768, ubi cum Suttono, percelebri variolarum inoculatore, hoc ipsum negotium conjunctim tractaret, multos invenisse homines, quibus variolosum miasma efficaci modo inseri nullo modo poterat. Hi homines narrabant, se vaccino morbo laborasse, nec propterea posse variolis infici. De qua observatione quamquam Fewsterus ad societatem medicam, cujus socius erat, retulerat, tamen res ante Jennerum a nullo medico digna habita est, ad quam animus attenderetur. De Carro (*l. c.* p. 8. not. a.).

Ulterius adhuc progressi sunt, qui morbi vaccino-variolosi patrocinium susceperunt. Etenim contenderunt, illius vi non solum praecaveri variolosam infectionem, sed etiam effici, ut nunquam morbus vaccino - variolosus vel redeat semel superatus, vel oriatur post toleratas variolas. Quae quidem opinio quam-

175) Disquisitio etc. p. 4. 5 sequ.

176) *Untersuchungen* etc. p. 11. 37 etc.

177) *Nord. Archiv.* I. p. 395 ss.

178) *Libr. cit.* p. 64.

179) *L. c.* p. 39. 40.

180) Ballhorn et Stromeyer *l. c.* praef. p. XXIII.

quam exemplis multis in contrariam partem allatis infirmata est [181]), tamen et habet, quo sese tueri possit. Nam *primo* laudat ipse PEARSONVS variorum hominum testimonia, quibus probetur, eos, qui olim variolis aegrotaverint, morbo vaccino-varioloso non obnoxios fuisse [182]). *Deinde* distinguendum esse ajunt inter infectionem localem et eam, quae totam corporis constitutionem afficiat. Hoc inprimis urgent BALLHORNIVS et STROMEYERVS, qui uti lubentissime concedunt, speciem pustulae, suppurantis adeo, in loco insitionis oriri posse, ita negant notas characteristicas adesse, quae genuinam variolam vaccinam distinguant [183]). Sententiae hujus fundamentum quaerunt in historia hac. Scilicet chirurgo tironi, variolis olim vexato, duabus puncturis miasma vaccino-variolosum insitum fuit. Vasorum inde lymphaticorum in loco insitionis, glandularumque subaxillarium tumor et dolor, febris, capitis dolor, tonsillarum et faucium inflammatio originem trahebant suam. Pustula vaccino-variolosa, quae in quolibet vulnere prodierat, citius stadia absolvebat sua, quam alias solet. Tandem febris scarlatina erumpebat. Has autem pustulas vaccino-variolosas pro imperfectis habent, quae non possint evertere defensae sententiae veritatem. Quod etiamsi concedamus, tamen nisi sumamus, variolas superatas fuisse spurias, non videmus, qua ratione possit historia explicari, ab iisdem duumviris allata [184]). Chir-

---

181) E multis laudare juvat PEARSONVM (*Untersuch.* etc. p. 48 ss. 54 ss.), SYBELIVM (*l. c.* p. 38.) alios. Vid. et OSIANDRI *l. l.* p. 56.

182) Vid. et *Phys. medic. Journ.* 1800. p. 650 ss. Eadem experti sunt Exper. viri KREYSIGIVS et GLAESERVS aliique. Vid. *Neues Wittenb. Wochenbl.* 1801. *No.* 21. p. 162.

183) *Libr. cit.* p. 64. Consentit ea in re cum hisce medicis D. TIERNY apud JENNER. *l. c.* p. 65. MACDONALDVS in epist. ad HELLWAG. (*Nord. Archiv* I. p. 391.). WINKLER loco citato.

184) *Traité de l'inoc. vacc.* p. 123.

urgus militaris, quamquam, uti a parentibus acceperat, a variolis correptus infans fuerat, tamen suam ipse manum scalpro chirurgico vulneravit, quo ante dies duos ad inoculationem vaccino-variolosam usus erat. Oriebatur pustula, cujus uti apex foveam infundibuliformem, ita basis inflammationem periphericam ostendebat, quae signa pro maxime characteristicis habentur variolae vaccinae. Idem statuendum est de experientia Steinhaeyseri, studiosi medicinae Vitebergensis, qui cum sibi ipse miasma vaccino-variolosum inseruisset, perfectam pustulam, inflammatione erysipelacea stipatam, in cute efflorescere conspexit; qua de causa dubitat, quominus paucae istae pustulae, variolis similes, quae puero acciderunt, nec cicatrices reliquerunt, verae fuerint variolae[185]). *Denique* nec satis accurate semper ad variolarum vaccinarum rationem, genuinae ne fuerint, an spuriae, respexisse videntur, qui talia exempla hominum protulerunt, morbo hoc bis aut pluries correptorum.

Eadem fere argumenta valent quoque ad probandum, homines, qui morbum vaccino-variolosum verum superaverunt, ab eodem iterum non affici. Ejusmodi exempla plura ab adversariis variolae vaccinae inoculandae, ut hujus remedii prophylactici vanitatem evincant, publici juris facta sunt, inter quae commemorare lubet cum illud, quod ad Altonam[186]), tum ea, quae ad Vitebergam[187]) accidisse feruntur. Inprimis latissime percrebuit fama de Stoofia, octo annorum puella, cui mense Novembri anni superioris morbus vaccino-variolosus optimo, uti contendebatur, cum successu inoculatus erat, variolis paulo post spuriis correpta et, anno proxime insecuto, veris iisque malignissimis mortua. De qua puella orta est inter

---

185) *Neues Wittenb. Wochenbl.* 1801. *No.* 21. p. 162.

186) *Altonaer. Merc.* 1801. *Maerz* 14. *Allgem. Zeit.* 1801. p. 314.

187) *Neues Wittenb. Wochenbl. l. c.*

medicos controversia [188]), Macdonaldo Hamburgensi omnem in chirurgum Boernerum, qui cum Stoofiam cum duobus consanguineis inoculasset, spurias variolas pro veris habuerit, culpam transferente, Mumseno autem Altonaviensi hunc ab ea liberante, et productas insitione variolas vaccinas in Stoofia veras fuisse adserente. Quam sententiam his argumentis firmat. Consanguineos Stoofiae, eadem materia, qua soror inoculata erat, infectos, variolarum malignarum contagio, qua soror ipsorum enecabatur, licet contubernio ejus perpetuo uterentur, fortiter tamen restitisse, materiamque ad horum trium infantum inoculationem adhibitam ex eadem pustula haustam fuisse, e qua jam antea Macdonaldus lympham desumserat, ob praeclaram ejus indolem multis laudibus celebratam. Horum argumentorum prius poterat fortasse ab adversariis eludi sic, ut diceretur, cum constet, non semper infectionem variolosam locum habere, etiamsi opportunitates ejus adfuerint, non posse ab infectionis variolosae absentia ad vaccino-variolosae inoculationis efficaciam recte concludi: posterius autem nisi penitus evertunt, tamen impugnant ea, quae Exper. Kreysigius protulit de variolarum vaccinarum spuriarum causis, inter quas tertio loco retulit materiam, quae postea, quam lympha jam ex insitionis pustula desumta est, excipitur gossypio, aut filis telae gossypinae. Quae cum ita sint, videtur unicum argumentum, quo Mumseni sententia omnium optime firmari potest, in variolarum insitione positum esse, quae si in Stoofiae consanguineis inefficax deprehensa fuerit, indicabit, variolas vaccinas genuinas non potuisse sororem morti, variolarum malignarum contagio effectae, eripere. Cum hac historia convenit multum illa, quam publici juris fecit Exper. Hooper (*the London med. Review* Vol. I. 1799. p. 505—508.) de duobus fratribus, qui morbum

---

188) Vid. *Blätter f. Policey u. Cultur.* 1801. *St.* 6. p. 9—32.

vaccino-variolosum ex ipsis vaccarum uberibus contraxerant ita, ut e pustulis, in variis corporum locis ortis, vehementer aegrotarent. Alter horum fratrum post quinquennium variolis malignis correptus moriebatur; alter bis postea variolis inoculatus horum contagio adfectus non fuit. Has autem variolas vaccinas fuisse veras, nondum extra omnem dubitationem positum est: nam Hooper vaccas, unde hi fratres morbum nacti sunt, contendit *morbo quodam pustuloso* (a pustular disease) laboravisse. In pago Vitebergae vicino, Kropstadio, ejusque vicinia multi infantes, quibus et Exper. Langgvthivs, et chirurgus quidam variolas vaccinas inoculaverant, variolis decubuisse ferebantur. Sed cum Exper. Langgvthivs accuratius in rumoris certitudinem inquireret, tota res eo redibat, ut unus infans, in quo miasmatis vaccino-variolosi inoculatio non successerat, variolis correptus esset, chirurgusque, a quo plures infantes prope Kropstadium inoculati erant variolis vaccinis, tam mancam atque imperfectam hujus morbi cognitionem haberet, ut ejus experimentis nulla plane fides haberi posset.

VII.

ANATOMES CHIRVRGICAE SPECIMEN.

VESICA VRINARIA.

CVM TABVLA AENEA.

Progr., quo d. XVII. Sept. CIƆIƆCCCII. ad audiendam orationem solemnem, qua prof. anat. et chirurg. ord. munus adeundum erat, invitabatur.

Rem actam profecto aget, quotusquisque, cum saepissime jam sit probatum atque evictum, accurata anatomes cognitione non posse carere chirurgum, ultra barbitonsores sapere cupientem, ejusdem illius argumenti tractationem denuo adgredi voluerit. Mirari tamen satis non possum, inter tot scriptores, qui anatomen exposuerunt, paucissimos fuisse, qui, relicto tramite maxime trito et vulgari, aut operationes chirurgicas easque praecipuas ita pertractarent, ut simul edocerent, quaenam partes corporis animalis in iis vulnerari sive debeant, sive ex anatomes inscitia possint, aut partes solidas, cum eas, quae in oculos incidunt, tum eas, quae intus reclusae adspectui sese subtrahunt, eo tantum consilio enarrarent, ut eodem tempore operationes chirurgicae, in illarum qualibet locum invenientes, ratioque, qua omnium optime perfici possint, cognoscerentur. Quae quidem anatomen docendi methodus [1]) (*chirurgicam anatomen* appellare

1) Laetabar jam olim, me in hoc argumentum, uno fere eodemque tempore cum Viro Illustri, Bvrc. Gv. Seilero, qui tunc temporis prosector in theatro anatomico Vitebergensi constitutus

liceat) videtur majori utilitate cumulatura esse cum chirurgum tironem, tum etiam veteranum, quam ea, quae maxima cum diligentia omnia ossa, ligamenta, musculos, vasa, nervos, glandulas et viscera deinceps enumerat, et vel minimorum foraminulorum, excisurarum, protuberantiarum, cavitatumque ossis cujuscunque nomina, omnium vel minutissimorum, in quos vasa nervique abeunt, ramulorum e majoribus originem, denique formam, situm partesque viscerum singulorum, seorsim sumta, studiosissime memoriae mandat.

Seculo demum proxime elapso hanc, quae ab anatomes chirurgiaeque doctoribus relicta fuit, lacunam implere coeperunt. Libri enim nonnulli, qui omnem chirurgiae ambitum complectebantur, non solum morbos externos, artificiaque, quorum usum ad illorum curationem ars praescribit, exponebant, sed etiam operationibus difficilioribus anatomicam partium illarum corporis humani descriptionem praemittebant, quarum ratio chirurgo habenda est, illam curationem externam feliciter perfecturo. Intelligebatur scilicet, chirurgum, anatomica illarum partium corporis humani, quibus manu mederi cupit, cognitione haud probe imbutum, haud sapere ultra mechanicam facultatem, quae frequenti repetitione unius ejusdemque

---

erat, incidisse. Scribebat enim eodem anno 1802 primas lineas anatomiae chirurgicae docendae, quibus suum munus auspicabatur. Descriptus est accurate ordo, quo talis anatome chirurgica componi commode possit et debeat; copiose allati sunt scriptores, qui fabricam earum corporis humani partium, in quibus operatio quaedam chirurgica locum habere potest, ad naturam descripserunt, et consilia, ex accurata partis anatome hausta, suppeditarunt, quae si chirurgus fuerit secutus, felicem operationis chirurgicae successum muniant. Quo quidem opere, quod Vir Amicissimus diu meditatus est, et assiduo labore profligare et ad finem perducere studet, omnes, qui chirurgiae exercendae operam dant, maximopere sibi devinciet, et reliquis meritis suis magnum addet cumulum. Figurarum adumbrationes, quibus hoc opus exornatum erit, elegantissimae sunt, et ad illustrandas operationes chirurgicas aptissimae.

operationis hanc, nisi partes vulnerandae a naturali et forma et situ recedunt, optimo cum successu absolvit.

Ipse adeo Lavr. Heistervs noster, cujus introductio in chirurgiam maximo cum plausu ab intelligentissimis harum rerum arbitris excepta, atque ab omnibus fere Europae nationibus vernaculo sermone expressa fuit [2]), adeo non ausus est viam, quam, qui ante ipsum de chirurgia scripserant, ingressi fuerant, relinquere, ut potius in paucissimis tantum morbis, v. c. in hydrocele et in ossibus quibusdam luxatis anatomen partium adfectarum eamque nimis brevem curationi, quae manu fit, praemitteret. Neque vero hac in re Henr. Callisenivs atque Avg. Theoph. Richtervs, qui Heisterum nominum celebritate superavere, hujus vestigia deseruerunt. Limites enim, quibus anatome olim a chirurgia separabatur, nimis religiose coluerunt, nec transmigrare conati sunt, quamquam Chr. Gottl. Lvdwigivs [3]) atque Pet. Campervs [4]) praeclaris exemplis ostenderant, quo modo hae duae medicae artis doctrinae ita invicem conjungi et possint et debeant, ut in difficilioribus operationibus habeat chirurgus, quo duce ferrum fiden-

---

2) Cum enim primo 1718 Norimbergae sermone vernaculo prodiisset, in latinum sermonem transferebatur Amstel. 1739, quae versio ibidem repetita est 1750, Venetiis 1740, et Neapoli 1759, in hispanicum Madriti 1747, in anglicum Londini 1748, in franco-gallicum Paris. 1771.

3) Vid. Ejusd. disp. *de variantib. arteriae brachialis ramis in aneurysmatis operation. attendendis. Lips.* 4.

4) Vid. immortale ejus opus: *Demonstrationum anatomico-pathologicarum libr.* 1. cont. brachii humani fabricam et morbos. *Amst.* 1760. f. Lib. II. cont. pelvis humanae fabricam et morbos. *Ibid.* 1762. Continuavit hos conatus, anatomen ad medicinae inprimisque chirurgiae, usum transferendi, idem vir summus Diss. *de fractura patellae atque olecrani.* 4. unde notatu maxime digna excerpsit Exp. Hebenstreitivs in praeclaris, quibus Bellii chirurgiam auxit, additamentis Vol. V. 2. p. 274 ss. Pertinent huc quoque Ejusdem *icones herniarum inguinalium*, editae a S. Th. Sömmerringio, c. tab. aen. XIV. f. *Francof. ad Moen.* 1801.

ter et secure dirigat. Benj. Bellivs, quantum equidem novi, inter primos fuit, qui in suo de chirurgia opere (*Lehrbegriff der Wundarzneykunst. Zweyte Aufl.* 8. 1791 — 1798. Vol. 5.) cujuslibet morbi externi medelam, quae in instrumentis et manu posita esse solet, notationem partium anatomicam antecedere jussit, cum earum, in quibus morbi sedes est, tum earum, quae, ut ad hanc pertingere possimus, aut vulnerandae aut removendae sunt. Vitio tamen verti Bellio potest, quod ea, quae ex anatome desumta chirurgicis praeceptis immiscuit, nimis brevia interdum sunt, quam ut chirurgum, nisi jam instructus sit illius doctrinae accurata cognitione, in quacunque curatione, quae ferramentorum ope suscipienda est, ab omni errore tutum reddere possint. Quam ob rem laudandus et commendandus potius est Car. Bellivs, qui in suo dissectionum systemate (*System of dissections, explaining the anatomy of the human body, the manner of displaying the parts and their varieties in disease. Edinb. and Lond.* 1798 ss.) ab illô vitio non solum sibi diligenter cavit, sed etiam, ex judicis aequi atque intelligentis sententia [5]), omnino hoc ipso opere lacunam explevit, quam antiquiores et recentiores institutiones anatomicae vacuam reliquerant, quippe quae larga tantummodo partium nominumque copia memoriam onerabant, nec nisi rarissime curabant, quaenam inde utilitas in medicum atque chirurgum posset redundare.

Praeter hos duumviros et nostra Germania protulit viros eruditos, qui ad hanc anatomen chirurgicam symbolas conferrent magni pretii. Inter quos commemorare juvat Jo. Barth. Sieboldvm, Jo. Gottl. Eckoldtvm et Conr. Jo. Mart. Langenbeckivm. Et Sieboldvm quidem constat in praeclara, quam Jenae cIↄIↄccxcvii scripsit, *historia systematis salivalis*, *phy-*

5) Vid. *Jen. allgem. Litteraturzeit.* 1800. *No.* 88. p. 697.

siolog. et patholog. considerati, cum de exstirpatione glandulae parotidis scirrho induratae agit, ante omnia partes describere, quae in hac curatione cultro discindendae sint, tum et illas tangere, quae praeter necessitatem vulnerari queant. Quae hac de re paulo diductius pro argumenti gravitate disputavit Exper. Sieboldvs, ea icone capitis, in qua omnes partes maxima cum diligentia praeparatae luculenter repraesentantur, illustravit, ut, qui nunc in hac operatione perficienda errores adhuc graves committit, a chirurgiae masculae usu debeat abstinere.

Exper. Eckoldtvs autem suo ipse exemplo ostendit, quantam utilitatem chirurgus ex intimiore partium corporis humani cognitione capere possit. Cum enim tempus incideret, quo oesophagi, in quem acus incidisse credebatur, canalem aperire debebat, locum invenit, per quem ad interiores partes ipsumque oesophagum minori cum periculo penetrari potest. Olim scilicet, divisis sectione recta colli integumentis communibus, inde a suprema fistulae aëreae parte usque ad sternum, cultrum intra musculum sternohyoideum sinistri lateris atque asperam arteriam usque ad oesophagum demitti, huncque, destructa omni tela cellulosa, in hoc ipso itinere obvia, aperiri jusserunt chirurgiae magistri. Quam incertus autem hujus operationis successus esse debeat, non fugiet eum, qui nervorum vasorumque in hac colli regione decurrentium notionem accuratam animo informatam habet. Itaque Exper. Eckoldtvs eo ipso loco, quo crura musculi sterno-mastoidei a se invicem recedunt, atque secundum hujus divisionis directionem integumentis colli communibus discissis, triangulare spatium ante oculos habet, cujus latera a cruribus musculi modo nominati, basis a musculo sterno-hyoideo formantur. Quod quidem spatium nisi amplitudine sua ita comparatum sit, ut, separata aut digiti ipsius, aut manubrii cultri ope tela omni cellulosa, perspicue conspici queat oeso-

phagus nervusque octavi paris recurrens, ad anteriorem illius parietem repens, angulum, quem sterno-mastoidei musculi crura efficiunt, incisione ab exterioribus partibus ad interiores, minime autem, ne, qui subtus jacet, musculus sterno-hyoideus laedatur, ab inferiore parte ad superiorem usque ducta, ulterius diffindit. Vulneris hujus labia, nunc obtusis uncis caute in contrarias partes diducta, offerunt satis magnum spatium, per quod oesophagus sine omni metu, ne aut nervus recurrens laedatur, aut transversum iter arteriae thyroideae interrumpatur [6]), incidi potest.

Exper. LANGENBECKIUS denique novissime edito libello de *simplici eaque tuta calculum secandi ratione* [7]) comprobavit maximam utilitatem vinculi arctissimi inter anatomen corporis humani et chirurgiae usum intercedentis, cum novum locum demonstraret, quo sectio calculi lateralis commode institui possit. Nolo hoc loco ea occupare, quae in sequentibus rectius locum invenient suum, cum de urinaria vesica, calculorum frequenti domicilio, sermonem instituero.

Neque vero silentio possum praetermittere egregium laborem Clar. ANDR. BONNII, quo luxati ossis humeri repositio ex accurata partium adfectarum descriptione mirum in modum adjuta est [8]). Nam non solum summa cum diligentia descriptae sunt variae viae, quibus elabi potest e cavitate sua caput ossis humeri, sed etiam musculi atque ligamenta, quae partem illam firmant moventque, ad naturam sunt depicta, ut, si omnia haec animo probe infixa servat

---

6) *Ueber das Ausziehen fremder Körper aus dem Speisekanale und der Luftröhre.* M. 5 Kupfert. *Kiel* u. *Leipz.* 1799. 4.

7) *Ueber eine einfache und sichre Methode des Steinschnitts.* Mit 6 Kupfert. *Würzb.* 1802. 4.

8) Vid. Ejus. diss. *de humero luxato*, quae et in vernaculum sermonem translata fuit in *Neue Samml. f. Wundärzte*, *St.* III. p. 1—78.

chirurgus, prospero cum successu repositurus sit os humeri luxatum. Quodsi contrarium evenerit, aliae causae hujus sinistri eventus accusandae erunt. Tale exemplum anno superiore viro, artis chirurgicae peritissimo, Ehrlichio, occurrebat. Rusticus admodum torosus, vegetaque aetate, opem illius implorabat de humero, qui ante plures annos exciderat. Multa jam pericula, os reducendi, facta dolores excitaverant acerbissimos, libero articuli motu non restituto. Admovebatur machina, a Savignyo, celebri artifice, ad artus reponendos publici juris facta, cujus quanta vis sit ad extensionem luxatorum efficiendam, intelliget is, qui mechanicam ejus novit constructionem [9]). Sed tantae hae vires nihil promoverunt. Consului equidem, ut ea via incederetur, qua omnes luxationes, vel maxime inveteratae, curari posse a Joseph. Flaianio adseverantur [10]). Lotiones et fotus calidi diu adhibebantur, ut partes adfectae relaxatae, ad extensionem sustinendam aptiores redderentur. Sanguis dein detrahebatur ea copia, quae animi deliquium inducebat, et dum hoc patiebatur aegrotus, repositionem moliebatur Ehrlichivs. Frustra: nam immotus restitit humerus. Idem et Exper. Eckoldto accidit.

Quae quidem anatomes chirurgicae specimina, passim extantia, et pluribus adhuc facile augenda, nisi verendum, ne nimium longus sim, si in unum quasi systema cogerentur, haberet profecto, aut egregie fallor, chirurgus magnum artis suae adjumentum. Facili negotio poterat e tali libro intelligi, quaenam chirurgiae partes anatomes face adhuc sint illustrandae. Equidem in hac scribendi opportunitate conabor

---

9) Vid. Ejus *Collection of engravings representing the most modern and approved instruments used in the practice of surgery. Lond.* 1798. fol. tab. XXXII.

10) Vid. Ejus *medicin. chirurg. Beobacht. Th.* I. p. 204 ff.

vesicam urinariam, variis morbis operationibusque chirurgicis obnoxiam, ita pertractare, ut pateat, quam necessaria sit ad illos morbos recte tractandos anatomica partis hujus et adjacentium cognitio.

Vesica urinaria.

Cum vesica urinaria, cujus posteriorem inprimis faciem praeclare, uti solebat omnia, Bern. Siegfr. Albinvs (*annotat. academ.* libr. IV. tab. 3.), muscularium autem fibrarum strata Jo. Dom. Santorinvs (*tabulae XVII. anatom. posthumae edit. a* Mich. Girardo. *Parm.* 1775. f. tab. XV.) optime repraesentavit, pro aetatis et repletionis diversitate situm et figuram immutare soleat, variaeque partes in visceris illius vicinia repositae sint, quarum vulneratio maxima incommoda parit, non potest non summa utilitas in chirurgum, hujus visceris morbos manu curantem, ex anatomica vesicae urinariae partiumque adjacentium cognitione redundare. Quamobrem ii, qui calculorum vesicae recte secandorum viam ac rationem monstrare conati sunt, e quibus Henr. Frc. le Dran (*Parallèle des différentes manières de tirer la pierre hors de la vessie. à Par.* 1730. 8.) et Jo. Conr. Mart. Langenbeckivm *libr. laud.* nominare lubet, hujus visceris et, quae illud cingunt, partium situm iconibus repraesentare, necessarium duxerunt.

Haud scio, an alienum sit a meo proposito, omnia omnino, quae ad anatomicam vesicae urinariae adjacentiumque partium descriptionem pertinent, hoc loco exponere, quippe cum haec hujus argumenti tractatio anatomico potius, quam chirurgo relinquenda esse videatur, cui haud dubie haec scire sufficient. Sita est vesica urinaria pone ossa pubis extra fines peritonaei, quod ipsam a superiore et posteriore tantum obtegit parte. In maribus posterior vesicae paries incumbit intestino recto, in feminis vaginae, atque tum hisce partibus mollibus, tum ossibus illis, quae a

pube cognominantur, adhaeret tela cellulari paululum laxa. Qui quidem hujus visceris situs in universum obtinens paululum immutatur, cum aut urinam continet, aut ab ea exonerata est. Illa enim si obtinet conditio, surgit vesica et verticem attollit ultra ossa pubis, in quorum contactum arctiorem anteriori facie quodammodo ruit. Sed ubi evacuata est, tunc subsidet iterum et veluti lassa in intestino recto recumbit.

Neque vero situs vesicae solus, sed etiam figura et magnitudo pro aetatis et constitutionis diversa ratione variat. Nam primis aetatis annis cylindri potius forma gaudet, et supra ossium pubis marginem vertice suo non multum attollitur. Qui igitur tunc figuram refert, cujus amplior atque obtusior apex ab anteriore et posteriore parte paululum compressus, a lateribus autem, praesertim in iis, qui diu urinam retinere solent, magis extensus sit. Ab urina maximam partem aut penitus evacuata collabitur, et quae a Campero, Bellio atque Sandifortio repraesentata est, formam sumit triangularem, quae collo vesicae obversam basin paulo excavatam habet. In hominibus calculo laborantibus haec vesicae urinariae figura immutari solet: ubi enim calculus haeret, ibi ob perpetuum stimulum et fibrae musculares contrahuntur, et totius parietis crassities augetur. Talibus quoque hominibus in universum solet vesica admodum exigua esse.

A posteriore atque inferiore vesicae parte supra ejusdem collum, quod infundibuli formam refert, hiant duo ureterum ostia, pollicem dimidium a se invicem distantia, quorum canalium adminiculo urina e renibus in vesicae cavum stillat, inde per urethram, e colli apice ortam, contrahentibus sese vesicae musculis, effluens. Vrethrae, in feminis brevioris atque rectioris, in sexu potiore contra ea longioris angulumque cum vesicae axi formantis, initium una cum collo vesicae, unde originem traxit, circumdata et quasi

munita est glandula prostata, cujus crassissima pars intestino recto incumbit. Liberata a prostatae amplexibus urethra libere nec alii parti nupta per pollicis fere longitudinem ad bulbum usque et corporum cavernosorum initium extenditur.

Partem posticam vesicae et superiorem prostatae occupant in maribus vesiculae seminales, quae sensim sensimque extenuantur, tandemque cum vasis deferentibus, per posteriorem vesicae parietem transverso et serpentino itinere decurrentibus, sub angulo admodum acuto junguntur. Haud levis momenti res videtur esse, quod sinistrum vas deferens altius, quam dextrum, transversam viam ingreditur, eamque ultra sinistri vesicae lateris fines extendit. Angusta admodum orificia ductuum excretoriorum seminis hiant ad latera prominentiae illius oblongae, in quam, caput gallinaginis nuncupatam, desinunt striae duae elatiores, per ureterum orificia transeuntes.

Quorum quidem omnium cognitio summopere necessaria est chirurgo. Saepe enim incidunt tempora, quibus ejus auxilium contra morbos in hisce partibus sedem figentes eosque haud raro atrocissimos efflagitatur. Urinae, ut hoc utar exemplo, profluvium variae causae [11]) imminuere ita, ut illud non nisi guttatim et cum vehementibus doloribus eveniat, penitusque supprimere possunt. Quam ob rem aut illud impedimentum, nisi a continuo urinae adfluxu praeter modum extensa vesica inflammatione corripi, in gangraenam abire mortemque inferre debeat, removendum, aut nisi fieri illud intra brevissimum tempus possit, urina educenda est. Id solet commodissime cathetere perfici, cujus applicatio in feminis quidem

---

11) A paralysi vesicae ortam aliquoties hanc urinae suppressionem indeque pendentem ingentem hujus visceris extensionem observavit T. Pyrton. Vid. *Med. and physic. Journ.* 1801. *Jul.* et Hufeland's, Schreger's etc. *Journ. d. ausländ. Litter.* 1802. *Febr.* p. 178.

ob commemoratam urethrae et brevitatem et rectum iter haud multa difficultate laborare, in maribus autem, quorum longior urethra cum collo vesicae angulum efficit magis minusque obtusum, quique eo magis ad rectum accedit, quo plenior esse solet vesica, ob hanc ipsam causam difficilior esse solet. Alienum est ab hoc loco, omnes enumerare res, quae hisce difficultatibus a natura ipsa provenientibus accedere, atque catheteris applicationem penitus impedire, aut, ubi tandem summa cum virium intentione efficitur, periculosam, quin perniciosam reddere possunt. Tumores, ex inflammatione aut ulceratione vesicae [12]) aut urethrae orti, varices venarum haemorrhoidalium [13]), humor acris, qui vesicae collum occupavit, idque spastice contrahit [14]), glandula prostata praeter modum aucta atque indurata [15]), catheteri possunt impedimenta obiicere nulla arte superanda.

---

12) Vid. Chr. Gottl. Ludwig progr. *de ischuria ex tumoribus vesicae. Lips.* 1767. 4. ubi et icone elegante tumores illi expressi conspiciuntur. Similis tumor aderat in vesica Spallanzanii, qui in sinistro pariete haerebat, aperturamque urethrae ita comprimebat, ut non nisi foramen exiguum relinqueretur, per quod urina stillare poterat. Vid. *Allgem. med. Annal.* 1803. *Apr.* p. 287.

13) Tale exemplum legi nuper: nam cum urinae profluvium aliquamdiu cessasset, chirurgusque, de vesicae ruptura haud temere, metuens, catheterem frustra adplicasset, tandem, instrumento paulo rudius intruso magnaque sanguinis vi per urethram evacuata, urinae libera excretio restituebatur. Unde recte conclusit chirurgus, tumorem haemorrhoidalem impediti urinae profluvii causam fuisse, quam catheteris immissio prius tollere haud poterat, quam cum instrumentum varicis parietes lacerasset. Vid. simile exemplum, quo post sanguinis e vulnere facto profluvium urinae suppressio tollebatur, in Loderi *Journ. f. d. Chir. Geburtsh. u. ger. Heilk.* III. 4.

14) Ejusmodi exemplum observavit Verberckmoes in Act. societ. Bruxellens. To. I. p. 177 — 187. a materia scabiei ad vesicae orificium delata, idque ita constringente, ut catheter introduci plane non posset. Versionem hujus observationis vernaculam dedi in *Samml. auserl. Abhandl. f. prakt. Aerzte. B.* XX. p. 270 ss.

15) Vid. Sam. Gli. Vogel *Versuch. ein. med. practisch. Beobacht. Götting.* 1777. 8. p. 75 ss.

Cum iter, quod urethra in maribus intra originem corporum cavernosorum atque vesicae collum perficit, nec omni aetate, nec in omnibus omnino hominibus idem sit, sed quo arcus ossium pubis nunc major, nunc minor, atque vesica urinaria intestinumque rectum faecibus magis minusque repletum atque distensum est, eo magis incurvatum, facile est ad intelligendum, catheteris immissionem, nisi ipsius rostri curvaturam adaptaveris curvaturae urethrae, facile procedere haud posse. Quam ob rem chirurgi magni nominis, qui calculi secandi rationem ad majorem perfectionis gradum perducere studuerunt, etiam optimae catheterum formae excogitandae animum adverterunt [16]). Pet. Campervs quidem commoda et incommoda catheterum, a Ravio, Cheseldeno et Sharpio inventorum, icone repraesentavit, hanc rem apprime illustrante [17]). Perspici inde potest, in hominibus adultis rostri curvaturam haud adeo magnam, rostrumque ipsum longitudinis modicae esse debere, nisi instrumentum, dum introducitur, magnos procreare dolores, atque dum in vesica relinquitur, hujus evacuatae atque collapsae parietes pressione sua laedere debeat. Cum homines, qui calculo laborant, aut quibus ren alteruter ulcere consumtus est, vesicam urinariam admodum parvam habeant, hi haud dubie ab applicatione catheteris, longo rostro instructi, inprimis cum vi quadam in vesicam impulsi, laeduntur. Neque vero utile est tale instrumentum ad investigandum calculum, quippe qui sese tactui ejus saepissime subtrahit, incertumque relinquit chirurgum, utrum symptomata, de quibus aegrotus conqueritur, a calculi praesentia, an ab alia causa sint derivanda. Si denique aut ulcus vesicam male habet, aut suprema

---

16) Vid. Wolf Fr. W. Klose diss. *de catheterum variis speciebus et eorum usu. Hal.* 1796. 8.

17) Vid. *Annot. anatom. path.* libr. II. tab. 2. p. 12 ss.

hujus visceris pars inflammatione correpta est, dolores atrocissimi ex catheteris nimium longo rostro originem trahent suam.

Neque vero forma solum catheteris ad anatomicam partium harum, quae urinam et continent, et educunt, cognitionem comparanda est, sed hac ipsa opus quoque est ad instrumentum per omnem urethrae decursum in vesicam ipsam feliciter et facile introducendum. Monitum enim jam est, quo magis repleta sit vesica ab humore intus contento, ac quo magis intestinum rectum turgeat a faecibus, eo propius angulum illum, quo urethra cum vesicae collo coit, ad recti anguli rationem accedere, eoque difficiliorem esse catheteris immissionem. Itaque omnibus relictis clystere alvus educenda, aegerque in dorso reponendus est, quo vesica onere suo ab ossibus pubis recedens inque intestinum evacuatum reclinans obtusiorem efformet cum urethra angulum. Duplex autem via est, qua catheter in maribus applicari potest, quarum altera, magistro artis dignior habita, instrumentum ita in urethram demittit, ut convexitas rostri pubi obversa sit. Quodsi rostri apex usque ad vesicae collum pervenit, coles adducitur, ut ne interna urethrae superficies plicam efficiat, ad quam catheter allidens vel dilacerationem producat, vel ab ulteriori progressu impediatur. Quo facto catheteris manubrium, quod nunc perinaeo adversum est, motu quasi rotatorio ita invertitur, ut illud umbilico, simulque instrumenti apex, qui antea deorsum spectaverat, arcui ossium pubis obvertatur. Usu atque exercitatione praeter anatomicam partium harum cognitionem opus est, nisi hac encheiresi nocere magis, quam prodesse voluerit chirurgus. Quam ob rem equidem alteram praetulerim catheteris in vesicam immittendi rationem, qua concava rostri pars versus pubem, gibbosa versus perinaeum spectat, manubriumque prius abdomini opponitur, a quo sensim sensimque remotum, leniterque

per urethram propulsum, tandem superato arcu ossium pubis in vesicam demittitur. Nullo tamen modo hac via incedi potest, cum abdomen nimis prominet aut a nimia pinguedine, aut a vesica urinaria nimium in modum extensa.

Sed possunt incidere tempora, quibus catheter, quamcunque instrumenti formam, quemcunque corporis situm vel exercitatissimus elegerit chirurgus, in vesicam demitti haud potest [18]). Itaque si metus urget, ne vesica ultra modum extensa vel rumpatur, vel gangraena adficiatur, alio opus erit auxilio chirurgico, cujus ope vesica ab onere, quo opprimitur, possit liberari. Punctionem intelligo. Cui perficiendae tria loca adsignata sunt: sive enim per perinaeum, sive per hypogastricam abdominis regionem, sive per intestinum rectum intrusa in vesicam acus triquetra urinae exitum parat. Si perinaeum eligitur a chirurgo, paracentesin vesicae urinariae instituturo, acus, nisi prostata nimium indurata, arteriave perinaei laesa fuerit, sine ullo incommodo intra vesicae collum locumque, quo in eam ureteres inseruntur, vesicam aperit, ab initio directionem, axi corporis respondentem, sequens, paulo post ab hac via paululum extrorsum flexa, ut prostatae vulnus evitetur, tandemque iterum ad vesicam vergens. Quae quidem instrumenti directio nisi diligenter observetur, aut in vesicam plane non penetrat acus, aut, dum hoc fit, partes laeduntur, quarum integritatem chirurgus studiosissime debet servare. Cum enim instrumenti apex nimium versus exteriora propellitur, aut vesicam intactam relinquit, aut uretere discisso urinae in telam cellulosam, quae inter partem urethrae membranaceam, atque intestinum rectum reperitur, effluxum, inflammationem partium in perinaeo sitarum, atque

---

18) J. B. Palletta, *üb. d. Blasenstich. in Weigels ital. med. chir. Biblioth.* II. 2. p. 1 ss.

abscessum, qui ab urina contenta cognominatur, efficit. Acus autem triquetra ab initio statim magis versus interiora propulsa, glandulam prostatam, versus posteriora, aut vesiculas seminales aut intestinum rectum vulnerabit, versus anteriora denique nimis obliquo ductu propulsa, spatium intra urinae vesicam atque pubis ossa relictum intrabit, aut partem urethrae membranaceam findet, quale exemplum Car. Bellius (l. l. Vol. I. p. 249.) observavit.

Ut vesica eo certius ab instrumenti mucrone attingatur, integumenta communia inde a membranacea urethrae parte versus anum sectione, pollicem unum cum dimidio longa, ita dividi volunt, ut vulnus, dimidium a rhaphe pollicem distans, cum hac semper parallelo cursu progrediatur. Per diducta hujus vulneris labia facile detegi poterit vesica urinaria, nec metus est, inprimis si digito per anum immisso instrumenti apex regitur, ne ureteres aut vasa deferentia laedantur, sed vesica semper ad latus sinistrum glandulae prostatae et paulo supra eam aperitur.

Verum enim vero haec urinae per punctionem detrahendae methodus cum neque in feminis, neque in maribus, quorum prostata indurata magnopere intumuit, aut vesicae collum inflammatum, aut pinguedinis nimia copia in partibus vulnerandis accumulata [19]) est, adhiberi commode possit, coeptum est, ex quo ratio, a Petro Frankio jam commendata, calculum e vesica per vulnus regioni hypogastricae inflictum eximendi, oblivioni seculo proxime elapso erepta denuo fuit, eodem loco puncturam vesicae instituere. Acus triquetra brevior nunc esse et potest et debet, quam ad puncturam per perinaeum. Nam vesica distenta ultra ossa pubis sese extollit, musculisque abdominalibus ita sese applicat, ut acus apex, divisis muscu-

---

19) Talem aegrotum descripsit Ludwigius in programmate supra laudato.

iis, statim exteriorem vesicae superficiem attingat, quippe quae hoc loco a peritonaeo nuda relinquitur. In obesis hominibus [20]) omnibusque iis, in quibus vesica urinaria supra ossibus pubis detegi manifesto haud potest, dividuntur scalpello integumenta communia, separatisque a se invicem musculis pyramidalibus immittitur acus triquetra vesicae, tunc in conspectum venienti. Cum autem vesica ab ossibus pubis retrahatur quasi, quando ab urina evacuata est, visa fuit cannula, qua acus triquetra recondi solet, paulo brevior hoc incommodo laborare, ut vesica eam relinquens effluxui urinae in abdominis cavitatem praebeat opportunitatem. Quod quidem ne accidat, nec posterior vesicae paries aut perforetur, aut pressione forti et diuturna cannulae ad inflammationem disponatur, artis chirurgicae magistri praecipiunt, ut cannula cum acu longior illa quidem, sed paululum incurvata adhibeatur.

Alia autem res est, quae huic paracenteseos vesicae instituendae rationi jure potest vitio verti. Facile enim est ad intelligendum, eam tantum urinae copiam per factum vulnus effluere, quae in superiori vesicae distentae parte accumulata est, restare autem illam, quae infra puncturae locum vesicam implet. Cui quidem incommodo quamquam bene scio Illustr. Avg. Gottl. Richtervm (*Handbuch d. Chirurg.* to. VI. p. 324.) sic mederi, ut aegrotum eo corporis situ, qui perforatam vesicae partem infimo loco esse sinit, cubare jubeat, tamen cum molestus sit hic corporis situs, non omnem hoc modo incommoditatem tolli posse puto. Sed si cannulae incurvatae, rostroque suo usque ad vesicae cervicem pertingenti, adaptaveris syphonem, tunc hujus ope omnem urinam poteris extrahere.

---

20) Vid. Lvdwigii progr. laud.

Licet autem concedamus, his incommodis illam puncturae methodum vere laborare, tamen si comparaverimus cum illis tot alias res, quae ipsam prae reliquis maximopere commendant, haud diu ancipites haerebimus de primis partibus ipsi adsignandis. Reliquarum enim nulla, ut alia taceam commoda, potest in usum vocari, cum suppressio urinae, aut ab inflammatione cervicis vesicae, aut ab induratione et tumore magno prostatae orta, hujus visceris paracentesin requirit, nec metuendum est, ne, adhibita per hypogastrium vesicae punctione, vulneris labia aeque facile, ac in caeteris hujus operationis methodis, occallescant, fistulamque urinariam efficiant.

Tertia superest ratio, qua urina potest per vulnus vesicae inflictum detrahi. Ea a Flvranto excogitata vesicam in feminis per vaginam, in altero sexu per intestinum rectum acu triquetra aperit. Quam quidem paracenteseos rationem etsi Illustr. Richtervs adeo facilem atque periculo omni carentem pronuntiat, ut vel ab inexercitatissimo chirurgo perfici possit, tamen alii, inter quos Benj. Bellivs (*Lehrbegr. d. Wundarzneyk.* B. II. p. 205.) referendus est, eandem nullius pretii aestimant, quippe quae partim nullo se commendet commodo, quod ab ea methodo, qua per perinaeum vesica aperitur, majori cum probabilitate exspectari nequeat, partim tot incommodis stipata sit, ut fidenter contendi possit, eam nunquam esse adhibendam.

Et hujus quidem puncturae ratio haec est. Acum triquetram incurvatam una cum cannula chirurgus in digiti indicis, antea aut in vaginam, aut si vir operationi subiiciendus est, in intestinum rectum introducti, superficie, abscondito intra cannulae cavitatem instrumenti mucrone, illi admovet loco, quem antea jam ad perforationem omnium commodissimum tactu invenerat. Quo facto eodem temporis momento alterius manus auxilio acus mucronem in vesicam adigit,

quo a ministro infima abdominis regio una cum vesica urinaria, ibidem reposita, leni manus pressione versus intestinum rectum adeoque versus laedentis instrumenti aciem repellitur. Supra monitum est, vesicam urinariam contingere intestinum rectum, nulla alia interposita parte. Etiamsi igitur cannula e vesicae vulnere exciderit, quod inprimis sub alvi exoneratione facillime accidere solet, tamen nihil ab urinae infiltratione, incommodisque inde originem trahentibus suam, erit metuendum. Utrumque enim et vesicae et intestini recti vulnus inflammatione oborta adeo subito partibus proxime sese invicem contingentibus adglutinari solet, ut, si nondum viginti quatuor ab operatione horis elapsis elapsa vulnere fuerit cannula, urina per intestinum rectum sine ulla incommoditate effluat.

Sed sunt omnino quaedam, quae recte contra hanc paracenteseos vesicae methodum moneri possint. Nam si aut chirurgo breviores sunt digiti, aut si aegrotus nimium obesus est, tunc digitus index, intestino recto immissus, haud ultra vesiculas seminales adscendet, nec temere metuendum erit, ne hae ipsae partes simul vulnerentur. Quamquam autem hujus incommodi scopuli feliciter a chirurgo evitantur, vas tamen sinistrum deferens, cujus iter transversum, ut paullo antea indicatum est, in dextro vesicae latere aliquantulum finitur, ab acu transacta potest discindi, unde quae mala, praeter nervorum convulsionem, oriantur, facile est ad perspiciendum.

Scirrhus cum eximio tumore glandulae prostatae, varicosi tumores venarum haemorrhoidalium, scirrhosa denique constitutio intestini recti impedimento esse possunt huic vesicae paracentesin instituendi rationi. Quod ultimo commemoravi loco, hujus vitii superiori anno memorabile mihi innotuit exemplum, cujus historiam curationemque alio tradam loco.

Post paracentesin, secundum Fluranti praecepta frustra factam supra ossibus pubis, frustra quoque instituta est punctio vesicae a Kleinio jun. med. aul. Stuttgard. Cs. Loder *Journ. f. d. Chir.* etc. III. 4. p. 668 ss. Factum est interdum, ut tertia atque prima paracenteseos vesicae ratione frustra tentata, ad secundam confugere deberet chirurgus. Tale exemplum descripsit Adolph. Myrray (diss. *de paracentesi cystid. urinar. Upsal.* 1771. 4.). Causa, ob quam vesicae punctio tribus in locis tentabatur, in tumore reposita erat, a materia arthritica ad vesicam deposita orto, qui partem vesicae, pelvis minoris cavum occupantem, replebat [21]). Quae quidem causa aut glandulam prostatam indurare frequenter solet, atque in magnam molem extendere, aut tumores in vesica urinaria procreare, cum urinae liberum exitum, tum catheteris immissionem impedientes adeoque punctionem vesicae necessariam reddentes. Icone expressa est tabula adjecta glandula prostata viri septuagenarii, qui post repetitos insultus podagricos a pluribus inde annis de ischuria conquestus erat, conjuncta cum continua fere mingendi cupiditate. Nunc omnis urinae effluxus penitus suppressus erat, nunc praeter voluntatem accidebat. Plerumque post urinam redditam effluebat magna vis muci, sanguine commixti, unde pruritus in urethra vix tolerandus multum augebatur. Quae quidem mala intendebantur alvi obstructione, nec catheteris applicatione, nisi difficulter peragenda, poterant levari. Anatome cadaveris haec monstravit. Calculus magnitudine nucis castaneae laxe adhaerebat loco ulcerato

---

21) Hac liceat uti opportunitate monendi, dissertatione hac Myrrayi neutiquam contineri descriptionem diversarum, quibus paracentesis vesicae instituitur, methodorum (cf. Bell *Lehrbegr. d. Wundarzn.* Th. II. p. 214.), sed auctorem potius versari in commemoratione et aegroti, ad cujus curationem tres paracenteseos vesicae viae adhibitae deinceps erant, et causarum, unde urinae suppressio pendet, inprimis earum, quarum sedes in ipso vesicae cavo quaerenda est.

cervicis vesicae (b), haud dubie reconditus olim sacculo, ad orificium ureteris sinistri formato (g), et cum magnitudine, tum forma exacte respondente illius et formae et magnitudini: praeter hunc alius isque minor sacculus in ejusdem orificii vicinia (h) conspiciebatur, quo lapillus adhuc continebatur: prostata (a) in eximiam molem extensa: in extrema urethrae parte foraminulum reperiebatur, valvula occlusum, per quod catheter atque cereoli, explorandae vesicae causa adhibiti, penetraverant.

Jam pertractatis, quae ad vesicae punctionem catheterisque immissionem pertinere videntur, progrediendum erat ad calculi sectionem et vesicae hernias ex anatome illustrandas. Sed sufficiant haec, quae hucusque protuli, speciminis loco, reliquis alii scribendi opportunitati relictis. Etenim dicendum est, cujus causa haec a me scripta sunt. Scilicet quum per indulgentissimam Friderici Avgvsti, Serenissimi Principis Electoris Saxoniae, Patris Patriae Optimi, munificentiam, Amicorumque Ejus, quibus nostrae academiae cura commissa est, singularem gratiam mihi contigerit esse tam felici, ut, qui superiori anno professoris anatomiae et chirurgiae extra ordinem constituti titulo ac honore ornatus fueram, nunc b. Jo. Gottl. Haasio, quem uti primis academici mei curriculi annis et praeceptorem et fautorem pius colui, ita extremo vitae Ipsius tempore ut amicum atque collegam amantissimum dilexi, succedere, atque professionem anatomes atque chirurgiae ordinariam administrare jussus sim, hoc munus oratione *de anatomes deliciis ac utilitate* auspicari atque ostendere conabor, quo me grati animi sensu replerit, quaeque pietatis studia in me accenderit tanti in me collati beneficii cogitatio. Quam quidem orationem ut Rector Academiae Magnificus, Comites Illustrissi-

mi, Utriusque reipublicae Proceres Gravissimi, Commilitones Generosissimi atque Humanissimi praesentia condecorare hujusque diei solemnitatem solemniorem frequentia sua reddere velint, omni, qua par est, pietate ac observantia rogo. P. P. Dom. XIII. post fest. Trinitat. A. R. S. CIↃIↃCCCII.

VIII.

COLLECTANEORVM DE MORBO VACCINO-VARIOLOSO

CONTINVATIO I.

Programma d. xxvi. Sept. cIↃIↃcccix. promulgatum, cum Fr. Adph. Schade, Stolpena-Misn., Medicinae et Chirurg. Licentiatus renuntiandus esset.

Ante octo, et quod excurrit, annos edidi libellum, quo historiam, naturam et symptomata hujus morbi, ejus a morbo varioloso differentiam, varias vias ac rationes, quibus inseri hominibus sanis possit, aliaque exposui, ad hunc morbum spectantia. Ab eo inde tempore multa accuratius inquisita sunt, nonnulla, quae tunc attentionem medicorum mirum in modum movebant, vulgatiora reperta, dubia, quae contra utilitatem insitionis variolarum vaccinarum proferebantur, prolataque cum magna animorum contentione urgebantur, remota. Haud inutile igitur esse videtur, hoc ipsum argumentum, olim inchoatum, nunc, hac scribendi opportunitate oblata, ulterius persequi; idque eo magis necessarium duco, quo magis frigere jam nunc maxima hominum pars, tunc, cum variolarum vaccinarum insitio novitate placeret, maximis laudibus eam extollentium, intelligitur.

Variolarum vaccinarum adversarii, quorum plurimos eosque acerrimos inprimis Gallia protulit [1]), nul-

1) Crimina, quae recentioribus temporibus variolis vaccinis inprimis in Franco-Gallia obiecta fuere, argumentis gravissimis diluere studuit B. Sallion (*Examen comparatif de la petite*

lum argumentum contra insitionem hujus morbi divulgandam gravius reperiri posse putarunt hoc, quod a variolis veris repetebant, quae insitas variolas vaccinas interdum sequi solent. Quam ob rem medici, qui a contrariis stabant partibus, in eo inprimis desudarunt, ut ostenderent idque testimoniis virorum fide dignissimorum confirmarent, aut variolas vaccinas, quibus eruptio variolarum verarum succedebat, notis peculiaribus ac propriis destitutas fuisse, quibus insignitae esse debent eae, quae infectionem variolosam penitus delent, aut eruptionem in cute, quae pro variolis habita est, praeter formam externam nihil cum his commune habuisse. Cujus quidem rei protuli multa exempla in libello paullo ante citato, quae, si rei gravitas id efflagitaret, facillimo negotio longe pluribus poterant augeri.

Quicunque omnia scripta, quae de morbo vaccino-varioloso evulgata sunt, et indies evulgantur, attento pervolvit animo, is facile inveniet, in Germania omnium frequentissima occurrisse hominum exempla, qui post superatas variolas vaccinas variolis corriperentur correptique morbi atrocitati succumberent. Quamquam enim ab initio Franco-Gallia hac in re de Germania nostra triumphare videbatur, cum Vaumius et qui ejus partes amplectebantur, magno strepitu aegrotos variolosos publice indicarent, qui morbo, quem insitione variolarum vaccinarum effugere cuperent, crudeliter adfecti fuerint; qui quidem triumphus aequo animo ferri poterat: tamen recentioribus temporibus nulla fere regio est, cujus medici de efficaci per variolas vaccinas extinctione miasmatis variolosi aeque firmiter, ac Galli, sunt persuasi. Etenim

---

vérole et de la vaccine. Mém. en reponse des questions proposées p. la Société acad. du Depart. de la Loire inferieure pour sujet d'un prix à decerner dans la séance publique de 1821. *à Par.* 1823. 8. Ratier Archiv. gén. de méd. to. III. Sept. p. 158.

quae novissima prodiit, ab Hvzardo, Corvisarto, Thovreto, Pinelio aliisque celebribus Lutetiae Parisiorum medicis consignata, relatio de progressibus insitionis variolarum vaccinarum in Franco-Gallia ne unius quidem exempli mentionem injicit, quo metus, ne, qui variolis vaccinis recte infecti sunt, a morbo varioloso tuti vitam transigere possint, confirmetur. Inde videtur omnis culpa, ob quam copiosiora ejusmodi exempla in Germania reperiantur, haud temere reiicienda esse in eos, qui quamquam haud idonea doctrina de variolis vaccinis instructi sunt, aut insitionis negotium negligentius perficiunt, tamen hoc in se suscipiunt. Recentissimis autem temporibus illa exempla variolarum, post feliciter superatas variolas vaccinas ortarum, rarius obveniunt, quoniam rerum publicarum gubernatores hoc diligentius curant, ut non cuilibet barbae tonsori aut vetulae mulieri inserendi hujus morbi licentia concedatur. Hi enim e productis pustulis, quae signis peculiaribus destitutae erant, unde spuriae variolae vaccinae a veris distingui et possunt, et debent, lympham petebant quam propagando per insitionem morbo vaccino impendebant. Unde variolarum formae oriebantur, quae minime id efficiebant, quod earum auctores multis iisque saepius sesquipedalibus verbis pollicebantur. Etenim a variolarum morbo neutiquam eos defendebant, quibus ex illarum variolarum spuriarum pustulis morbus erat illatus. Cujus quidem rei illustrissimum exemplnm praebuit vaccinatio infantum quadraginta quatuor, Oebisfeldae anno 1801 instituta, cujus historia Hvfelandi diario continetur. Hi enim omnes variolis correpti sunt.

Olim in ea equidem fui sententia, ut putarem, nunquam hominem, qui variolis vaccinis vere laborasset, a variolis corripi posse. Sed cum dies diem doceat, nunc experientia ccactus repetita, illam adfirmationem, nimis universam, ita circumscribam, ut

concedam, fieri omnino posse, ut, qui morbum vaccino-variolosum superaverit, etiam a variolis adficiatur. Ejusmodi exempla in Anglia inprimis copiosius sunt observata, nec ea supprimunt, aut variis effugiis eludunt variolarum vaccinarum patroni. Rob. Willanus quidem, cujus liber de vaccinatione (*on Vaccine-Inoculation. Lond.* 1807. 4.) magnopere lectorum animos commovit, multa protulit exempla, quae partim ipse observavit, partim ab aliis medicis fide dignissimis cum ipso communicata accepit. Inter quae quanquam deprehendere mihi visus sum nonnulla, quorum probandi vis admodum debilis, ne dicam penitus nulla est, tamen et plura agnosco, quae extra omnem dubitandi aleam ponunt, posse hominem, qui morbo vaccino-varioloso infectus decubuit, etiam postea variolis adfici. Ad priora jure meritoque referenda sunt duo illa, quae de infantibus desumta sunt, quorum alter sex, alter decem diebus post inoculatas cum successu variolas vaccinas variolis correptus est (*l. c.* p. 39.). Etsi enim in utroque aegroto vehemens adfuerat febris, tamen pustulae jam sexto post eruptionem die exaruerunt, atque adeo breviora eruptionis, suppurationis, atque exsiccationis stadia fuerant, quam quae solent esse variolis veris. Idem judicium de aliis morbi ejusdem historiis faciendum est, a Willano memoriae traditis. Sed idem ego reperi quoque exempla ab illo prolata, quae certissime demonstrant, homines omnino posse corripi primo contagio variolarum vaccinarum, et dein morbi variolosi ipsius. Huc inprimis refero historiam infantum, quibus Kegworthi a Stephensono, medico inoculatore, virus variolosum sex mensibus post feliciter superatas variolas vaccinas insertum fuit hoc eventu, ut in puero, natu majore, octavo die febris incenderetur, et nono ac decimo die quam plurimae pustulae, rubello circulo cinctae, atque pure penitus repletae, brachia occuparent, in juniore autem febris vehementia minor esset,

unde pustulae cito exsiccatae brevi brunneum colorem induebant. Neminem fore equidem puto, qui prioris aegroti morbum variolas veras fuisse, negare sustineat. Itaque Exp. Jo. de Carro (*observat. et expér. sur la vaccinat. Vienn.* 1802. 8. pag. 177.) a veritate recedit, cum adserit, nullum exemplum variolarum, post variolam vaccinam ortarum, cognitum esse, de cujus veritate recte dubia moveri haud possint.

Neque tamen possum silentio hoc loco praeterire, exanthema, quod post variolas vaccinas observatum atque pro variolis veris ab Anglis habitum est, pustulas obtulisse parvas easque duras, quarum basis aut linea quasi purpurea, aut nullo penitus circello rubro circumsepta esset, quae denique, si, quod rarius locum habebat, in suppurationem transirent, puris exiguam tantum quantitatem in summo vertice continerent, reliqua pustulae seu potius tuberculi parte, longe majore, indurata et quodammodo cornea per plures dies remanente. Quae quidem omnia indicare videntur, pustulas istas, post admissum contagium variolosum in variis corporis partibus cum febre interdum satis vehemente prorumpentes, haud veras fuisse variolas. Haec tamen suspicio evanescit, cum animo reputamus nostro, e pure isto, cujus minima tantum copia in pustulis talibus continetur, in corpus humanum per insitionem translato, veras variolas progigni. Qua de re multa experimenta in nosocomio Londinensi, quod variolarum insitioni unice destinatum est, cum felicissimo successu instituta sunt.

Poterat fortasse haec variolarum eruptio, citius tardius post variolarum vaccinarum insitionem oriunda, inde explicari, quod hae non nisi brevi duraturam vim atque efficientiam, variolosam infectionem impediendi, possideant. Id quidem saepius ab adversariis variolarum vaccinarum dictum fuit atque adsertum. Sed experientia satis ampla luculentissime probavit, quam vana sit illa contra variolae vaccinae

utilitatem objectio. Taceo, quae in hanc rem ipse attuli in libello superius citato, pag. 46. Juvat nunc alia exempla proferre, quae superiora confirmabunt ita, ut eorum veritas convelli aut everti nullo modo possit. Et Fewstervs quidem, chirurgus Thornburgensis, in epistola quadam ad Rolphium Peckhamensem, a Pearsono [2]) publici juris facta, testatur, se anno cIↃIↃcclxviii, ubi cum Suttono, percelebri variolarum inoculatore, hoc ipsum negotium conjunctim tractaret, multos invenisse homines, quibus variolosum miasma efficaci modo inseri nullo modo posset. Hi homines narrabant, se variola vaccina quondam laborasse, indeque causam insitionis frustratae derivabant. De qua observatione gravissima quamquam tunc temporis statim Fewstervs ad societatem medicam Londinensem, cujus socius erat, retulerat, tamen res ante Jennervm a nullo medico digna habita est, ad quam animus attenderetur. Similia observavit Rolphivs *l. c.* p. 110. Quae cum ita sint, lubentissime accedo Willani sententiae, qui, cum adseritur, variolam vaccinam in diversis hominibus pro diversa constitutionis corporum ratione post exactos unum aut aliquot menses virtute sua, adversus variolarum contagium homines tuendi, privari, dum alios per sexaginta aut septuaginta annorum spatium ab hoc ipso morbo defendat, hanc adfirmationem nimis vagam pronuntiat, quam cui aliquid tribuatur (pag. 49.).

Quodsi igitur in dubium vocari nequit, laborare posse homines variolis veris, qui non modo infecti fuerint variola vaccina, sed etiam inde ortum morbum maxime usitato modo superarint, haud inutilem suscepturus esse laborem videtur, in causas, unde iste pendeat effectus, inquisiturus. Atque primo respexerunt medici ad febris vim, quae si nimis exigua esset, quam ut totum corpus justo modo concutere

---

2) *Untersuch. über die Geschichte der Kuhpocken* pag. 116.

posset, statuerunt, ejusmodi homines vaccinatos resistere quidem variolis, quas aeque exigua febris comitetur, incidere autem in variolas, quando febris hujus impetus major sit, quam fuerat vis febris vaccino-variolosae. Sed contra hanc exoriundarum post rite institutam vaccinationem variolarum explicationem recte moneri posse mihi videtur, hoc modo variam febrium gravitatem non ita definiri, ut vaccinis variolis infectus homo exploratum habeat, quid sibi sperandum timendumve sit. Dein experientia satis frequens comprobavit, aegrotos, qui e morbo vaccino-varioloso ita decubuere, ut de eorum vita medicus haud temere sollicitus esset, tamen etiam variolis admodum benignis nec adeo cum febre vehementi junctis correptos esse. Alia igitur causa superius commemorati effectus quaerenda est. Atque illam reperisse sibi visi sunt Angli in mutatione toni cutanei, a morbis exanthematicis pendente, qui post variolam vaccinam infantes adoriuntur. Morbillis enim, scarlatina, variolis spuriis et febre urticata, quibus morbis tussis ferina et dysenteria addi possunt, systema cutaneum ita debilitari ajunt, ut impetui miasmatis variolosi resistere haud possit. Quam quidem Goldsoni sententiam Willanus experientia confirmavit sua, qui ultra dimidiam partem eorum, qui morbo varioloso post feliciter superatam variolam vaccinam infecti fuerint, post hanc incidisse in morbillos, scarlatinam, variolas spurias atque tussim ferinam, observavit.

Neque mihi plane improbabilis ab initio videbatur haec sententia, apud animum meum reputanti vim atque efficaciam variolae vaccinae in febrem scarlatinam atque morbillos, in quorum epidemiis ab iisdem morbis liberi evasisse dicti sunt, qui paullo ante variolam vaccinam erant experti; porro in anginam equorum, quae a Gallis *Les étraguillons*, ab Italis *Strangolioni* cognominatur, et, teste illustri de Sacco, praecavetur insitione morbi vaccino-variolosi; dein in

similem canum morbum, contra quem ipse JENNERVS variolas vaccinas tanquam remedium prophylacticum commendavit; denique in pestem, cujus furorem coërceri a variolis ita, ut, qui hoc morbo laborarit, illius contagium difficilius suscipiat, adseruerunt EVSEB. VALLIVS et AVBANVS. Sed diligentius rem consideranti in mentem veniebant exempla hominum, qui, priusquam morbus vaccino-variolosus omnia stadia emensus esset, in scarlatinam inciderent. Inter quae maxime memoratu digna duo illa judico, quae memoriae tradita sunt a JENNERO (*Contin. disquisit.* p. 18.). Puella scilicet quinquennis, octavo post insitam variolam vaccinam die febre corripiebatur admodum vehementi, quae die proximo scarlatinosum exanthema protulit. Uterque morbus ita processit, ut alter alterum non turbaret. Unum erat, in quo morbus vaccino-variolosus a consueta ratione recederet. Etenim pustula, ad maturitatem accedens, areola rubri coloris admodum vividi destituta erat, quam diu scarlatinae vis vigeret; hac autem cessante, areola quoque in conspectum prodibat, solitoque modo decurrebat. In sorore hujus puellae, quae eodem tempore morbum vaccino-variolosum contraxerat, scarlatina quoque comparuit in facie et collo: vehementia, quae eruptionem praecessere, symptomata neutiquam rediere, cum exanthemata duabus aut tribus horis post subito evanescerent. Quam quidem rem cum JENNERVS miraretur, atque in ejus causam diligentius inquireret, hanc inveniebat in eruptione areolae, pustulam vaccinam cingentis et quasi circumvallantis. Die quarto, cum haec penitus se oculis subduxisset, scarlatina iterum aegrotum adoriebatur, absolvebatque decursum, qui a pustula vaccina, ad perfectionem suam tendente, interruptus erat. Ex his luculentissime, opinor, apparet, variolam vaccinam nihil valere ad muniendos homines contra scarlatinae contagium. Nam si hanc vim exserere haud potuit, exanthemate adhuc persi-

stente et cutaneum systema adficiente, longe minorem efficientiam prodet tunc, cum per aliquod tempus jam superatus morbus vaccino-variolosus, ejusque stimulus diu jam penitus sublatus est. Idem judicandum erit de morbillis et de peste inprimis. Quamquam autem hic morbus recentissimis temporibus inter eos relatus est, qui certissimam medicinam prophylacticam in variolis vaccinis reperisse dicti sunt tanta cum adseveratione, ut hac de re vix dubitari queat, tamen Exper. de Carro (l. l. pag. 84 — 131.) cum lectoribus suis varia communicavit, quae experimentorum, ab Avbano atque Vallio institutorum, fidem multum imminuere videntur. Quo referenda erit agendi ratio, quam Vallivs praecipue secutus est, quaeque circumforaneum magis, quam medicum decet. Etenim si hujus personam sustinere cupiebat Vallivs, sese non solum, ut probaret, variolam vaccinam pestis quasi antidotum esse, cum aegrotis, peste correptis, aedificio includendum, talibus hominibus recipiendis destinato, sed etiam materiam ichorosam, e bubone desumtam, sibi inserendam curare debebat ita, ut illud, testium fide dignorum auctoritate munitum atque confirmatum, nullam dubitandi materiem suggerere posset. Qui concedunt insitionem pestis cum materia, e bubone Marfini petita, ii adfirmant, illam non nisi e mortuo jam hujus corpore haustam fuisse. Plurimum autem interest, utrum e vivo, an e mortuo corpore materies purulenta fuerit sumta, quae pestem insitione propagare debet. Nam constat materiem vel maxime pestiferam morte fieri inertem: nec adeo periculosa et quasi capitalis res erat, inserere sibi materiam, unde plane nihil periculi poterat metui. Admiratione dignior fuit Desgenettivs, qui, ut milites, in Aegypto peste correptos, de periculo imminente tranquillos, morbumque, ex hac ipsa animorum cura ac demissione longe graviorem, leviorem redderet, e bubone hominis vivi, in quo malum ad maximum malignitatis

gradum adscenderat, pus haustum suo per insitionem intulit corpori. Neque vero nota sunt remedia, quibus Vallivs fortasse usus est ad vim veneni infringendam, si, quod ipse omnino adfirmavit, e vivo illud corpore petitum fuerat. Avbanvs enim (*l. c.* pag. 88.) contendit, Vallivm cum materia pestilenti miscuisse pus vaccino - variolosum, eamque mixtionem, cujus ratio silentio pressa est, vulneri, brachio sinistro inflicto, immisisse. Denique maxima obscuritate morbus ipse, quem Vallivs toleravit, involutus est. Nullus enim medicus ipsum, morbo decumbentem, conspexit: hoc unum scimus, Avbanvm et Pingonvm omnia, quae poterant, frustra tentasse, ut ipsum, qui sese die quinto post insitionem, ubi satis bene adhuc valeret, omnium conspectui diligentissime subtraxerat, convenirent. Ex his omnibus facile est ad intelligendum, Vallium hoc in negotio non omnino medici, veritatem unice sequentis, sed hominis, qui admirationem vulgi movere omniumque oculos in se, quocunque id tandem fieri possit modo, defigere studeret, personam egisse, nec ejus adeo exemplo posse probari vim variolarum vaccinarum, contagium pestis praecavendi aut ejus furorem infringendi, quoniam neque certum est, Vallivm sibi et variolas vaccinas et pestem simul inoculasse, neque de effectibus hujus insitionis certissime constat. Longe aptius ad persuadendum videtur illud esse, quod Avbanvs narrat de incolis pagorum Kiaghat Ghané et Ayas - Aya, qui neque peste, neque variolis unquam laborarunt, quamquam contagium utriusque morbi partim ab aegrotis, alterutro morbo jam adfectis, partim vestibus aliaque supellectile saepius illuc erat translatum. Cujus quidem eventus felicissimi nulla alia causa detegi potest, quam variolarum vaccinarum in istis pagis inter vaccas et ulcerum ad equorum ungulas malignorum (*the Grease*) praesentia fere perpetua.

Sed duo sunt, quae mihi suspicionem movent, non veram esse illam Aubani aliorumque sententiam de virtute variolarum vaccinarum contra pestem. Etenim inter medicos Hungariae, qui in vicinia finium imperii Turcici vivunt, quique a Schraudio, quondam Hungariae archiatro, publica auctoritate excitati erant ad experimenta hac de re instituenda, ne unus quidem intra quinquennium sua experientia illam Aubani sententiam confirmavit. Dein vix videtur explicari posse, quomodo alius morbus, qui hominem semel tantum per totam vitam adoriri solet, alium, qui saepius unum eundemque aegrotum ita adficit, ut, quem octies vivum dimiserit, nona, aut decima, aut duodecima adeo vice enecet, extinguere ejusque contagium supprimere queat.

Quorsum autem haec omnia hucusque disputavi? Scilicet eo, ut demonstrem, morbum vaccino-variolosum, quamquam neque contra scarlatinam et morbillos, neque contra pestem tanquam remedium prophylacticum jure potest commendari, et quamquam exempla hominum negari nequeunt, post rite institutam vaccinationem variolis correptorum, tamen maximopere mereri, qui insitione in omnibus omnino infantibus, variolarum contagio nondum infectis, propagetur. Nam illa exempla haud ita copiosa occurrunt, ut inde efficiatur, vanam esse nostram spem, fore, ut variolarum furiae morbo vaccinoso intra angustissimos fines coërceantur, quin penitus earum furor extinguatur. Dein etiam idem vitium variolarum insitioni potest obiici, quae cum optime instituta felicissime successisset, a variolis veris aliquot annis post sponte erumpentibus excipiebatur. Utrumque autem argumentum paullo subtilius, quam angusti hujus scriptionis fines id permittunt, tractandum est.

IX.

COLLECTANEORVM DE MORBO VACCINO-VARIOLOSO

CONTINVATIO II.

Programma d. x. Sept. CIↃIↃCCCXXIV editum, cum Fr. Gv. Hübner, Chemnit., med. et chirurg. Licentiatus esset renuntiandus.

Cum jam in eo sim, ut plurimorum votis satisfacturus, opusculorum meorum academicorum collectionem instituam eamque ob rem, quae muneris causa scripsi, attente relego, ut, si qua addi aut emendari debeant (quae haud pauca esse, probe sentio), adiiciantur emendenturque, video, me nomen, ante viginti et tres annos contractum, nondum solvisse. Nam cum anno hujus seculi primo disputationem: *De morbo vaccino-varioloso collectanea quaedam*, pro loco in facultate medica obtinendo conscripsissem, non omnem, quam collegeram, argumenti pertractati materiam, ob temporis brevitatem, cum lectoribus communicare potui. Nihil prorsus enim de variis rationibus, morbum vaccino-variolosum inserendi, dictum est. Praeterea quoque omnium, quotquot de hoc morbo prodiere, sive commentationum, sive librorum indicem adiicere animus erat. Denique, si promissis stare vellem, commemorandae erant regiones, in quibus variolarum humanarum pestis variolarum vaccinarum auxilio profligata, quin penitus coërcita est. De quibus rebus omnibus eadem nunc, quae olim necessaria fuisset, diligentia exponere propterea necessarium esse non vide-

tur, quod varii scriptores jam satis copiose de iis tractaverunt. Sic Chr. L. Schweickhardus[1]) omnes, qui de variolis vaccinis earumque insitione inde ab anno 1795 usque ad 1807 scripserunt, diligenter enumerare studuit, et Chr. Fr. Ludwigius seriem programmatum sedecim deinceps edidit, quibus historiam insitionis variolarum humanarum et vaccinarum exposuit, utramque invicem comparavit, et regiones, quae magno illo, quo Jennerus totum humanum genus sibi devinxit, beneficio usae sunt, notavit. Quamobrem haec missa faciam, nunc ea tantum prolaturus, quae de varia variolas vaccinas inserendi ratione quondam collegeram.

Cum inter omnes fere et medicos et chirurgos, qui inoculationem morbi vaccino - variolosi instituerunt, de incerto ejus successu querelae moveri soleant[2]), tempora omnino sunt diligentissime expendenda, quibus hic ipse ingratus eventus jure meritoque adscribi et possit, et debeat. Nam verendum haud temere est, ne ii, apud quos insitio hujus morbi, semel tantum administrata, omni caruit efficacia, si, neglecta ejusdem repetitione a variolarum contagio aliquando fuerint correpti, labem adspergant morbo

---

1) *Beyträge zur Literat. über die Kuhpock. u. ihre Impfung v. 1795 — 1807. Carlsr.* 1807. 8. Praeter hunc Ploucquetus (*Literatura med. digesta tom.* IV. pag. 279 — 286. et in *Supplem.* I. p. 210 — 212.) ultra quadringentos commemoravit de hoc argumento scriptores.

2) Jenner. *disquis. de caus. et effect. var. vaccin.* p. 59. Lavater. *Abh. v. d. Milchbl.* p. 62. inter LXXIII infantes, quibuscum morbum istum communicare conatus est, undeviginti erant, in quibus inoculatio iteranda esset. Nec repetita operatio successit in omnibus, sed quatuordecim tertia vice eidem subiici debebant. Decem denique neque a contagio vaccino-varioloso, neque a variolarum, postea insitarum, veneno afficiebantur. Idem experti et alii medici, qui Lavaterum de suis conatibus, inoculationem vaccino - variolosam promovendi, per literas certiorem fecerunt, et de Carro in epist. ad Ballhornium in hujus *Traité de l'inoc.* etc. p. 132. et Sybelius *l. c.* p. 57. 62. aliisque locis.

vaccino - varioloso, eumque in suspicionem nullius adversus variolas praecavendas efficientiae adducant. Quam ob rem Exper. Ballhornius et Stromeyerus inprimis laudandi sunt, quod accuratius, quam reliqui de variolis vaccinis scriptores, fontes rimati sint, e quibus tot frustratae insitionis morbi vaccino - variolosi fluant exempla. Et tres quidem commemorarunt, quorum primum in siccitate materiae, qua insitio plerumque perfici solet [3]), alterum in defectu perseverantiae insitionis tentamina repetendi, ubi unum alterumque exspectata effecta non produxerit [4]), tertium denique in morbis cutaneis praecipue ponunt, impedientibus, quominus miasma vaccino - variolosum efficaciam exserat suam [5]). Praeter hos autem fontes et alii sint necesse est, unde inoculationis vaccino - variolosae incerti eventus debeant derivari. Etenim et tunc ejusdem efficacia saepe destituimur, cum materia maxime recenti, h. e. tali, quae ipso insitionis tempore e variola vaccina desumitur, ad inserendum morbum utimur. Videntur quoque multum valere ad hujus miasmatis vim imminuendam aëris liberior ad illud accessio, paulo diuturnior materiae in variola vaccina commoratio, aëris atmosphaerici quaedam, nondum satis extricata constitutio et alia, quae cum

---

3) *Traité de l'inocul. préface* p. XXI. Hinc octo homines, quibus Pearsonus (*Untersuch.* etc. p. 31.) siccum ejusmodi miasma inseruit, a morbo vaccino - varioloso immunes manebant.

4) *Traité de l'inoc. vacc.* p. 40. Incidere enim tempora, quibus corpus humanum miasmati qualicunque in ipsum illato fortissime resistat, inter omnes medicos constat; nec haec impotentia veneno vaccino - varioloso ita propria quasi et peculiaris censenda est, ut illud hac in re cedat miasmati varioloso. De hoc enim idem observarunt Ballhornius in praef. ad Jenneri librum: *Untersuch. üb. d. Ursach. u. Wirkung. d. Kuhpock.* p. 2. not. Odier in vers. lat. Jenneriani libri pag. 28. aliique quam plurimi.

5) *Libr. cit.* p. 41. Scabiei inprimis mentionem faciunt. Praeter hanc et alii morbi, v. c. tussis ferina, inoculationis successum impedire creduntur. Id certe in duobus infantibus observasse sibi visus est Exper. Zieglerus apud Ballhornium *libr. cit.* pag. 134.

nondum experimentis confirmata sint, sed solis conjecturis nitantur, hac commentatione enumerare nolui, utiliorem operam perficere ratus, si eam, quam suscepi, historici scriptoris personam tueri atque diligenter colligere conatus fuero, quae, ad certum et constantem inoculationis morbi vaccino-variolosi eventum facientia, hic illic dispersa reperiri potuerint.

Quae quidem haud incommode ad haec tria capita referri posse videntur, ut primo ad materiem, qua morbus vaccino-variolosus inseritur, dein ad viam ac rationem, qua inoculatio institui solet, denique ad locum respiciam, quo commodissime miasma illud corpori humano adplicatur.

I. *Materies, ad inoculationem adhibita.*

Miasma illud vaccino-variolosum efficacissimum habetur, quod e pustulis desumtum est, nondum pus, sed lympham prorsus pellucidam continentibus, sive iis, in quibus foveola infundibuliformis, in earum apicibus conspicua, nondum penitus evanuit. Quoscunque enim Ballhornius et Stromeyerus [6]) purulenta materia vaccino-variolosa inficere studuerunt, ii infecti vere non sunt, sed ostenderunt potius symptomata quaedam dubia, a quibus signa infectionis vaccino-variolosae characteristica aberant [7]). E plurimis experimentis hac de re institutis iidem didicere, inde a septimo ad decimum, interdum ad duodecimum usque diem quam maxime idoneam esse materiam ad morbi vaccino-variolosi inoculationem perficiendam [8]). Sed cum supra monerem, hunc ipsum

---

6) *Libr. laud.* p. 64.

7) Vide *Medic. and phys. Journ.* 1800. *Dec.* p. 489. ubi observatio medici celebris Londinensis adfertur, qui cum pure uteretur, sub crusta variolosa hausto, morbum inflammatorium, eumque gravem produxerat.

8) Idem statuit et Pearsonus apud Ballhornium *l. c.* pag. 97. quamquam arctioribus adhuc limitibus tempus intra octavum ad

morbum ob aegroti corporis constitutionem, materiaeque insitae majorem minoremve efficaciam etc. nunc intra angustiores, nunc intra latiores terminos concludi, apparet aptitudinem miasmatis vaccino - variolosi ad infectionis producendae effectum muniendum non e dierum numero, quibus morbus perduravit, sed e pustulae habitu et forma esse dijudicandam. Hinc Macdonaldvs [9]) ad rubedinis erysipelaceae efflorescentiam potius, quam ad morbi durationem respexit, statuitque, materiem ad felicem inoculationem minus aptam esse, rubore illo erysipelaceo, pustulae basin cingente, jam orto. Quam quidem temporis, ad colligendum miasma vaccino - variolosum idonei, definitionem experimentis aliorum medicorum non confirmari scio. Nostri enim medici optimo cum successu utuntur lympha, e pustulis desumta, in quarum basibus erysipelaceus circulus jam apparere coepit. Illustris Kreysigivs autem, a septimo usque ad decimum diem miasma colligens, cum suadere videatur, ut mature illud, h. e. septimo die, filis telae gossypinae excipiatur, fortasse minus bene maturatam, sed crudam adhuc eamque ob causam acriorem materiam habebit. Exper. enim Kappivs, quem honoris et observantiae causa nomino, observasse sibi visus est, a tali lympha vulneris facti inflammationem effici majorem. — Pustula porro, si fortasse rupta fuerit, lymphamque aëris accessui exposuerit, parum laudabilem materiem suppeditabit, quippe quae per hoc ipsum cum aëre atmosphaerico connubium destrui et vi atque efficientia sua privari videtur [10]).

---

undecimum usque diem concludit. Neque ab hoc praecepto recedunt apud nos medici, qui variolis vaccinis inserendis operam dant, quibusque certissimus inoculationis successus a materia, octavo aut nono die e pustulis vaccino - variolosis desumta, observari solet. Vid. et *Lond. med. and phys. Journ. Dec.* 1800. pag. 489.

9) Vid. *Blätter f. Polizey u. Cultur.* 1801. *St.* 6. p. 14.

10) Hvsson *recherches hist. et méd. sur la vaccine, à Par. an* IX. pag. 83.

Nescio, an ad hoc phaenomenon explicandum aliquid facere possint cum experimenta GIRTANNERI [11]), quibus constitit, virus variolosum, maxime efficax, ubi per aliquod tempus aëri oxygenetico expositum fuerat, omni vi privatum esse sua, tum observationes, e quibus patuit, materiam vaccino-variolosam, cuspidi cultelli chirurgici illatam, ubi haec intra brevissimum tempus robigine obducta fuerat, omnem inficiendi virtutem amittere, nec aquae vaporibus sive saliva emollitam morbo vaccino-varioloso producendo amplius sufficere [12]).

---

11) Cons. J. H. VOIGT's *Magaz. für d. Neueste a. d. Physik u. Naturgeschichte.* Vol. X. P. I. p. 183. ad quae experimenta provocat GIRTANNERVS, *Abhandl. üb. d. Krankheit d. Kind.* pag. 203.

12) BALLHORN et STROMEYER, *libr. cit.* pag. 79. HESSERT et PILGER, *über die Kuhpocken und deren Impfung. Zweite Aufl.* 1801. p. 23. 24.

X.

COLLECTANEORVM DE MORBO VACCINO-VARIOLOSO

CONTINVATIO III.

Programma d. xix. Octobr. cIↃIↃCCCXXIV scriptum editumque, cum Fr. Jvl. Siebenhaar, Gersdorfio-Lusatus, medicinae et chirurgiae Licentiatus crearetur.

Quamquam nuper probare conatus sum, inoculationem morbi vaccino-variolosi propterea saepissime optato carere successu, quoniam materia inficiens longe tardius, quam a me indicatum est, e pustulis vaccinis deprompta fuit [1]), tamen non is sum, qui omnino negare sustineat, nunquam plane a tali materie morbum vaccino-variolosum produci. Novi enim medicum Hannoveranum, qui ad hunc morbum feliciter inserendum pure usus est, quod e pustulis suppurantibus hauserat, eruptionis vaccinae subsequentis nomine insignitis: infectio vere locum habuit, symptomatibus non nisi paulo vehementioribus, quam esse solent, cum variola vaccina sine eruptione pustulosa subsequente evanescit. Et alius pueri notitiam habeo, qui inter pueros vivens, e variolis vaccinis inoculatis eruptione adhuc subsequente laborantes, exanthemate quodam correptus, quod fortasse ejusdem cum eruptione illa naturae fuit, anno post variolarum insitioni, quae in ipso duobusque consanguineis instituebatur, bis aeque ac contagio restitit, cui, dum hi aegrota-

1) Vid. Lvd. de Sacco, *neue Entdeck. üb. d. Kuhpock.* p. 85.

bant, perpetuo expositus erat. Hellwagius autem ipsi crustae, qua variola vaccina tandem obtegitur, vim, in sano homine morbum vaccino - variolosum producendi inesse animadvertit [2]). Quod quidem exemplum si omni dubitatione superius fuerit, crusta illa pustulam certissime texerat, non ruptam, sed cujus limpida contagiumque vaccino - variolosum continens materies, aquosis particulis absorptis, sensim sensimque spissior reddita, partem crustae effecerat. Nam alii crustas pustularum vaccino - variolosarum, ad quarum interiora ob superficiei rupturam aëri atmosphaerico liber aditus patuerat, prorsus inefficaces ad insitionem morbi procurandam deprehenderunt.

Quae hucusque attuli, ea spectant materiam recentem, e brachio aegroti hominis in brachium sani insitione transferendam. Sed non omnibus medicis omnique tempore contingit esse tam felicibus, ut recenti materia ad inoculationem morbi vaccino - variolosi uti possit. Quamobrem, cum in antecedentibus jam monitum sit, inoculationem hujus morbi uti in universum, ita inprimis tunc, cum ad eam sicca materies adhibita est, nostram spem, de ejus successu conceptam, saepius fallere, maxima animi attentione opus est, ut eam sic conservemus, ne nostra culpa ejus efficacia brevissimo tempore evanescat [3]). Tres potissimum eo consilio vias ingressi sunt Angli, cum venenum vaccino-variolosum in exteras, easque interdum maxime dissitas transmitterent regiones. Etenim materiem, e pustula vaccino - variolosa aut filis telae gossypinae subtilioris excipiebant, quae sive charta

---

2) *Nord. Archiv* I. p. 413. De qua crustae efficacia in sequentibus plura adhuc commemorabuntur.

3) In causas breviter durantis efficaciae, in veneno vaccino - varioloso observatae, inquisiverunt Ballhornius et Stromeyerus, *l. c.* p. 71. quas, cum sint fere omnes in conjecturis repositae, h. l. enumerare nolui.

duplicata [4]), sive vitreis vasculis includebantur, aëre sic dicto hydrogenetico plenis [5]), aut cultellorum chirurgicorum acuumque latarum cuspides, veneno vaccino-varioloso infectas iterumque siccatas, vel chartula involvebant, vel obturaculo suberino includebant, ita, ut, hoc vasi vitreo angustiori [6]) adeoque aëris paucam quantitatem continenti tanquam epistomium applicato, non nisi cuspis in vasis cavitatem promineret. Aëris atmosphaerici accessus ad vasis interiora impediebatur inducta obturaculo suberino solutione spirituosa cerae signatoriae. Habet tamen haec virus illud conservandi et transmittendi via ac ratio sua incommoda. Nam aut parva inclusi aëris copia, aut ipsius veneni vi cuspides instrumentorum ferreorum robigine obducuntur, qua indoles veneni ita immutari solet, ut aut plane nullam efficaciam exserat, aut morbum producat spurium, nec a variolarum contagio munientem. Cui quidem incommodo obviam ire studebant Ballhornivs et Stromeyervs [7]) aut adhibitis acubus argenteis, aut inducta cuspidi ante infectionem tenui vernicis crusta, cujus fragmenta autem, fortasse sub instrumentorum usu ab eorum superficie maxime laevigata decedentia, cum simul vulneri inflicto inferantur, stimulum producent, veneni vaccino-variolosi efficaciae adversum. Argenteas igitur acus praetulerim. Sed cum nondum experimentis constet, quid aër atmosphaericus valeat ad veneni illius naturam immutandam, videtur quoque omnis omnino aëris contactus diligentissime arcendus esse a cuspidibus

---

4) Exp. Hellwagivs subtiliores stanni laminas adhibuit, sicque involuta fila vitreo vasculo probe obturato immisit. *Nord. Arch.* I. p. 429. Vid. et Osiander, *l. c.* p. 160. qui omnino de hoc argumento consulendus est.

5) *Phys. med. Journ.* 1800. p. 660.

6) Ballhornivs cum Stromeyero vitrum satis amplum adhiberi volunt: non recte, opinor. *Libr. cit.* p. 79.

7) *L. c.* p. 79.

veneno illo imbutis. Quo quidem consilio vitrea vascula elegerim admodum angusta, nec profundiora, quam ut cuspidem prominentem capere possint, eorumque probe calefactorum aperturam obturaculo suberino, ut aër externus eo certius a vasculi ingressu praecludatur, densa vernicis brevi siccescentis crusta obducto, subito occluserim. Hoc aëre, per calorem multum rarefacto, retentum venenum diutius fortasse virtute gaudebit sua. Conjecturae autem huic parum tribuo, cum experimentis solis accurate institutis, saepiusque repetitis hac in re sit fidendum [8]).

Tertia adhuc commemoranda est via, qua materiei, ad inoculandum morbum vaccino - variolosum aptae, vis et efficacia per longum temporis spatium potest conservari. Tabulas nempe vitreas duas, maxime aequali et laevigatissima superficie instructas, ejusdem magnitudinis, pustulae vaccino - variolosae, turgidae eique apertae affricare solent, ut alterutra earum superficies inde inficiatur: quo facto hae superficies post siccatam, quod brevissimo tempore contingere solet, lympham sibi invicem impositae filo lineo aut sericeo firmantur, marginesque tabularum vitrearum cera liquefacta diligenter obducuntur aliove modo muniuntur [9]). Quae quidem materia vaccino - variolosa si in usum vocanda est, remotis a se invicem tabulis vitreis, guttula aquae [10]) humectatur, atque ad eam fluiditatis

---

8) Ad similia experimenta capienda medicos invitant BALLHORNIVS et STROMEYERVS, ut certiores reddamur, quamdiu filorum, veneno illo bene imbutorum, et tubis barometri arctissime clausis asservatorum, vis sit duratura. *L. c.* p. 79.

9) KRAVSIVS, loco paulo post citando vesicae madidae lacinia vitra colligata involvit.

10) Frigidam sunt, qui praeferant. Levissimum enim caloris gradum vim veneni hujus infringere monuit JENNERVS. Vid. ODIER (*Die Kuhpocken, ein Mittel* etc. p. 82.) Verebar tamen, ne hac in re a vero aberraverit JENNERVS, cum SYBELIVM *l. c.* p. 42. tepida usum eodem consilio, spe sua non excidisse, sed morbum feliciter produxisse vaccino - variolosum legerem. Interim LVD. SACCO (*Neue Entdeck. üb. die Kuhpocken* etc. *Leipz.* 1812. 8. p. 85.), multis experimentis institutis invenisse videtur, JENNERVM recte observasse.

gradum perducta, qui oleis proprius esse solet, cuspide cultelli chirurgici in cutis vulnusculum inseritur. Hoc modo Parisiis Holmiam, Genuam et ad plurimas Galliarum urbes translatum venenum vaccino-variolosum effecta edidit exoptatissima [11]). Sed cum semper praestet fluido adhuc veneno uti, non illo siccato iterumque soluto, quod si omnino efficax sit, efficaciam suam longe tardius recenti prodit [12]), praeferenda est illa, a Ballhornio et Stromeyero descripta methodus, qua fluida veneni natura diu conservari potest [13]). Principem hujus apparatus partem duae itidem constituunt tabulae vitreae, quarum superficies contiguae poliendo ita laevigatae sunt, ut sese invicem accuratissime contingant. Hae superficies ita obducuntur tenui crusta cerati citrini, ut ea a cavitate, alterutri vitro insculpta, tribus aut quatuor lineis distet. Jam profluens ex apertis pustulis lympha excipitur gossypio aut linteo carpto, quod probe madidum isti cavitati immittitur, tegiturque altera tabula vitrea, cum vi quadam alteri appressa. Ambarum accuratior contactus munitur circumductis filis lineis aut sericeis; margines eodem cerato liquefacto, totusque apparatus solutione spirituosa cerae signatoriae obducuntur. Hoc quidem modo per tres septimanas conservata est efficacia veneni, quae nec desiit, cum idem gossypium, unde semel jam inoculationis materies deprompta fuerat, intra cavitatem vitri denuo conclusum, post quindecim dies ad novam insitionem variolarum perficiendam adhiberetur.

Praeter has tres vias ac rationes, miasma vaccino-variolosum ita conservandi, ut aut post longius tempus conservari, aut ad remotiores regiones sine

---

11) Hvsson. *l. c.* p. 83 seq. Hanc methodum, ut optimam, commendavit Ge. F. Kravs (*Die Schutzpocken-Impfung* p. 249.).

12) Hvssono teste pag. cit.

13) *Traité de l'inoculat. vaccine.* p. 72.

efficaciae suae jactura transmitti possit, duae adhuc commemorandae sunt. Quarum quidem alteram, quae in carbone satis efficacem materiam invenit, qua illius miasmatis corruptela diu praecaveri queat, non nisi e libri franco-gallici indice cognitam habeo, infra allato [14]): altera autem, quae crustis vaccinis, bene siccatis, ad morbi propagationem utitur, quamquam a multis reprehensa est, tamen multa habet, quibus se haud temere commendet. Equidem sine ullo partium studio commoda expendam, cum hac vaccinarum variolarum, per crustas bene siccatas inserendarum, ratione conjuncta.

---

14) *Decouverte nouvelle d'un procédé simple et facile, pour conserver pendant plusieurs années le fluide vaccin intact, l'avoir toujours disponible à l'exporter dans les pays les plus éloignés, sous la ligne, aux tropiques et aux pôles, sans que l'espace, le tems et les diverses températures puissent ni le détruire, ni l'altérer, précédée d'un problème, dont la solution a donné lieu à ces heureux résultats, et suivie d'une dissertation sur le succès de la vaccine dans le cas de la fièvre quart; par* Charl. Edovard Avber, Doct. en méd. etc. *à Par.* an XIII. 8.

XI.

COLLECTANEORVM DE MORBO VACCINO-VARIOLOSO

CONTINVATIO IV.

Programma d. XXIX. Octobr. CIↃIↃCCCXXIV evulgatum, cum GV. LVD. BERNHARD, Kleinjenae natus, Licentiati medicinae et chirurgiae honoribus esset ornandus.

In crustis, quae pustulas vaccino - variolosas tegunt, diu conservari posse vim, morbum hunc producendi, nuper monui, promisique, hac de re accuratius exponere.

Qui primi post *Jennerum* variolarum vaccinarum beneficium latissime divulgando de genere humano bene mereri studuerunt, ii fere omnes in ea versabantur opinione, ut putarent, nisi materies ad insitionem adhibita e pustulis bene formatis die septimo vel octavo hausta fuerit, veras non produci variolas vaccinas, sed potius exanthema oriri, quod vi careat, variolosam infectionem per omnem vitam impediendi. Quo magis autem numerus eorum augebatur, qui in remotissimis regionibus liberos suos vaccinationis auxilio a pestifero illo variolarum morbo defendere cupiebant, et quo saepius tempora incidebant, quibus, quamvis recens materies vaccino - variolosa deesset, tamen insitio differri plane non poterat, eo certius cognita est illius opinionis falsitas. Etenim tunc ad crustas quoque vaccinarum pustularum confugere, earumque vim inficientem experiri coacti fuerunt. Primus, qui hac via usus est, teste Exper. DE CARRO, Vindobonensi,

Jac. Bryceus, chirurgus Edinensis, fuit [1]), quem qui sequebantur, diligenter enumerati sunt a Lud. de Sacco *l. c.* p. 100. Ab eo inde tempore haud dubitarunt medicorum plurimi, quominus virus vaccino-variolosum, crustarum auxilio diu conservatum tuto et cum certa successus spe ad variolas vaccinas inserendas adhiberi possit. Sed alii viri, iique maximae auctoritatis, in contraria versati sunt, et adhuc versantur sententia. Inter hos jure referendus est Ludov. de Sacco, qui cum quinquies centena millia infantum sua inoculaverit manu, maximam fidem mereri videtur. Duodecim infantibus, experimenti causa, variolas vaccinas inseruit ita, ut eorum duobus non nisi rasam et saliva emollitam crustam in utroque brachio, reliquis decem autem in altero brachio similem materiam, in altero autem recentem lympham applicaret. Cum autem duo primi infantes morbo tutorio plane non adficerentur, reliquorum decem autem non nisi tres pustulam in eo brachio, cujus cuticulae vulneratae crusta rasa eaque soluta illata fuerat, ostenderent, cum omnia, in altero brachio facta, et contagio vaccino-varioloso recenti infecta vulnuscula optimas pustulas produxissent, statim inde crustas vaccino-variolosas minus idoneas esse ad contagii hujus efficaciam diu conservandam statuebat. Sed quam ingressus est viam Exper. de Sacco, ea a fallaciae periculo libera esse haud videtur. Nam illud primo haud temere viro eruditissimo obiici potest, quod non sine partium studio disquisitionem illam susceperit, quippe qui *l. c.* p. 100. disertis verbis testetur, se jam ante instituta experimenta de eorum prospero eventu dubitasse. Dein hoc quoque contra moneri recte potest, quod simul cum miasmate, cujus vis atque efficientia

---

1) Vid. ejus *Practische Beobacht. üb. d. Impf. d. Kuhpocken u. s. w. A. d. E. m. Anmerkk. v. Fr. Ghf. Friese. Bresl.* 1803. 8. p. 101.

tardius se exserit, h. e. crusta vaccino-variolosa contento, aliud corpori inferret, efficacius illud, quod lymphae recenti, quam pustula vulnerata die septimo aut octavo post insitionem effundit, inesse solet. Hujus enim stimulus fortior debiliorem obtundere debet. Denique et in ipsa ratione, crustam, quacum insitio instituenda est, tractandi infelicis experimentorum successus causa latere videtur. Nam de Sacco rasam crustam aqua solvit, adeoque ejus vim multum debilitavit: dein totam crustam prius, quam ipsam aqua solverat, vario modo digitis contrectavit, quo omnino fieri poterat, ut contagium abstergeretur. Id ipsum quoque celeberrimum virum commovit, ut nova experimenta institueret. Sed nec haec probari possunt. Nam in his quoque vario modo crustae, dum radebantur, digitis contrectatae, et aqua solutae sunt; solutio autem, cui olei consistentia erat, in vitreis vasculis ad futuros usus servata, et tandem in usum vocata, aeque ac in pristinis experimentis, non sola, sed recenti lymphae semper juncta ad insitionem adhibebatur. Hinc non omnia vulnuscula, cum crustis aqua solutis infecta, pustulas generabant. Cum autem Saccovs his experimentis simul hoc eruere cuperet, utrum inter crustas curiosior delectus haberi debeat, an omnes omnino, cum illae, quae a pustulis regularibus, neque apertis aut suppuratione vitiatis proveniunt, tum illae, quae secus se habent, ad inoculationem possint adhiberi, invenit, omnes infantes, in quibus cum hujus generis pustulis insitio instituta erat, inde aut nullum omnino effectum percepisse, aut exanthemate spurio, variolarum humanarum contagium nequaquam supprimente, adfectos esse. Quam ob rem Saccovs *l. c.* p. 102. licet crustas, ad diu conservandam contagii vaccino-variolosi efficaciam prorsus ineptas esse declaret, tamen in earum delectu summam curam adhibendam esse putat.

Sed aequum justumque est, non sola hujus viri auctoritate acquiescere, qui, quamvis magna nominis celebritate, et largae experientiae usu reliquos medicos facile vicerit, tamen suspectae fidei testis propterea esse videtur, quoniam et sua experimenta minus apte instituit, et eorum successum, praeconcepta ductus opinione, male diiudicavit. Praeter BRYCEVM, antea commemoratum, legi hanc contagium vaccino-variolosum diu conservandi rationem commendatam fuisse a medicis Holsatiensibus in HVFELANDI *bibliotheca med.* Vol. IV. p. 90. seq. et cum optimo successu adhibitam ab Exper. KNAVSIO in quinque infantibus, quorum cuticulae vulneratae crustarum, per septem menses servatarum, pulverem saliva madefactum intulerat [2]). Porro medicos Danos hanc per crustas inserendi methodum repetitis experimentis suis confisos, commendasse e *Novellis Hamburgensibus* anni 1807. et Exper. Vindobonensem medicum DE CARRO anno hujus seculi decimo eodem modo veras variolas vaccinas produxisse, didici e CLESII lib. laud. p. 26. Et narravit mihi, cum nuperrime sermones hac de re consereremus, Illustr. CLARVS, se saepius crustis ad producendas variolas vaccinas optimo cum successu usum fuisse, et si plurimorum experimentorum notitia e re mea foret, me ad Exper. urbis nostrae medicum, CHRIST. FR. RICHTERVM, amandavit, qui inter nos inserendis variolis vaccinis plurimam eamque maxime laudabilem impendit operam. Is autem ratione benevole mecum communicata, qua crustas variolarum vaccinarum ad futuros usus diu conservare soleat, adfirmavit, se, quotiescunque crustis ad producendum exanthema illud usus fuerit, nunquam spe delusum esse. Praeter hosce viros legi quoque in HVFELANDI *Diario med. pract.* Vol. XXXV. Pa. V. p. 5. Illustr. BREMERVM, medicum Berolinensem, quinqne infanti-

2) Vid. *Salzburg. med. chir. Zeit.* 1802.

bus variolas vaccinas, crustarum ope, feliciter inseruisse. Omnium autem studiosissime hanc contagii vaccino-variolosi conservandi rationem commendavit Clesius, medicus Confluentinus [3]), et maxime memorabile retulit exemplum per quinque annos cum dimidio servatae in crusta contagii efficaciae. Si vera sunt, quae Vir Experientissimus *l. c.* p. 22. not. *b.* adseruit, haec ipsa, per crustas inserendi ratio, si diuturnitatem contagii sic adservati spectemus, reliquis omnibus praestat. In qua quidem re variolae vaccinae egregie cum humanis conveniunt, quas quoque crustarum ope sanis infantibus inseri posse multorum scriptorum testimoniis constat. E multis unum Sarconeum laudo, qui in egregio suo de variolis libro, a Lentino in nostram ex italica lingua translato, de hac crustarum virtute contagiosa egit, probavitque, eas tantum crustas hac vi pollere, quarum cuticula illaesa ab intus contento pure aëris accessum removerit. Principium enim oxygeneticum, quod aëri atmosphaerico inest, contagiosam puris variolosi naturam delere, diu jam Girtanneri innotuit experimentis, qui, ubi saepius ejusmodi pus adservaverat vasculis, aëre oxygenetico refertis, id suam contagiosam naturam amisisse deprehendebat. Omnia enim conamina, morbum variolosum tali pure producendi, irrita fuerunt. Quare non potest Clesii opinio ferri, qui pelluciditatem crustarum a principii oxygenetici copia derivavit *l. c.* p. 21. Nam, illo principio in crusta praesente, ab ea abesse debebat inficiendi sanos infantes vis ac potestas, quam crustae alias exserunt. Dein mihi quidem incognita sunt exempla corporum, quae propter accumulationem illius principii pellucida fuerint reddita. Vitrum enim antimonii seu oxydum anti-

---

3) *Epist. an d. Zentral - Soc. d. Schutzpocken - Impf. z. Par. üb. d. Vortheile d. Schutzpock., wenn man dieselb. in d. Kruste einimpft. Hadam.* 1812. 8.

monii vitrificatum huc referri ab eo tantum poterit, qui in defendenda opinione omnia corradit, quae vel levissimam verisimilitudinis speciem prae se ferunt. Si enim illi exemplo probandae rei, cujus causa adducitur, aliqua vis inesset, longe majori veritatis specie pelluciditatis fons in principio carbonio quaeri poterat, quippe quod adamantem, hac inprimis virtute maxime nobilitatum, totum constituit.

Ne autem partium studio aliquid celasse videar, addam, contra hanc methodum, variolas vaccinas crustarum ope inserendi, Francofurtensem medicum, Frankivm, Boruss. regi a consiliis regiminis, acriter pugnasse in Kavschii *memorabilium* to. III. p. 243 s. et ex illa derivasse ortum variolarum, in omnibus, in quibus vaccinatio eodem modo fuerat perfecta, observatarum.

XII.

COLLECTANEORVM DE MORBO VACCINO-VARIOLOSO

CONTINVATIO V.

Prolusio d. XVIII. mens. Mart. A. CIƆIƆCCCXXV scripta et edita, cum in Jo. Fr. Wilhelm, Megalo-Haynensem, Licentiati utriusque medicinae titulus et honor esset conferendus.

Ad alteram nunc argumenti propositi partem progredior, quae in

II. *via ac ratione, qua insitio vacciolae institui solet,*

exponenda occupabitur.

Antiquissima autem methodus plane cum ea conveniebat, quae in variolis inserendis fuit adhibita. Scilicet cutis, plerumque brachii, eo loco, quo insertio musculi deltoidis locum habet [1]), semel aut bis terve incidebatur, vulneribusque miasma vaccinicum vario modo inserebatur. Nam cum ab initio rarissime cum lympha vaccinica recenti insitio perfici posset, sed miasma aut filis gossypinis sive lineis exceptum, aut duobus vitris planis illinitum, e valde dissitis locis petendum esset, vulneri cuilibet tale filum, cujus lympha antea aut aquae bullientis vaporibus, aut anima oris emollita erat, immissum emplastro firmaba-

---

1) Hunc locum propterea quoque eligebant medici, quoniam quo altius in brachio vulnus fuerat inflictum, eo magis impediri posse credebant, ne infantes scabendo pustulas vaccinicas laederent, atque sic insitionis successum turbarent. Vid. Sacco *l. c.* pag. 123.

tur; aut si fluida lympha, intra duo vitra plana, in quorum altero foveola erat excavata, conclusa ad nos allata fuerat, haec vulneribus adfricabatur. Neque tamen inter omnes, qui vaccinationis negotio vacabant, de vulnerum horum ratione constabat. Alii enim profunde incidebant cutim, et copiosius sanguinis profluvium adeo non timebant, ut potius inde meliorem insitionis successum sperarent. Sed cum hoc modo saepe vaccinatio plane non succederet, miasmate aut una cum sanguine statim e vulnere rursus ejecto, aut ejus natura inflammationis vi atque efficacia sic immutata, ut contra variolarum contagium nullam suppeditaret securitatem, hanc inserendi methodum plurimi medicorum reiiciendam putarunt. Quo accedebat, quod profluentis sanguinis adspectus non solum infantes maximopere terret, et ad maximos ejulatus movendos impellit, sed etiam matres molliores et delicatulas ab hac operatione, in infantibus suis instituenda, reddit alienas. Denique profundiores cutis incisiones ulcera difficulter sananda relinquere solebant, et si tandem cicatrix induceretur, haec admodum informis erat, et brachii pulchritudini in sexu sequiore valde inimica. Quae quidem incommoda, quamquam experientia saepissime repetita fuerunt confirmata, tamen nondum omnes omnino medicos permovere potuerunt, ut ab illa inserendi methodo prorsus abstinerent. Sic noverat Ge. Fr. Kravs [2]) adhuc medicum quendam, qui ab illa, profunda et multum sanguinem fundentia vulnera infligendi consuetudine recedere nolebat.

Alii contra ea medici adeo suspensa manu cutim scalpello vulnerabant, ut sanguis vel nullus, vel paucissimus proflueret. Qui hanc sententiam amplectebantur, in duas partes discedebant. Alii enim in eo

---

2) *Die Schutzpockenimpfung in ihrer endlichen Entscheidung u. s. w. Nürnb.* 1820. 8. p. 254.

solo acquiescebant, ut cuticulam cultri apice levissime finderent, huicque incruento vulneri materiam vaccinam bacilli ope adfricarent. Ubi vivida adest vasorum lymphaticorum actio, a solo lymphae vaccinae ad cutim aut de industria facto, aut fortuito attritu observata est verae vacciolae eruptio. Sic qui vaccarum ubera, in quibus vacciolae deprehendebantur, emulgebant, etiamsi ne minima quidem cutis laesio locum haberet, tamen, nisi antea variolis jam laboraverant, a vacciolis corripiebantur. Et Pantzervm narrat Kravsivs *l. c.* p. 255. cum infanti vacciolam inserere cuperet, tantam resistentiam expertum esse, ut a proposito abstinere satius duceret. Nihilominus quarto die post in brachio pustula efflorescebat, quae signa vacciolae characteristica offerebat. Idem in alio infante ab eodem viro observabatur. Sufficit igitur omnino, ut vaccinatio bene succedat, dummodo cuticula leviter findatur, atque lympha inficiens usque ad rete mucosum Malpighii penetret, e quo uti vasa absorbentia originem sumunt, ita quoque in eo pustula vaccina sedem suam figit. Alii certiorem fore tunc demum insitionem opinabantur, cum locum, in quo vaccinationem perficere cupiebant, leniter scalpelli ope radendo epidermide prius privassent, quam cutim inciderent. Quam inserendi vacciolas rationem quamquam Reilivs [3]) reliquis omnibus praetulit, tamen hujus viri auctoritate haud moveor, ut ejus sententiae accedam. Nam operationis longior duratio, quae in infantibus, saepe nimium inquietis, maxime fugienda est, dolor temere inde excitatus, inflammatio sic producta major, atque vis vasorum absorbentium per eam imminuta justas mihi suppeditare videntur causas, ob quas a Reilio dissentiam. Et haud dubie hae similesque causae permoverunt summum magistra-

---

3) *Ueber Erkenntniss und Kur der Fieber. Halle* 1815. *B. V.* pag. 352.

tum, qui in circulo Retzatensi regni Bavariae sanitatis publicae curam gerit, ut illius methodi vaccinandi usum medicis interdiceret [4]). Huic autem superficiei, cuticula denudatae, sunt, qui tres adhuc parallelas incisiones imprimant [5]).

Vulneranda autem cutis brachii cujuslibet bis terve sic est, ut incisiones parallelae justis intervallis a se invicem remotae sint. Plerumque istud intervallum pollicem unum aut sesquipollicem finiunt. Cum autem tria vulnuscula, sic juxta se posita, majus, quam par est, spatium occupatura sint, suadet Kravsivs, ut ea trianguli in formam cuti incidantur. Directio horum vulnerum horizontalis fere omnibus placuit et adhuc placet medicis, qui vaccinationi divulgandae operam dant; pauci tantum longitudinalem praeferunt. Mihi, si insitionis successum respexerim, inter utramque rationem nulla differentia intercedere videtur. Nam si quis longitudinales incisiones horizontalibus propterea praetulerit, quoniam sic manus chirurgi melius firmiusque fulciri possit, et labia vulneris, secundum directionem fibrarum muscularium facti, facilius coëant, cicatrice fere nulla relicta, vereor, ut haec argumenta sint ad persuadendum apta. Nam vulnera parti infliguntur, in qua parum interest, quonam potissimum loco cuticula laedatur. Quam ob rem etiamsi vulneris directio per tremulam chirurgi manum a linea recta deflecteret, id neque parti laesae, neque operationis successui damnum adferret. Dein cum leviter tantum cuticula findatur, vulneris nullum vestigium relinquetur, sive illud horizontali, sive longitudinali modo fuerit directum. Uti autem de vulneris directione inter medicos non constat, ita etiam ratione magnitudinis ejusdem a se invicem discedunt. Etenim alii in pollicis longitudinem et ultra extendebant vul-

4) Kravs *l. c.* p. 254.
5) Ibid. p. 260.

nera; alii ea intra angustius spatium concludebant, nec una linea aut sesquilinea longiora faciebant. Prius videtur tunc temporis necessarium fuisse, cum materies sicca ad insitionem vacciolae adhiberetur. Nam tunc, quo brevius vulnus factum erat, eo majus obtinebat periculum, fore, ut insitio frustra sit suscepta. Nunc vero, cum recens e pustula vaccina hausta lympha statim ad vaccinationem adhiberi solet, brevioribus plagis unius aut sesquilineae sine nostrae exspectationis frustrandae metu contenti esse poterimus. Olim scalpellus, materia vaccina infectus, aliquamdiu in vulnere relinquebatur, et repetitis vicibus supra illud detergebatur, ut eo facilius lympha inficiens a vasis lymphaticis resorberi posset. Sed utrumque, cum vulnus magis irritet atque sic inflammationem intendat, vitandum esse videtur, inprimis cum, quo celerius aëri aditus ad vulnus, eique adhaerentem lympham vaccinam praecludatur, eo certius sperare possimus, ut insitio vacciolae successu optato haud careat. Videtur enim per principii oxygenetici connubium cum lympha inficiente hujus vis et efficacia, quemadmodum alias jam monui [6]), multum imminui. Quam ob rem audiendi non sunt, qui profluentem ex aperta pustula lympham aëri expositam relinquunt, donec sensim spissior et simul tenacior reddita fuerit. Nam praeter illam lymphae mutationem, quae ab accedente principio oxygenetico efficitur, spissior lympha hoc etiam incommodi habet, ut difficulter lanceolae apicem relinquat. Alii totum vaccinationis negotium statim post vulnera incisa absolvebant: alii exspectabant, donec sanguis prodiens coagulo formato in crustam firmiorem abierat, quam post aliquot dies auferebant, huicque loco, cuticula nondum tecto, miasma vaccinicum inserebant [7]). Qua re nihil aliud

6) Opuscul. acad. argum. med. et philol. Vol. I. No. 10.

7) Ballhorn et Stromeyer *l. c.* p. 66.

efficitur, quam ut operatio, quae intra pauca temporis momenta perfici potest, longius protrahatur.

Alia inserendi vacciolas methodus sic perficitur, ut contagium per vulnuscula tria vel quatuor in utriusque brachii eo loco, qui paulo ante indicatus est, punctim facta corpori infantili inferatur. Hanc praeter alios, ipso priores, celeberrimus Sacco maximopere commendatam reliquis omnibus propterea praefert, quoniam facillima sit, intra brevissimum tempus perfici queat, mediocrem dolorem procreet, atque certissimum successum promittat. Quibus haec methodus placet, ii aut siccam, aut recentem fluidamque materiem vaccinicam in usum trahunt, quemadmodum alterutram rationem etiam ii sequebantur, qui antea expositam vaccinandi methodum praeferebant. Vaccinatio autem via sicca perficitur cum lanceolis eburneis, aut cum spinis, aut cum filis lineis, quibus omnibus lympha inficiens inducta fuit. In tensam cutim lanceola aut spina, cujus lympha antea aut halitu oris, aut saliva, aut aquae tepidae guttula emolliri debet, ad lineae profunditatem infigitur; alterum vulnus instrumento altius infixo efficitur, ut ea pars instrumenti laedentis, cui materiei inficientis aliquid adhaeret, vulneris labia contingat. Si tribus vulneribus insitionem peragere medico placuerit, lympham, in duorum priorum marginibus haerentem colligere eaque tertium vulnus inficere debet. Eburneam lanceolam Sacco [8]) chalybeis anteponit, quoniam hae a lympha vaccina facile robiginem contrahant, qua naturam lymphae immutari, atque ad insitionem minus efficacem reddi constet. Insitio, quae per fila infecta atque siccata perficitur, longior est magisque dolens. Brachii enim cutis tensa leviter inciditur, vulnerique punctim facto, sesquilineam longo, filum

8) *L. c.* p. 121.

ejusdem longitudinis, lympha vaccina probe imbutum immittitur ita, ut in vulnere velut in vagina lateat. Emolliri autem non debet, quoniam rigiditate amissa minus commode in vulnus inferri potest, et rubella lympha, quae e vulnusculo stillat, ad solvendam materiem contagiosam sufficit [9]).

---

9) Sacco *l. c.* p. 122.

XIII.

COLLECTANEORVM DE MORBO VACCINO-VARIOLOSO

CONTINVATIO VI.

Prolusio d. XXII. mens. Mart. A. R. S. CIↃIↃCCCXXV edita, cum Ca. Chph. Friedrich medicinae et chirurgiae Licentiatus esset renuntiandus.

Si fluida et recens e pustula vaccina hausta lympha ad insitionem adhibetur, ratio, a Celeberrimo Sacco commendata, omnium simplicissima est, eaque propterea reliquis praeferri meretur. Sine omni enim instrumentorum adparatu, qui meticulosiores infantes, quemadmodum jam in antecedentibus monui, adeo terret, ut saepe convellantur, perfici potest; dein quod haud levem commendationis partem efficit, pustula, unde contagium desumitur, tam parum inde laeditur, ut ea ad longe majorem infantum copiam vaccinandam sufficiat, quam si quis acubus aliis, ad insitionem efficiendam inventis utatur. Acum scilicet vulgarem, suendo destinatam, adhibet, quacum pustulam vaccinam aperit, lymphamque inficientem, e vulnusculo stillantem, acuique adhaerentem infert in cuticulam, eodem instrumento perforatam. Pustulae autem vaccinae interiorem structuram a variolosa in eo recedere constat, quod haec non nisi unum cavum formet, illa autem septulis in plures cavernulas dividatur, quarum una aperta minime reliquae omnes liquorem contentum, sicuti illud in pustula variolosa locum habet, effundunt, sed pluries pertundi possunt

ad novam inde lympham aeque efficacem hauriendam, et cum vulnusculi tam exigui margines extracta acu statim coëant, ab aëris in apertam cavernulam ingressu nihil quoque incommodi metuendum erit. Sed cum haec vacciolas inserendi methodus Clarissimo Sacco nimium simplex esse videretur, acum certe vaccinatoriam paulisper immutavit. Nam per totam ejus longitudinem canaliculum curavit insculpendum, ut eo major lymphae quantitas adhaerere, et pluribus vulneribus inficiendis sufficere posset. Ejusmodi acu marginem vacciolae obliqua transfigit directione, indeque stillantem lympham canaliculo excipit. Quo facto cutim insitionis loco digitis sinistrae manus tensam, acu oblique directa ad unius aut sesquilineae profunditatem pertundit, eamque dum extrahit, leviter in vulnere huc illuc motitat. Lymphae nonnihil sub hac operatione in vulnusculi margine remanet, quod extractae acus cuspide collectum ad secundum vulnus, a priore unum vel duo pollices remotum, contagio vaccino inficiendum adhibet. Nunc novam lymphae copiam simili modo, qui paulo ante commemoratus est, e pustula depromit, eaque duo vulnuscula, punctim in altero brachio facta, inficit. Quae quidem operatio intra brevissimum temporis spatium perficitur, et cum vulnuscula adeo exigua sint, ut inflammationem non producant, haud opus esse peculiari eorum curatione, recte Sacco [1]) statuit.

Qui lanceola operationem perfici malunt, vario modo instrumenti formam immutarunt. Nam planae cuspidis superficiei insculpendum curarunt foveolam, ut in ea major materiei vaccinae copia condi possit. Talis instrumenti forma Rittero [2]) haud placet, cum ob cuspidis tenuitatem sulci seu foveolae profunditas admodum exigua esse possit, atque jam ea lymphae

---

1) *Libr. cit.* p. 119.

2) Hufeland. *Journal. B.* XXI. *St.* 3. S. 36.

copia, quae cuspidi non excavatae adhaerere soleat, ad insitionem feliciter peragendam sufficiat. In quo Viro Exper. lubens adsentior. Sed propositam ab eodem apicis lanceolae immutationem probare non possum. Hanc enim non recta procedentem, uti plerumque solet, effingi jubet, sed ita, ut ejus apex ab uno latere paululum elevatus sit. Id autem propterea necessarium esse putat, quoniam cuspis recta procedens cutim, quae cum maxima diligentia vitanda sit, facile laedere possit. Sed hunc metum multum cogitatio imminuit, hanc imprudenter factam vulnerationem cutis ab hominibus artis peritis, quibus solis vaccinationis negotium in republica bene ordinata committendum est, verendam non esse, et si acciderit, periculo fere omni carere. Dein videtur mihi instrumenti, hoc modo efformati, usus hoc incommodum adferre, ut operatio difficilius cum illo perficiatur, quam cum vulgari lanceola, adeoque longius tempus requirat. — Alii una acu haud contenti, duas invicem junxerunt ita, ut uno ictu duae plagae efficerentur. Tale instrumentum peculiari libello Jac. Schmidt descripsit atque icone addita illustravit [3]). Aloys. Carl, qui nunc medici secundarii in nosocomio ophthalmiatrico Vindobonensi munere fungitur, totum adeo instrumentorum ad vaccinationem ab ipso commendatorum apparatum, sub ejus auspiciis fabricatum, vendidit [4]). Consistebat ille ex spathula, acubus aliquot argenteis, quae in cuspidis plana superficie paululum excavatae erant, e siphonibus, ad sugendam e vacciolae pustula lympham, iterumque in vulnera facta expellendam aptis, vitroque plano, quo excepta atque siccata lympha per aliquod tempus servari potest.

---

3) *Acus vaccinatoria. Passov.* 1810. 8. Cum fig.

4) Cons. ei. *Art zu Impfen u. Pockenstoff in flüssiger Gestalt aufzubewahren. Nebst ein. Beob. u. Erfahr. über die Kuhpockenlehre. Wien* 1807. 8. C. tabb. II. aen.

Tales apparatus, publicis interdum sumtibus comparati, inter medicos, vaccinationi operam dantes, distribuebantur.

Similis cum hac, de qua modo exposui, ratio ea est, quam commendavit LEGNERVS [5]), medicus Silesiacus. Per cucurbitas scilicet cruentas cuti levia inflixit vulnuscula, iisque materiam vaccinam attrivit recentem. Scalpelli autem duo aut tres tantum in machina relicti ita disponuntur, ut elatere soluti cutim leviter concidant. Si profundius facta vulnera sanguinem stillaverint, haud prius contagium vulneribus admovendum est, quam donec is profluere cessaverit. Videtur haec methodus iis inprimis convenire, qui balneatoriam exercent, atque cucurbitularum usui multum adsueti sunt. Hi feliciores haud dubie erunt, si insitionem vacciolarum hac via ac ratione tentaverint.

Denique fuerunt multi, qui vesicatoriorum ope contagium vacciolosum corpori omnium optime inferri posse opinarentur. Inter hos J. F. BALTZIVM [6]), Jo. FR. OSIANDRVM [7]), LAVATERVM [8]), GEO. WEDEKINDVM [9]) aliosque commemorare liceat. Et OSIANDER quidem vaccinationis negotium hoc modo conficiebat. Vespertino tempore medii brachii sinistri eo loco, quo aut musculus deltoides et biceps conveniunt, aut posterior maxime prominet, imponebat vesicatorium, unguis magnitudine, illudque aliquot emplastri adhaesivi striis firmabat. Altero mane in promptu esse debebat cuticula, quam auri bracteatores necessariam habent, particula ejusdem cum emplastro vesicante

---

5) *Ueber Pocken u. Pocken - Impfung. Hirschb.* 1815. p. 37.

6) Diss. de praestantiore variolas vesicatorii ope inserendi methodo. *Stuttg.* 1792. 4.

7) *Ausführl. Abhandl. üb. d. Kuhpocken. Götting.* 1801. 8.

8) *Abhandl. üb. die Milchblattern od. die sogenannt. Kuhpocken. Zürich* 1801. 8.

9) *Theor. prakt. Abhandl. von den Kuhpocken. Basel* 1802. 8.

magnitudinis, cujus mediae parti lymphae, e vacciolae pustula haustae, guttulam penicilli mollioris, quo pictores utuntur, ope imponebat. Quo facto elevatam per vesicatorium cuticulam plagis duabus, crucem formantibus, discindebat, vulnerisque laciniis forcipe orbem cuticulae bracteatoriae una cum materia inficiente imponebat, eumque reductis in suum locum, quas antea reclinaverat, discissae cuticulae laciniis obtegebat. Neque hoc munimento solo contentus, desuper collocatam particulam cuticulae bracteatoriae, sesquipollicem longam, et pollicem latam, duabusque striis emplastri adhaesivi anglicani firmatam, tegebat duplicato linteo, cui unguentum rosatum inductum est, omnia denique fascia circulari continebat. Quatuor et viginti horis transactis totum apparatum, fascia soluta, removet, locumque insitionis quotidie bis deligat, h. e. antea lacte tepido ablutum linteo tegit, unguento rosato illinito. Quae quidem curatio ad perfectam usque vulneris sanationem continuatur. Hanc autem vaccinandi methodum, quae inutili sua operositate displicet, Osiander propterea reliquis omnibus praefert, quoniam ea in usum vocata certissimus esse possis partim de lymphae inficientis justa quantitate in corpus illata, partim de contagio cuti ipsi per satis longum temporis spatium applicato. Quam levia autem haec argumenta sint, recte ostendit Celeb. Geo. Sachse [10]), qui ita quoque de vaccinatione optime meruit, ut phaenomena, quae ab ipsius insitionis initio usque ad diem decimum octavum in aegris observabantur, dum insitio sive per vulnera punctim facta, sive per fila, sub incisam cutim introducta, sive denique per vesicatorium perfecta fuerat, diligenter notaret, atque sic de pretio, quod cuilibet harum methodorum vere statuendum sit, judicandi facilitatem promoveret.

---

10) *Beobacht. u. Bemerk. üb. Kuhpocken. Berl.* 1812. 8.

Hanc autem inserendarum vacciolarum rationem jure meritoque Viri maximae auctoritatis reiiciendam esse putarunt, tum quod inter omnes sit incertissima, tum quoniam, id quod Sacco frequentissime observavit, facillime vaccinellarum s. vacciolarum spuriarum originem promoveat. Cujus quidem duplicis eventus causam Exper. Ritterus [11]) inde inprimis derivavit, quod partim ostiola vasorum lymphaticorum vesicatorii stimulo occludantur, partim miasma vaccinum a lympha, ex irritata superficie copiose profluente aut nimium diluatur, atque sic efficacia sua privetur, aut penitus expellatur.

Quae mihi ex his, de quibus hucusque exposui, vaccinandi methodis maximopere commendanda videatur, haud difficile erit intellectu, si quis ea perpenderit, quae in limine hujus scriptionis de Saccoi methodo disputavi. Sed haud inutiliter dispici posse videtur, utrum una eademque methodus in omnibus omnino, quibus vacciolae inserendae sunt, adhibenda, an ea secundum variam corporis constitutionem, quin pro morum adeo diversitate varianda, et nunc haec, nunc alia methodus eligenda sit. Hanc saltim sententiam Vir Experientissimus, et Collegii med. supremi Petropolitani membrum (nomen enim suum celavit) fovit, quippe qui variam corporis facultatem, contra admotos stimulos reagendi (*excitabilitatem* vulgo vocant) diligenter ponderandam esse censuit. Experientia enim edoctus multos invenit infantes, in quibus cum leves cuticulae laesiones, quae a plurimis commendantur, quamvis saepe repetitae, nihil efficerent, profunda cutis vulnera, in quae fila, lympha vaccina probe imbuta, reponebantur, optato successu nunquam destituebantur [12]).

---

11) *L. c.* p. 38.
12) Hufel. *Journ.* Vol. XXI. Pa. 3. p. 38.

XIV.

COLLECTANEORVM DE MORBO VACCINO-VARIOLOSO

CONTINVATIO VII.

Programma d. x. mens. Apr. CIↃIↃCCCXXVI publice propositum, cum OTTO ERNEST. BOESEWETTER, Wiesenensis Saxo, medicinae ac chirurgiae Licentiatus esset creandus.

Cum anno CIↃIↃCCCI. loci in facultate medica obtinendi causa scribenda et publice defendenda esset disputatio, ejus argumentum repetii a variolis vaccinis, quae tunc medicorum omnium omnino regionum animos in hoc maximum, quo ED. JENNERVS genus humanum beavit, beneficium intenderant [1]). Eo autem tempore cum omnibus fere medicis in ea versatus sum sententia, ut eos, qui morbum vaccino - variolosum rite superaverint, per reliquam vitam ab omni contagio varioloso tutos esse pronuntiarem. Cujus quidem persuasionis certitudo post octo annorum intervallum multum jam erat imminuta, cum frequentia hominum exempla, qui varioloso contagio post variolas vaccinas recte insitas et superatas resistere haud poterant, ab iis adeo medicis literis consignata legissem, qui inter praecipuos vaccinationis patronos communi omnium consensu referebantur. Operae igitur pretium facturus esse mihi videbar anno hujus seculi nono,

1) Opuscular. acad. med. et philolog. argum. Vol. I. no. V. *Collectanea quaedam de morbo vaccino - varioloso.*

si hujus facti, cujus veritas in dubium vocari non poterat, explicationem tentarem, causasque rimarer, quae illam universalem persuasionem de vi variolarum vaccinarum tutrice contra novam variolarum infectionem subverterent [2]). Inter has causas perversa et maxime negligens vaccinationem instituendi ratio primo loco ponenda esse mihi videbatur. Si enim legimus, gravissimae illius, si effecta respicimus, operationis exercitium in multis terris, certe ab initio, non iis tantum, qui ejus cognitione idonea erant imbuti, sed omnibus, qui quamvis rudes, omnique scientia medica destituti, illud tamen ob lucelli inde captandi spem suscipere sustinebant, permissum fuisse, profecto tali vaccinas variolas inserendi rationi haud multum fidere poterimus. Ex hac quidem causa multitudinem hominum, a variolis post vaccinationem rite peractam correptorum, quae in Anglia observata est, derivo. Cum enim ibi medicinae exercitium nullis fere legibus regatur, sed cuique, modo inveniat, qui suam ipsorum sanitatem vitamque illi concredere haud dubitent, medicum facere, et medicamenta, quocunque tandem modo praeparata, vendere liceat, haud mirum videri potest, tales medicos circumforaneos tunc, cum Jenneri inventum recentissimum esset, totam Angliam pervagatos, innumerae infantum multitudini morbum, sic dictum tutorium, inseruisse, qui cum contagio varioloso exponerentur, ab hoc inficiebantur. Neque vanus omnino est metus, fore, ut inter nos quoque, qui de meliore medicinae publicae conditione jure meritoque laetamur, similia exempla quam plurima observentur, simulac aliquando variolae epidemie grassabuntur.

Praeter hanc causam aliae adhuc inveniuntur, quae aeque multum contribuunt ad vim variolarum

---

2) *L. c.* no. VII. *Collectan. de morbo var. vaccin.* Contin. I.

vaccinarum adversus morbi variolosi contagium aut imminuendam, aut penitus tollendam. Quarum causarum accurata cognitio cum maxime necessaria sit, quoniam sine hac illas evitare haud possumus, utilissimum laborem Adph. Fr. Lüdersius suscepit, cum de iis diligenter exponeret [3]). Versatur autem Vir Exper. in ea sententia, ut variolarum vaccinarum insitionem inprimis propterea contra variolas saepe inefficacem esse statuat, quoniam vaccinatio fuerit imperfecta. Certissime enim sibi habet persuasum, neminem unquam, in quo insitio variolarum perfecta locum habuerit, variolis veris obnoxium fore, adeoque Virum Illustrem, Stieglitzium, reprehendendum censet, quod is variolarum mitigatarum originem non in imperfecta vaccinatione, sed potius in peculiari quadam corporis constitutione, quam idiosyncrasiam vocant, quaerat. Si vero multa exstant hominum exempla [4]), qui bis variolis veris laboraverint, in quibus igitur ob singularem corporis constitutionem dispositio quaedam ad iteratam infectionem neutiquam morbo prius superato extincta erat, equidem haud video, cur non idem in variolis vaccinis locum habere ita possit, ut, qui vaccinatione rite peracta sese

---

3) *Versuch. ein. krit. Geschichte der bei Vaccinirt. beobacht. Menschenblattern. Altona* 1824. p. 138 — 143.

4) Talia retulit nuper Chapmannus (*Philad. Journ.* Vol. VII. p. 431 ff.), Jo. Bellius, medicus nosocomii, recipiendis aegrotis variolosis Philadelphiae destinati, Jo. Thomsonus (*Histor. sketch on the entertain. opin. by med. men respect. the second occurr. of small pox. Edinb.* 1822.) aliique. Ipse ego anno hujus seculi duodecimo duo edidi programmata, quibus non omnino infrequentem esse variolarum reditum post eundem morbum bis terve adeo feliciter superatum. Vid. *Opusculor. meor.* Vol. I. no. XX. et XXI. Hisce exemplis variolarum bis redeuntium unum addo, quod a Ph. Gabr. Henslero observatum fuisse legi. Is scilicet tres unius familiae filios, variolis decumbentes quondam curaverat, e quibus quadriennio post unus febre, capitis atque epigastrii dolore, vomituque corripiebatur: quarto morbi die variolae erumpebant copiosae, hic cohaerentes, illic confluentes. Multo gravius et periculosius secunda vice decubuit aegrotus.

contra contagii variolosi vim munivisse putaverit, votis et spe excidat sua. Imperfectam autem vaccinationem vocat eam, quae minime regularem et imperturbatum vacciolae (hoc enim verbo variolas vaccinas insignit) decursum inde a prima contagii in corpus receptione usque ad crustae lapsum produxit, neque eo, quod motus febriles magis minusve luculentos excitavit, pustulamque nulla areola cinxit, corpus aegrotum universum tunc, cum morbi vis atque impetus fastigium attigit, affectum fuisse ostendit.

Ab hac imperfecta vaccinatione originem suam repetere vacciolas spurias, idem Lüdersivs contendit p. 143., inter quas, apto *vaccinellarum* nomine ab illo insignitas, atque vacciolas veras eadem ratio locum habeat, quae inter variolas atque varicellas jam diu sit observata. E quo tempore medici vaccinationem exercuerunt, multoties experti sunt, insitionem sperato caruisse successu. Videbant enim inde eruptionem cutaneam oriri, quae, sive ad ejus formam, sive ad celeritatem, qua morbus finiebatur, sive denique ad effecta salutaria, quibus exanthema illud prorsus destituebatur, respicerent, a vera vacciola luculentissime differebat. Cujus quidem phaenomeni causae dignae sunt, quae diligentissime investigentur. Nam cum imperfecta vaccinatio vacciolam veram non producat, adeoque corpus nostrum contra variolarum contagium non muniat, res omnino maximi momenti est, ea bene cognita habere, quae exspectationem nostram de insitionis successu frustrari possint.

Lüdersivs, Vir Exper. et Doctiss., in eas causas diligenter inquisivit, quae vaccinationem irritam reddere possunt. Inter quas primo loco materiam posuit, e vaccarum uberibus desumtam, quae non vacciola vera, sed *vaccinellis* tantum laborabant. Jennerus ipse maxime dignam esse utriusque morbi distinctionem, ne qui e vaccinellarum pustulis sibi lympham inseruerit, se hoc modo tutum a variolarum

contagio credat. Vid. Ed. Jenner's *Unters. üb. d. Ursach. u. Wirk. d. Kuhpock. Hannov.* 1799. 8. pag. 6. Quemadmodum enim in hominibus interdum exanthemata efflorescunt, quae quidem, si obiter tantum morbum consideraverimus, non nulla cum variolis communia habent, sin accuratius rem perpenderimus, multa offerunt, quibus longe ab illo morbo recedunt, unde quoque non variolarum, sed varicellarum potius nomen merentur, ita idem quoque in vacciolis observare licet, quae varias formas constituunt, accuratissime a se invicem distinguendas, cum una tantum eaque vera lympham praebeat, quae in corpus humanum insita hoc contra variolarum contagium tuetur, reliquae autem, vaccinellae a Lüdersio dictae, lympha tam benefica penitus carent. Diligenter igitur signa sunt anquirenda, quibus vaccinellae a vacciolis sine errandi periculo distingui possunt. Quam quidem operam in se suscepit Lüdersivs, qui de vacciolae immutationibus accurate exponere, easque iconibus ad naturam factis propediem illustrare voluit [5]). Sed tertius jam agitur annus, ac promissis nondum stetit Vir Eruditiss., quod maximopere dolendum est. Nam cum in Holsatia vivat, in qua vacciolarum plura, quam in aliis regionibus, occurrunt exempla, optimam habebat opportunitatem, illum vaccarum morbum saepissime videndi, atque non solum symptomata, quae illi semper adhaerere solent, totumque morbi decursum, sed etiam, si qua diversitas inter vacciolam atque vaccinellas intercederet, eam cognoscendi. Donec igitur promissus et diu exspectatus Lüdersii liber prodierit, Geo. H. Masio, quod eidem argumento aliquam lucem accendere studuerit, obstricti esse debemus. Is autem tres formas vaccinellarum descripsit, nigras, albas et vesiculosas e flavo

---

5) Spem nobis fecit *l. c.* p. 150. et repetita vice p. 190.

fuscas. Qui hoc inter vacciolam veram et vaccinellas discrimen intercedere putant, ut febriles motus, lactisque secretio suppressa, unde totam corporis constitutionem in adfectionis societatem tractam fuisse appareat, non nisi vacciolae competant, a vaccinellis autem absint, ii, quam fallax illud discrimen sit, e Masio discere poterunt, qui in prima secundaque vaccinellarum ab ipso observatarum forma vehementem febrim, interruptamque lactis secretionem animadvertit.

Cum igitur lympha, e vaccinellis desumta, vi destituta sit, variolarum contagio resistendi, maxima medici cura opus est, ut ne illam ad insitionem adhibeat. Nam praeterquam quod optato excidit successu, etiam in praesentissimum periculum conjiciet vitam ejus, cui talis materies inseritur. Etenim cum lympha ex ipsis vaccae uberibus, vacciola vera obsitis, hausta gravius corpus humanum adficere constet, quam quae e vacciola humana depromta est, haud temere metuendum erit, ne vehementia symptomatum, a vaccinellarum viru productorum, ita adaugeatur, ut vita conservari nequeat.

Huic autem causae, a qua irritus vaccinationis successus interdum derivandus sit, haud magnum momentum tribuere videtur Lüdersius, quoniam nostris temporibus rarissime vacciolarum contagium ex ipsis vaccarum uberibus ob morbi inter vaccas obvii raritatem depromatur. Sed pace Viri Eruditissimi dixerim, hoc argumentum mihi leviusculum esse videtur. Nam cum in ea, quae nunc viget, variolarum epidemia multi infantes, quibus vacciolae rite insertae fuerunt, a variolis adficerentur, hujus rei causam multi in virus vacciolosi vi sensim decrescente quaesiverunt, summamque inde necessitatem, virus illud e primo fonte, vaccarum uberibus, denuo hauriendi, atque sic pristinam ipsi efficientiam resti-

tuendi, derivarunt. Si igitur quis, in hac ipsa sententia versatus, audiverit, in grege quadam deprehendi vaccas, quarum ubera pustulas offerre narrantur, pro vacciolis habitas, ex hisce pustulis sine idonea signorum characteristicorum cognitione, quibus vacciolae verae a spuriis dignoscantur, virus desumserit, hoc ipso errore multorum hominum vitam manifestissimo periculo exponere poterit.

XV.

FEBRIFVGA REMEDIA, QVAE CORTICI PERVVIANO VICARIA SVCCEDVNT, CONSIDERANTVR.

Programma d. VIII. Idus Apr. CIƆIƆCCCX scriptum, cum Jo. Ern. Stapf, Numburgensis, medicinae et chirurgiae Licentiatus esset renuntiandus.

Si ullo unquam tempore, certe nostro, curiosius et fere anxie anquirenda sunt remedia, quae in locum extraneorum substitui possint. Etenim cum liberior mercatura indies angustioribus circumscribatur limitibus, inprimisque maria nobis mediterraneis arctius claudantur, metuendum est, ne iis remediis, quae novus nobis orbis transmisit, aut penitus privemur, aut propter pretium nimis magnum uti non possimus. Quorum quidem remediorum nullum fere tam larga, aut potius plena manu hucusque adhibitum fuit, quam cortex, a patria peruvianus dictus. Nam teste Generosissimo Alexandro de Hvmboldt, viro fide dignissimo, ante annum CIƆIƆCCLXXIX quotannis e nemoribus regionum Cajanumae et Uritusingae viginti quinque millia arborum, quae optimum nobis largiuntur corticem, Cinchonae condamineae, exscindebantur. Cui nemorum vastationi, quae huic arbori utilissimae bellum quasi internecinum indixerat, obicem opponere conati sunt, apud quos summa rerum publicarum in istis regionibus cura est, edicto, quo caverent, ne ultra *nongentas* quotannis sternerentur Cinchonae arbores. Sed ne sic quidem justus timor animis medico-

rum eximi poterat, ne aliquando ex apparatu medicamentorum potentissimum remedium penitus evanescat. Quamobrem et societates eruditae [1]), et summi variarum terrarum magistratus, praemiis adeo propositis, medicorum studia eo dirigere studuerunt, ut, quemadmodum omnium omnino remediorum, e peregrinis regionibus petendorum, ita inprimis corticis peruviani usum aliis remediis indigenis, adeoque facilius comparandis compensarent.

Quae quidem studia eo laetiorem pollicebantur successum, quo diligentius culta nostris temporibus chemia amplissima cepit incrementa. Viae enim, quibus olim vis medicamentorum indagabatur, nunc melius munitae et omnino novae apertae sunt: non soli sapori, non incertae de similibus viribus conjecturae, a simili plantae habitu ductae, non experimentis paucis iisque imperfectis, quae olim chemica disquisitio suppeditabat, nunc fidem habemus, sed praeceptis ac praeclaris exemplis utentes, a Fovrcroyo, Vavqvelino, Segvino, Thomsono, Hermstaedtio, pluribusque aliis exhibitis, curatius nunc in partes remediorum necessarias inquirimus, earumque non solum naturam, sed etiam mutuam ad alias, eodem remedio contentas, partes rationem attendimus. His diligentibus disquisitionibus effectum est, ut partes elementares plantarum cognosceremus, de quibus majores nostri ne cogitarunt quidem. Huc referendum est, ut his tantum utar, principium, quod coriis subigendis inservit (scytodephicum), extractivum, saponaceum, albuminosum, resinae elasticae (caotchuc) proprium, denique quod Thomsoni et Segvini labori-

---

1) Laudare liceat Academiam scient. literarum elegantior. et artium Lugdunensem, quae de plantis indigenis felici cum successu exoticis substituendis quaestionem publice proposuit, cujus praemium reportaverunt Exper. Coste et Willemetvs: praeterea et Tolosanam societatem medicam, quae anno 1807 praemio invitavit medicos ad indicandas plantas, quae cum fructu corticis peruviani loco contra morbos possint adhiberi.

bus in Cinchona detectum, indeque nominatum est, cinchoninum.

Magna igitur miratio subiit animum meum, cum legerem virum, chemiae gnarissimum, in ea versari sententia, ut contendat, plane nullum remedium succedere posse corticis peruviani loco, quique ejusmodi quid defendere sustineat, eum prorsus ignorare corticis hujus vim atque naturam [2]). Quod quidem judicium, magna cum fidentia, ne dicam nimia, prolatum, quibus argumentis munitum sit, nunc paucis videamus.

Ac negat primo vir subtilis admodum ingenii, remedia illa, quae aromaticas, amaris atque adstringentibus junctas, partes contineant, aequiparari posse cortici peruviano, quippe cum aroma illorum partesque amarae et adstringentes longe alius naturae sint, quam eadem illa principia in cortice, risumque movere conatus medicorum, qui radicem calami aromatici ac gentianae et gallas invicem miscentes corticem peruvianum produxisse opinentur. Quamquam autem lubentissime concedimus, medicos, qui tam absurdam opinionem defendere audeant, omnium risui esse propinandos, tamen non possumus non contendere, eos neque existere, neque unquam exstitisse. Si enim laudabant calamum aromaticum, aut caryophyllatam, aut quassiam, aut angusturam, aut reliqua tanquam febrifuga remedia, non eo usque stultitiae progrediebantur, ut putarent, ea vel sola, vel apte invicem mixta aut verum esse corticem peruvianum, aut *ubivis* ejus vires supplere. Hoc tantum assequi studebant, ut praejudicatam opinionem, quasi nulla in febribus intermittentibus salus sine cortice peruviano inveniatur, impugnarent, impugnatamque everterent. Non usum remedii, cujus efficaciam bene norant, sed

---

2) Vid. C. W. Hufelandi *Neues Journ. der pract. Arzneyk. und Wundarzneyk. Band* XVI. *St.* 4. p. 27 — 47.

abusum tollere, et experientia duce probare cupiebant, multas febres esse, quae facillimo negotio, et sine incommodis, aliorum quoque remediorum ope et efficientia fugari possint: ideoque neutiquam semper et ubivis ad corticem tanquam ad sacram ancoram confugiendum esse, ubi febris intermittentis medela sit perficienda.

Dein varias adserit esse febrium intermittentium formas, quarum quaelibet sua remedia, hoc est, nulli alii formae convenientia, requirat. Esse enim peculiarem febris intermittentis formam, quae, licet interno acidi salis usui minime cedat, tamen ab imperatoria fugetur; aliam, contra quam belladonna inutiliter adhibeatur, minime resistere gentianae; ab his diversam esse, quae a nuce vomica frustra oppugnata capsico facile tollatur; aliam opio opprimi, quae neque sale ammoniaco, neque fabis Sti. Ignatii, neque arsenico, neque suboxydo antimonii, neque aliis remediis sanetur. Ex his igitur tanquam axioma firmissimum fluere putat, duas febres intermittentes, quarum altera intra breve temporis spatium et sine ulla subsequente molestia, corticis peruviani, altera opii usu removeatur, natura sua esse diversas, atque adeo varias constituere morbi hujus formas. Quae quidem argumentandi ratio admodum debilis mihi videtur. Nam inter omnes constat, nullum fere morbum ita sibi constare, ut semper in omnium symptomatum, quibus stipatus esse solet, et vigore et decursu idem penitus sit, sed semper alieni quid, quod e varia corporis aegroti constitutione, vitae genere et similibus causis dependeat, admixtum habere. Atque haec aliena quamquam non omnem morbi naturam ita mutant, ut plane alius sit, tamen efficiunt, ut alia remedia in usum vocari debeant, quae hisce alienis magis accommodata sint, et sanationem morbi faciliorem, citiorem tutioremque reddant. Morbum venereum exempli loco adferam, quem mercurio tanquam

specifico sanari, lippis atque tonsoribus notissimum est. Hunc morbum aggredi ponamus hominem, scorbutico corporis habitu laborantem, qui quamquam morbi venerei naturam atque indolem non sic immutat, ut haud amplius venereus sit, tamen aliam medendi rationem requirit, quam quae opponi solet morbo venereo puro. Ex hac autem diversorum medicamentorum administratione minime morbi venerei duae eaeque natura sua a se invicem diversae formae constitui possunt. Aut ut alio exemplo utar, vulgatissimum est, non omnem morbum venereum eodem mercurii praeparato posse facillime ad sanationem perduci, sed alium cedere citissime unguento mercuriali, alium, qui sub hac medicatione in longius trahebatur, subito evanescere mercurio cinereo adhibito, alium neque hoc, neque illo vinci posse, sed mercurio solubili Hahnemanni egere, alium denique non nisi mercurio sublimato corrosivo superandum esse. Num igitur tot morbi venerei formae statuendae sunt, quot remedia, ipsis facile ac tuto tollendis apta? Quod qui adfirmaverit, is potius medici, reliquos omnes ingenii acumine atque subtilitate longe superantis famam aucupari, quam veritatis studio et amore teneri mihi videtur. Agat vero Vir ille, magna et inaudita sonans, hoc, ut nobis symptomata, morbo venereo, qui non nisi mercurio cinereo etc. etc. feliciter tolli potest, propria et a quovis medico facile cognoscenda patefaciat. Idem medicos omnes maximo beneficio adficiet, si signa nec obscura, nec fallacia in medium protulerit, unde statim cognoscere possimus, hanc febrem intermittentem non nisi opio, illam solo salis acido, hanc arsenico, illam alia medicina febrifuga esse curandam. Hoc opus, hic labor esto.

Sed hanc exspectationem hucusque destitutam esse valde dolemus. Illius tantum febris intermittentis imaginem exhibuit Vir Doctus, contra quam, nisi in uno cortice peruviano, nulla salus inveniatur. Quas qui-

dem febres, inprimis auctumni tempore frequentissimas, a miasmate paludoso oriundas, his symptomatibus stipatas esse adserit: pura lingua, amaris post cibos sumtos ructibus, ciborum appetitu nullo, sapore integro, capitis dolore in summa corporis quiete fere nullo, at sub levissimo vel corporis totius, vel capitis tantum, vel oculorum adeo motu subito increscente, frigoris tempore oscitatione, pandiculatione, lividis cum orbitam ambientibus circellis, tum unguibus, voce rauca, dolorifico et periostei et cutis externae sensu, levi membrorum et sub modica eorum flexione torpore, siti, aestus autem tempore venis manuum turgidis, facie laetissime rubente, somno cum stertorosa inspiratione et brevi exspiratione, tandem sudore, haud per omnem corporis superficiem aequali modo, sed in cervice ac dorso inprimis largius erumpente et, finito paroxysmo, urina profundioris coloris, sedimentum laete lateritium deiiciente.

Has autem febres nondum accurate cognitas esse, adserit Vir Experientissimus, quamvis centum et quinquaginta, et quod excurrit, annorum experientia corticis peruviani usum iis solis convenire probaverit: reliquas febrium intermittentium formas, quae aliis remediis febrifugis cedant, obscuriores adhuc esse, nec facile posse distingui a prioribus. Quae quidem diagnoseos ambiguitas aut potius defectus medicos in hunc errorem abduxisse praetenditur, ut sibi persuaderent, varia esse remedia, quae Cinchonae officinalis vim antipyreticam possideant, adeoque ipsius loco aegrotis propinari possint. Hoc autem si vere probari debeat, in eo inprimis elaborandum esse medicis, ut contra illam ipsam febris intermittentis formam, quae, uti paulo ante dictum est, nullum praeter corticem peruvianum agnoscit remedium, eodem cum successu felici nunc cortice, nunc medicamento succedaneo utantur. Quod cum nondum a medicis factum esse, audacter adfirmet Vir Experientissimus, mihi quidem a veritate

paululum deflectere videtur. Etenim Exper. J. C. Renardus disertis verbis testatur, se ipsum, cum prope fossam profundam, quae, munimenti causa Moguntiam cingens, aquam paludosam continet, habitaret, et quotidie per duas tresve horas in nosodochio commoraretur militari, istis paludosis exhalationibus multo magis exposito, annis 1798, 1799 et 1800 aliquoties correptum esse febre intermittente ea, cui praeter corticem cinchonae officinalis nihil mederi posse dicitur. Cui quidem morbo nunc corticem, nunc opium et vinum, nunc fortius radicis caryophyllatae decoctum felicissimo cum eventu opposuit [3]). Eandem febrem, in Seelandia maxime endemicam, sanatam esse infusione vinosa plantarum amararum et opio, testes sunt et Wedekindus [4]) et Michon-de la Fondée [5]), et Amelungius, medicus militum Hassiacorum, Arnicae et Valerianae usu [6]).

Quae cum ita sint, concidit primarium fere argumentum, quo senteutiam seu opinionem suam firmare annisus est Vir Exper. Etenim duce experientia, febres, e paludosis exhalationibus originem accipientes, partim cortice, partim aliis medicamentis aeque facile sanari posse probatum est. Nisi autem has ipsas febres pro novo morbo habere velimus, id quod a veritate alienissimum est, jam ante cognitum corticem peruvianum earundem medelam perfecerunt medici. At, audio, qui regerant, sanabantur quidem ejusmodi febres, sed minori cum facilitate atque insequentibus

---

3) Vid. Ejus librum: *Die inländischen Surrogate der Chinarinde, in besonderer Hinsicht auf das Continent von Europa. Mainz* 1809. 8.

4) Conf. Ejus *Heilverfahren im Kriegslazarethe zu Mainz. Berl.*

5) Vid. *Considérations sur les fièvres intermittentes de la Zelande. à Strasb.* 1806. 4.

6) Vid. Renardus *l. c.* Contra ea Pideritus (*über inländische Surrogate für die China- oder peruv. Rinde. Götting.* 1809. 8. p. 27.) contendit, ejusmodi aegrotos, febre Seelandica correptos, sine cortice sanitati restitutos vix ac ne vix quidem fuisse.

multis incommodis, quae ab adhibito cortice prorsus aberant. Quamquam autem lubentissime id largior, tamen longissime absum, ut putem, haec incommoda tribuenda esse medicamentis illis febrifugis, ut potius contendam, ea originem debere suam minus aptae, quae olim obtinuit, febrium curandarum rationi, positae in nimio usu, seu abusu remediorum resolventium, sudoriferorum, emeticorum, et purgantium, quibus vires corporis ita frangebantur, ut post febrem suppressam sanitas diu adhuc adflicta maneret, morbusque, qui superatus esse credebatur, levior in graviorem, hydropem, cachexiam, viscerum intumescentiam etc. mutaretur. Quo accedebat et alia adhuc causa, quae quominus adhibita olim antipyretica medicamenta febrem aeque cito, ac cortex peruvianus sanarent, effecit. Nam amara, quorum magna vis est ad morbum hunc tollendum, tam exigua copia propinabantur aegrotis, ut aut nihil omnino virium, aut post longum demum temporis spatium exsererent. Hoc autem vitium minime medicamentorum adhibitorum indoli atque naturae, sed perversae medicorum medelae tribuendum esse, ita patet, ut ulterius in hujus luculentae rei probatione nolim commorari.

Denique concludit Vir Doctissimus, nullam plantam posse vices corticis peruviani supplere, quoniam quaelibet planta praeter communes cum aliis partes, quo referenda sunt acidum vegetabile, kali, terra calcarea etc., propriis viribus medicatricibus a summo rerum omnium creatore dotata sit, quas nulla ars imitari queat. Quae quidem vires medicae si a complexu omnium partium, plantam constituentium, earumque certa ac finita erga se invicem ratione pendeant, ego pronunciatum illud non omnino in dubitationem vocare ausim. Verum enim vero vim cinchonae febrifugam non in omnibus partibus, quae corticem hunc componunt, simul sumtis quaerendam esse, sed illi principio, quod *cinchoninum* appellatum est,

inhabitare puto, ita, ut, si illud chemica arte a reliquis omnibus partibus sejungatur, sejunctumque febricitantibus exhibeatur, sanatio aeque facile ac tuto succedat, ac si integro cortice fuerimus usi. De quo principio, ejus a reliquis partibus sejungendi ratione, viribusque cum chemicis, tum medicis alia agam opportunitate.

Lubentissime autem immoraturus eram argumentis, quae at probaret, nulla omnino vicaria remedii cujuscunque, et corticis peruviani inprimis, medicamenta dari, ne cogitari quidem posse, Vir Eruditus in *Goettingensibus de novis libris relationibus* anno superiori (p. 1107 — 1109.) protulit.

XVI.

HOSPITIORVM, INFANTIBVS EXPOSITIS DICATORVM, COMMODA EXEPNDVNTVR.

Programma a. d. IV. Cal. Oct. CIƆIƆCCCX editum, cum Jo. TRAVG. SCHNIEBER, Tzschocha-Lusatus, med. et chir. Licentiatus esset creandus.

Quotiescunque tabulae, quae quotannis ipsis Calendis Januariis publice edi solent, et in quibus cum natorum, tum mortuorum numerus, sexus aliaque similia notantur, occasionem et mihi et aliis obtulerunt de nimium magno apud nos infantum, extra matrimonium natorum, et aut sub partu, aut brevi post mortuorum numero conquerendi, toties memini me audire, qui tenellorum horum sortem miseram deplorantes melius omnia eventura esse, eorumque nisi omnium, certe plurimorum vitam servatum iri putarent, si aedificium exstruatur, in quod infantes spurii statim post partum recipi publicisque sumtibus ali et educari possint. Provocant ad exempla Lutetiae Parisiorum, aliarumque Galliae urbium, Londini, Edini, Dublini, Mediolani, Florentiae, Romae, Venetiarum, Holmiae, Hafniae, Vindobonae, Pragae, Moscuae aliarumque urbium, quarum civium aut mores dissoluti, aut durissima paupertas infantum recens natorum vitae haud parsura erat, nisi ejusmodi aedificia aperta essent, quae proli parentibus molestae refugium et quasi asylum offerrent.

Jam non lubet in causas inquirere, quae efficiant, ut nostra urbs, si civium numerum cum numero in-

fantum spuriorum, hic quotannis natorum, comparaverimus, illas fere superet urbes, quae mala morum maxime dissolutorum fama celebritatem scilicet quandam nactae sunt. Etenim Hamburgi inter duodecim infantes, Dresdae inter novem, Monachii atque Lipsiae inter sex unus reperitur spurius; Lutetiae autem Parisiorum, Vindobonae atque Berolini quartus quisque infans extra matrimonium nascitur. Sed investigare animus est, an aedificia, infantibus expositis recipiendis publicoque sumtu alendis dicata, eam praestent utilitatem, quam, qui illa exstruxerunt, inde in rempublicam redundaturam esse speraverant.

Jam qui hoc argumentum pertractarunt, eorum nonnulli talium institutorum poblicorum commendationem inde repeti posse putabant, si veteres Graecos atque Romanos jam prospexisse expositis infantibus demonstrarent. Jo. Stephanus quidem (de jurisdict. vett. Graecor. c. 6.) id probaturus laudat Suidae lexicon v. *Κυνόσαργες*, hocque gymnasium, non procul a porta urbis exstructum, ait *βρεφοτροφεῖον fuisse, in quod infantes a matribus expositi, pudicitiae prostratae celandae causa reciperentur, et liberalibus studiis informarentur.* Id autem quomodo ex illo Suidae loco, cujus verba haec sunt: *ἐπειδὴ οὖν ὁ Ἡρακλῆς δοκεῖ νόθος εἶναι, διὰ τοῦτο ἐκεῖ οἱ νόθοι ἐγυμνάζοντο, οἱ μήτε πρὸς μητρὸς μήτε πρὸς πατρὸς πολῖται,* extricari potuerit, equidem haud video. Etenim de liberorum expositione celandae pudicitiae prostratae causa ne verbum quidem occurrit, nec de institutione eorum in liberalibus studiis in universum, sed de una tantum exercitatione gymnastica agitur. Neque hoc ipsum extra omnem dubitationem positum esse, Menagius ad Diogenem Laërt. VI. 13. p. 231. ostendit, cum pro *ἐγυμνάζοντο* legendum esse *ἐκρίνοντο*, jam diu a viris doctis monitum fuisse testaretur adderetque, posse etiam legi *ἐξητάζοντο*. In quo tamen equidem Menagio accedere haud possum, duobus aliis locis,

quae in eadem re idem verbum ἐκρίνοντο habent, in hanc sententiam inductus. Svidas enim Ἐς Κυνόσαργες. — ἐν ᾧ ναὸς ἐκτίσθη καὶ οἱ νόθοι ἐνταῦθα ἐκρίνοντο, εἰ τοῦδε ὄντως γέγονεν υἱός. Et Nonnvs ad Gregor. Nazianz. contra Julian. Κυνόσαργες. τόπος ἦν ἐν Ἀθήναις, ἐν ᾧ οἱ νόθοι ἐκρίνοντο, εἰ τοῦδε ὄντως γέγονεν υἱός. Multo minus *columna lactaria*, quae in foro olitorio Romae conspiciebatur, et inde nomen traxisse suum dicitur, quod infantes lacte alendi huc deferebantur (Barth. Marliani *urbis Rom. topograph.* libr. III. c. 12. in Gronovii *thesaur. antiquit. graec.* Tom. III. p. 117.), huc trahi potest. Is enim locus, quem Onvphr. Panvinivs *descript. urbis Romae* regioni urbis undecimae tribuit, et Alex. Donatvs *de urbe Roma* libri II. c. 26. e Festo commemorat, unde sua hauserunt Ge. Chr. Adlervs (*Beschreibung von Rom* p. 332.) et Pavl. Fr. Achat. Nitschivs (*Beschreibung des häuslichen Zustandes der Römer* Th. I. p. 183.) expositione infantum infamis erat ita, ut semper homines adessent, qui questus faciendi causa expositos infantes lustrarent, et si puerum viribus valentem, aut puellam pulchritudine formae conspicuam deprehendissent, tollerent, sublatosque educarent. Adultiores facti vel ad servitutem, vel ad lupanar addicebantur, teste Lactantio *divin. institut.* libr. VI. c. 20.

Quae cum ita sint, luce clarius est, neque Graecos, neque Romanos humanitatis sensu permotos, vitae recens natorum, qui a parentibus deserti atque expositi essent, publico instituto prospexisse, et quamvis in publicis aedificiis exstruendis nullo sumtu parcerent, tamen caruisse aedibus, expositorum infantum curae atque educationi dicatis.

Liceat hoc loco subjungere quaestionem de vero originis horum aedificiorum tempore, quippe de quo vario modo statuerunt viri eruditi. Scilicet Ca. Fr. Meissnervs (*Zwo Abhandlungen über die Frage: Sind*

die Findelhäuser vortheilhaft oder schädlich? Götting. 1797. 8. p. 9.) hospitium Parisinum, a Galliarum cancellario, Stephano Alignano, conditum brevi ante ejus mortem, quae anno ciↃiↃclxxvii accidit, omnium primum habet, quod expositis infantibus recipiendis alendisque sit destinatum. Situm illud erat e regione nosocomii, a Deo cognominati, ejusque rationem descripsit breviter Jo. Gvil. Schlegelivs in Spec. I. *fragmentor. e geographia nosocomiorum* etc. p. 15. Jo. Avg. Bockivs (*Beschreibung der Pariser Entbindungs-Anstalten. Berlin* 1804. 8. p. 4.), Joseph. Frankivs (*Reise nach Paris, London, und ein. gross. Theile Engl. und Schottl. Wien* 1804. 8. Th. I.) et Car. Max. André (*neuester Zustand der vorzüglichsten Spitäler* etc. Th. I. p. 292 ss.). Sed a veritate aberrat Meissneri opinio, modo commemorata. Etenim ipse p. 11. Mevselii commentationem laudat, qua ex Act. Sanctor. To. II. p. 335. probatum sit, Clerum Trevirensem jam ante seculum septimum aedificio peculiari recepisse infantes, quorum parentes, legitimo matrimonio juncti, tanta paupertate premerentur, ut exponere infantes cogerentur. Convenit igitur hoc institutum cum eo, quod Parisiis adhuc florere paulo ante diximus. Porro Imm. Gottl. Knebelivs, quem praematura morte literis fuisse ereptum doleo, in *Tentamine chronologico conspect. hist. medicinae. Vratisl.* 1799. 8. p. 140. ad annum ciↃccx notat, Innocentium II. Pontificem Maximum, approbasse dicatum ab hospitii, a Spiritu Sancto cognominati, incolis aedificium infantum expositorum, atque p. 370. illud omnium primum fuisse adserit. Anonymus autem in The Edinburgh med. and surgical Journ. 1805. Vol. I. p. 321. contendit, antiquissimum hujus generis hospitium conditum fuisse in monte Pessulano a. p. Ch. n. ciↃclxxxi, ubi pars hospitii, cui et ibidem Spiritus Sanctus cognomen dedit, recipiendis infantibus expositis destinata sit; Lugduni simile institutum anno

cıɔıɔxxxı locum habuisse, et cum seculo decimo septimo numerus expositorum infantum insigniter augeretur, viduam divitiis abundantem adeo a miseranda ipsorum sorte tactam fuisse, ut ipsos sibi apportandos curaret. Quod quamvis ab initio optimo cum successu factum esset, plurimis infantibus certissimae morti ereptis, tamen paulo post, ipsius ministrarum, quae infantes mendicantibus et agyrtis certo pretio vendebant, inhumanitate ac avaritia, institutum hoc florere desiit. Cum autem exponendorum infantum furor haud defervesceret, Ludovicus XIII. anno cıɔıɔcxc aperuit his tenellis hospitium, illudque regia liberalitate sustentavit. Quae quidem omnia clarissime docent, ante illud hospitium, quod Stephano Alignano originem debet suam, aliud jam Lutetiae Parisiorum publice exstructum fuisse.

Jam utrinque aequa lance pensitemus commoda atque incommoda, quae hospitiis infantum expositorum et tributa sunt, et jure meritoque tribui possunt. Et quidem ampla laudis materies inde desumitur, quod infanticidii crimen rarius ibi occurrit, ubi talia hospitia aperta sunt. Poterat autem fortasse haud temere contra moneri, plurimos infantes haud propterea necari, quod matres nesciant, unde prolem sustentare possint, sed ut celent perditae pudicitiae dedecus. Id vero minime effugiunt, certe pauperiores, quae glebae quodammodo adscriptae ibi commorari debent, ubi foetum extra matrimonium conceperunt, nec iter ad fontem salutarem, ad cognatos, in exteris terris commorantes, visendos etc. praetexere possunt, ut curiosorum oculis subtrahant abdominis intumescentiam, indies magis magisque auctam. Illae, clanculum enixae partum, tamen magistratui innotescent, qui dum criminis commissi poenas ab iis exiget, illud, cui profundissimas tenebras obducere puella cupiebat, in lucem clarissimam omniumque notitiam protrahet. Quae quamquam ita sunt, tamen experientiae, quae hac in re subtilissimis ra-

tiociniis praeferenda est, fidendum quoque erit. Lutetiae autem Parisiorum infanticidium inter rarissima crimina referri ex eo inde tempore, quo hospitium infantum expositorum conditum sit, testantur auctores lexici encyclopaedici v. *Exposition d'Enfant*, et scriptor anonymus (*Etat de la médecine, chirurg. et pharmac. en Europe pour l'année* 1777. p. 216.). Idem quoque observatum est Holmiae, ubi ante conditum ejusmodi hospitium, quod nescio quid metuentes verbi divini ministri, quominus institueretur, impedire omni modo studebant, infanticidium frequentissime committebatur. Vid. Lud. de Hess *freimüthige Gedanken über Staatssachen.* Francf. 1778. 8.

Alterum, quo commendare student hospitiorum talium utilitatem, petitur inde, quod pauperibus parentibus educandorum infantum molestia multum leniatur, atque sic civium frequentia magnopere augeatur, quippe cum pauperiorum hominum matrimonia videantur esse fecundiora. Quanquam autem bene scio, civium frequentiam plurimum quaeri a plerisque librorum politicorum auctoribus, adeoque illam rem publicam haberi potentissimam, quae maximam numeret civium multitudinem, tamen equidem hocce axioma, nimium universe enunciatum, ut verum sit, angustioribus limitibus circumscribendum puto. Ubi enim civium numerus ita increverit, ut ipsis minime suppetant vitae commoditates ejusque sustentandae subsidia, respublica non poterit non maximopere laborare ingenti civium suorum frequentia. Id, quod Sinensium regnum luculentissime poterit probare, in quo hanc ipsam ob causam adeo frequens est liberorum expositio, ut ii quovis diluculo Peckini plaustro convecti extra urbis moenia canibus avibusque rapacibus dilacerandi projiciantur. Neque in Europae finibus amorem parentum pauperum erga infantes eum esse, qui omnia potius tolerare, quam iis orbari malit, ostendunt illustria exempla, quae hospitia infantum desertorum Londinense atque Pa-

risinum nobis praebent. Illud enim anno CIƆIƆCCLVII, quo senatus regni ambo hospitium maxime obaeratum, ut aere alieno exire posset, annuo dono decem millium librarum anglicarum sublevare decreverant ita, ut infantes quoslibet, spurios aeque ac legitimos, cum recens natos, tum primum aetatis annum nondum egressos, reciperet, infantum quinque millia et ultra quingentos accipiebat, cum antea mille tantum in illud quotannis essent illati. Lutetiae autem Parisiorum anno CIƆIƆCCLXXII ex duo de viginti millibus septingentis et tredecim infantibus septem millia sexcenti septuaginta sex hospitio infantum expositorum tradebantur. Qui quidem ingens numerus nostrum animum in hac re consideranda maximopere defigat, necesse est. Utrumque vero exemplum certissime probat, Sonnenfelsium, acris ingenii virum, a vero aberrasse, cum (*Grundsätze der Policey, Finanz- und Handlungswissenschaft* §. 99.) contenderet, liberorum expositionem haud adeo frequentem fore eorum, qui e legitimo matrimonio sint prognati. Etenim plane cogitari nequit, infantes omnes, qui anno CIƆIƆCCLXXII hospitio, talibus infantibus destinato, Parisiis recipiendi erant, nothos fuisse, quippe cum duae e quinque partibus omnium natorum, et quod excurrit, hospitio alendi committerentur. Praecesserant autem duo anni, qui ob insignem annonae caritatem pauperiorum hominum res maximopere adflixisse, eosque eo desperationis adduxisse videntur, ut infantes, quamvis caros, desererent. Nam cum ipsis non nisi haec optio daretur, utrum infantes fame perire, an hospitio liberorum expositorum tradi mallent, hoc eligebant. Quamquam autem bene sentio, hoc exemplum aliquo modo temporum durorum ratione posse excusari, tamen certissime mihi persuasum est, parentes multos, animorum levitate abreptos, et ut liberius genio indulgere possint suo, hospitiis talibus abuti, iisque infantes suos, quos commode ipsi alere atque educare possent, susten-

tandos committere. Hac autem facilitate, liberos proprios alienae curae alendos atque educandos mandandi, minime augeri civium frequentiam, ea comprobabunt, quae alia occasione, propediem obvia, de magna infantum expositorum mortalitate proponam.

Denique et infantum tristissima sors, qui extra matrimonium nati, et parentum cura atque institutione orbati, sibi ipsis relinquuntur, consideranda est, quippe quae hospitiis liberorum expositorum bene ordinatis multum emendatur. Etenim quam plurimi infantes spurii nascuntur a matribus pauperioribus, quae vix habent, unde suam ipsarum vitam possint sustentare. Eae igitur infantes hominibus tradent aeque pauperibus, qui, minimo praemio contenti, educandi infantis molestiam in se recipiunt. Hi vero id tantummodo curae cordique habebunt, ut ex hisce infantibus aliquem capiant fructum. Quamobrem tenellis utuntur, ut mendicando misericordiam hominum commoveant, adultiores autem factos mendicorum artibus imbuunt, eosque vel severissimis poenis eo adigunt, ut quotidie certam pecuniae summam adferant domum, quae utrum mendicando collecta, an subfurando parta sit, id parum curant. Vitae desidiosae, quam a teneris amplexi sunt adamantque, ita sunt adsueti, ut vix ac ne vix quidem ad aliam magis laboriosam possint traduci. Quo accedit pessimorum exemplorum, ipsorum oculis semper obversantium, vis, quae nisi ipsos pessimos et veram reipublicae sentinam effecerit, nescio, quid miraculi subesse debeat hujus rei causa.

Longe autem alia ratio est infantum hospitiis exceptorum, quae ejusmodi desertis infantibus sunt destinata. Ut primum enim vires sumserunt, quae migrationem rus permittunt, ruricolis committuntur, qui magistratibus de apta horum infantum educatione rationem reddere debent. Adultiorum animi religionis praeceptis et primis certe literarum elementis imbuuntur. Laboribus, ipsorum viribus accommodatis, ma-

ture adsuefiunt, et nisi rus colere malint, opificibus traduntur publico sumtu, ut ab his instituti aliquando, unde honeste vivere possint, habeant. Nolo plura addere, quae magnam differentiam inter infantes spurios, qui a matribus, inprimis pauperibus educati, sine omni cura ac institutione adolescunt, et eos, qui hospitiis excepti atque ruricolis probis honestisque alendi traduntur, clarissime doceant. Inprimis et valetudinis rationem poteram adferre, quae apud utriusque classis infantes diversissima esse solet.

XVII.

HOSPITIORVM, INFANTIBVS EXPOSITIS DICATORVM, INCOMMODA EXPENDVNTVR.

Programma d. II. Oct. cIↄIↄcccx editum, cum Ch. Fr. Buchheimio, Waldheimensi, titulus et jura Licentiati med. et chirurgiae conferrentur.

Nuper admodum de commodis hospitiorum exposui, in quibus expositi infantes recipi, receptique ali atque educari solent. Quae quidem commoda non possunt non talia aedificia magnopere commendare rerum publicarum gubernatoribus. Sed sollicite cavendum est, ne nimiis laudibus eorum animos obcoecare et a vero, quod in medio positum est, in errorum praecipitia abducere videamur. Quam ob rem etiam sine partium studio incommoda in considerationem vocanda sunt, et aequa lance ponderanda.

Atque inter haec incommoda omnium primum est, quod finem propositum minime adsequantur talia instituta. Finis autem, quem petunt, qui ejusmodi aedificia aperiri volunt, est auctior civium numerus. Nolo equidem, ut probem, hunc finem neutiquam attingi, provocare ad viros summos, qui in contraria fuerunt sententia, Humium atque Süssmilchium, quorum loca, huc spectantia, protulit Meissnerus [1]). Utrique poteram addere Schloetzerum [2]), I. Pt. Frankium [3]),

1) Vid. Ej. *zwei Abhandlungen etc.*

2) Ejus *Commercium literarium*, H. XLVII. p. 324.

3) *System d. med. Policey.* Th. II. p. 450. ff.

Zach. Gli. Hvsstyvm [4]), Ern. Bjm. Gli. Hebenstreitivm [5]) aliosque, quorum citandorum copiam mihi fecit Krünitzivs [6]). Experientiae potius soli fidendum esse puto, quae omnino talibus hospitiis minus favere videtur. Etenim Moheav [7]) e tabulis publicis, in quas refertur quotannis omnium et natorum et mortuorum in Franco-Gallia numerus infantum expositorum et hospitiis ejusmodi illatorum, ibique mortuorum multitudinem in vulgus indicavit, quae tanta est, ut omnium, qui humani nihil a se alienum putant, animos opprimat terrore, veramque esse epigraphen evincat, quam satyrarum inter Anglos scriptor haud ignobilis ad portam talis hospitii aliquando adfixit: HEIC INFANTES PVBLICIS SVMTIBVS INTERFICIVNTVR. Rotomagi enim intra decennii spatium infantum septingentorum quadringenti et duodecim, Claramontii e mille centum atque decem infantibus sexcenti quadraginta, Turonis e mille sexcentis sex et octoginta moriebantur mille centum sexaginta septem. E viginti septem infantibus Rotomagi unus tantum pubertatis annos attigit, isque tam fracta valetudine, ut e centum atque octo infantibus non nisi duo civium copiae augendae inservirent. Gratianopoli autem e centum infantibus primi anni decursu viginti quinque, Lugduni triginta sex, Rupellae quinquaginta, Montispessulani denique sexaginta obire constat. Liancvrtivs in sua ad convocatos nationis Franco-Gallicae proceres narratione de hospitiis infantum expositorum adfirmabat, ex infantum receptorum tribus partibus intra primum mensem duas, e superstitum autem quinque partibus tres obire, antequam nutricum curae ruri committantur; infantum denique,

---

4) *Diskurs über die med. Policey.* Th. II. p. 132.

5) *Lehrsätze der medicin. Policeywissenschaft.* §. 261. p. 138.

6) *Oeconom. Encyclopädie.* Th. XIII. p. 383 ff.

7) *Untersuch. u. Betrachtung. über die Bevölkerung.* *Gött.* 1780. 8.

qui inde ab anno CIↃIↃCCLXXIV usque ad annum CIↃIↃCCXC hospitio Parisino excepti erant, et quorum numerus decies centena millia excedebat, non nisi quindecim millia anno CIↃIↃCCXC in vivis adhuc fuisse. Sex igitur partes quotannis fato fungebantur suo. Neque haec ingens et fere stupenda multitudo mortuorum infantum expositorum Galliae hospitiis quodammodo propria censenda est, sed eadem etiam in Anglia fuit observata. Nam anno CIↃIↃCCXC referebatur ad inferiorem regni Hiberniae curiam, ex undeviginti millibus quadringentis atque viginti infantibus, qui Dublini hospitio infantum expositorum decem annorum spatio recepti fuissent, septendecim millia quadringentos et quadraginta aut mortuos, aut in vitae periculum adductos fuisse: qui autem anno CIↃIↃCCXC in istud hospitium deportati fuissent, horum duorum millium centum et octoginta anno sequenti non nisi centum octoginta septem superstites fuisse. Nec Londinense hospitium infantum expositorum, cujus annui reditus quatuor millibus librarum anglicarum aequantur, feliciori successu usum est. Nam initio quartus quisque infans, antequam primum aetatis expleverat annum, postea sextus quisque, et recentissimis temporibus pauciores adhuc e vivis excedebant [8]). His exemplis liceat praeterea addere, quae Germania nobis suppeditat. Monachii quidem ex infantibus centum expositis moriuntur quinquaginta septem; Casellis non nisi decem e septingentis quadraginta attingebant quartum et decimum aetatis annum; Vindobonae e novendecim infantibus vix unus servari potest, quamquam in maxima redituum ubertate, quibus istud hospitium fruitur, nihil omnino ibi parcunt, quod ad vitam infantum conservandam ullo modo facere potest, nec infantes soli, qui extra matrimonium concepti sunt, in illud recipiuntur, sed etiam ii, quo-

---

8) Vid. Jos. Frank's *Reise nach Paris und London.* Th. I. p. 217.

rum matres in hospitio, parturientibus ibidem aperto, partum enixae sunt [9]). Berolini denique in nosocomio, quod a caritate nomen habet, vix quarta omnium infantum ibi natorum pars primum aetatis mensem superat, licet matribus concessum sit, ut per sex hebdomades, publicis sumptibus sustentatae, infantibus mammas praebere possint. Quid? quod in Russia quoque, ubi talia hospitia maximis impensis fundata sunt Petropoli atque Moscuae, idem sinister effectus in populationem observatus est. Nam in Petropolitano e tribus millibus sexcentis atque quinquaginta infantibus, qui quotannis in illud inferuntur, mille et ducenti obeunt, in Moscuensi autem e triginta septem millibus, sexcentis septem infantibus, qui per viginti annos recepti sunt, non nisi mille et viginti, h. e tricesima fere septima pars, dimitti potuerunt.

Nec mirum hoc. Nunquam enim poterit matris atque patris, vel maxime pauperum, erga infantes amor, qui ipsorum necessitatibus maxima cum sollicitudine providet, compensari mercenariorum hominum cura. Mater uni tantum prospicit infanti: ministrae autem, quae ad minimum quatuor infantes curandos accipiunt [10]), animi attentione vel maxima, quae in feminis mercede conductis haud solet magna esse, opus habent, ut omnibus horum infantum necessitatibus satisfiat.

Iam ponamus, primo aetatis anno mori fataliter atque e naturae legibus e mille natis ducentos et sexaginta, qui quidem numerus e tabulis a Wargentino [11]) atque Süssmilchio [12]) editis, ductus est, infantum au-

---

9) Cons. Joh. Dion. John's *Lexicon der k. k. Medicinalgesetze.* Th. II. p. 19.

10) Vid. Exper. Andrée *l. c.* p. 297.

11) *Schwed. Abhandlung. der kön. Akad. d. Wissenschaften.* Th. XXVIII. p. 3 ff.

12) Ejus *Göttliche Ordnung.* Th. I. p. 166. Th. II. p. 294. 303. et tab. 24.

tem expositorum atque hospitiis exceptorum dimidiam partem, quin interdum adeo e decem partibus sex, magna utique differentia est ducentorum quadraginta, aut quadringentorum adeo, quorum mors magnis a republica sumptibus redimitur. Sed non solum hac ratione, verum etiam nutricum, quae hisce infantibus dari solent, culpa putant multum imminui civium numerum: eas enim esse plerumque agricolarum uxores, quae nunc impediantur, quominus per longius temporis spatium, quam alias factum fuisset, iterum concipiant [13]). In qua quidem re aliam mihi mentem esse haud diffiteor. Nam ruricolis solet nimia fecunditas minime vitio verti: rara quippe sunt eorum exempla, qui quatuor aut plures infantes progenuerunt. Nec maritus coitum magis declinabit, cujus uxor praeter proprium exposito infanti mammam praebet, quam alias facere solet. Neque hanc legem imponunt feminis talibus, qui ipsis infantes expositos tradunt alendos, ut a coitu abstineant per certum ac finitum lactationis tempus. Modo enim expositus infans valetudine fruatur integra atque indies vires sumat majores, id utrum lacte materno, an alio modo effectum sit, non curant, qui hospitio infantum expositorum praesunt. Denique hic ipse sinister eventus maxime latet adversarios, quos et inter Francogallos hospitia infantum a parentibus desertorum habent. Nec ibi difficile erat hujus rei observandae negotium, cum e Picardia sola quotannis fere tria millia nutricum, Lutetiam Parisiorum accersitarum, infantes in hospitio acceptos domum ducant [14]). Omnium igitur facillime intra decennii fines ibidem, si quis sinister hujus instituti in populationem effectus esset, debebat extra omnem dubitationem poni.

---

13) Meissnerus, *l. c.* p. 40.

14) Vid. Exper. Andrée, *l. c.* p. 309.

A morbis etiam epidemicis et contagiosis multum periculi metuitur in talibus hospitiis [15]), et inprimis ad variolas, scabiem atque tineam provocant, quorum morborum prior ingentem stragem editurus sit in tanta infantum debilium atque sibi proxime adjacentium multitudine, posteriores autem difficulter ob contagii facilem propagationem e talibus hospitiis plane proscribi queant, atque infantum sanitatem, quae jam propter aërem impuriorem, exercitationis defectum et alimenta inutilia admodum afflicta esse solet, magis adhuc corrumpant, mortalitatemque promoveant, necesse sit. Sed vanum esse hunc metum, facile quisque intelliget, cum perpenderit, variolarum furorem maximopere coërceri posse vaccinarum variolarum insitione, adeoque inde, quod haec in talibus infantum expositorum hospitiis magis communis reddi atque divulgari poterit, commendatio talium institutorum potest desumi. Posterius autem nominati morbi iis tantum hospitiis quasi proprii sunt existimandi, in quibus infantes eorum, qui ipsis praesunt, negligentia immunditie horrent, alimentis minus idoneis nutriuntur, aëremque hauriunt maxime impurum. Sed haec vitia hospitiis illis haud ita firmiter adhaerent, ut ab iis separari nequeant. Id omnium certissime, ut uno utar exemplo, hospitium infantum expositorum Parisinum probat. Cum enim Jos. Frankivs anno cIↃIↃcccIII illud inviseret, tenellorum sortem deploravit non propter munditiei neglectum (hanc enim haud desiderabat), sed propterea, quod maximam ipsorum frequentiam oeci pauci iique angusti haud commode capiebant, infantesque rebus maxime necessariis egebant [16]). Experient. Andrée autem, qui quatuor annis post idem hospitium saepius intraverat, nihil eorum, de quibus Frankivs haud

15) Cons. Schloetzeri *Commerc. liter. l. c.*
16) *L. c.* T. I. p. 71.

temere conquerebatur, inveniebat[17]). Unde apparet, haec talium hospitiorum vitia facillime posse provida cura atque diligentia praecaveri.

Poteram plures adhuc causas commemorare, unde tam frequens in talibus hospitiis infantum mortalitas derivari et potest et debet. Sed hancce materiem, quae solet gravissima esse, in aliam differam scribendi opportunitatem. Non enim paucis verbis comprehendenda est, quippe cum, ubi has causas accurate indagaverimus, nec remedia forte defutura sint, quibus illas, nisi omnes, plurimas tamen, removere, atque hac ratione hospitia infantum expositorum minus noxia reddere possimus.

---

17) *L. c.* p. 226.

XVIII.

HOSPITIORVM, INFANTIBVS EXPOSITIS DICATORVM, INCOMMODA FVSIVS EXPENDVNTVR.

Progammate hoc indicata est d. XXI. Jun. CIƆIƆCCCXI. promotio GOTTHILF GVIL. SCHWARTZII, Leucopetrensis, in Licentiatum med. et chir.

Cum anno superiore in hoc argumentum inquirerem, commemoravi aliquot causas, unde ingens infantum expositorum, quae fato praematuro cedit, multitudo pendeat, pluribus, quae in medium proferri poterant, alii scribendi opportunitati reservatis. Ulterius igitur nunc illam disputationem profligaturus ostendere conabor, aërem impurum, quem talia hospitia infantum expositorum ut plurimum continent, multum conferre ad mortalitatem, quae jam in infantibus recens natis per se magna esse solet, adaugendam. Triplex autem fons, unde impurum adeoque ad respirationem minus aptum aërem in talibus hospitiis manare putaverim, considerandus esse videtur. Etenim aut magnus infantum numerus, qui uno eodemque conclavi continentur, corrumpit aëris bonitatem, aut situs et structura hospitiorum, infantum desertorum receptioni et sustentationi destinatorum, talis est, quae minime emendare possit vitium illud aëris, a nimia infantum frequentia contractum, sed potius augere debeat; denique et immundities infantum, quae aut linteorum necessariorum penuriae, aut ministrarum negligentiae adscribenda

est, plurimum facit ad aëris impuritatem, quam duplex, quae modo commemorata est, genuit causa, fovendam.

Ac de primo quidem fonte aëris in hospitiis infantum expositorum impuri cum brevissime egerint et Jo. Pet. Frankivs [1]), lectores ad illam libri sui partem ablegans, quae de nosocomiis expositura est, nondum editam, et Zach. Gli. Hvssty [2]), qui hac de re exponens Frankium nimis presso pede legit, liceat ea cum lectoribus communicare, quae recentissimi scriptores nobis de nonnullis iisque celeberrimis hospitiis narravere.

Lutetiae Parisiorum quatuor oeci, qui infantes expositos recipiunt, continent tot lectulos, quot ad parietes commode stare possunt, praeterea duo adhuc ordines lectulorum medium oecum occupant. Quae infantum copia, nisi munditiei inprimis ratio habita fuerit, necessario aërem perspiratione haud sensibili, exhalationibus excrementorum cum alvi, tum urinae, alimentorum etc. vitiabit ita, ut color cutis naturalis et laete rubens brevi transeat in ingrate album aut flavum, et leucophlegmaticus corporum habitus luculentum commorationis insalubris testimonium exhibeat. Qui quidem fons aëris corrupti largissimus augebitur multum, ut praetereamus adultorum, qui horum infantum ministerio inserviunt, exhalationes, lampadum et ellychniorum vaporibus, ad illustrandum tam spatiosum oecum adhibitorum. Hinc non mirum videbitur, olim, cum illi lectuli omnem infantum, in hoc hospitium illatorum, numerum haud caperent, sed plurimi in mensis, sellis ipsisque adeo fenestris jacerent, urinosum odorem male habuisse eos, qui hos oecos inviserent. Nunc autem, cum infantes plurimi statim rus mittan-

1) *System d. med. Polic.* Th. II. p. 469.

2) *Discurs üb. d. med. Polic.* Th. II. p. 135.

tur, atque sic receptorum numerus indies magnopere imminuatur, odor iste ingratus fere omnis evanuit.

Petropoli sexcenti infantes simul adsunt aut certe adesse possunt in hospitio, ab Imperatrice Catharina II. infantibus expositis aperto. Sed eorum distributio per plures oecos impedit, quominus aër hac infantum multitudine corrumpi queat. Duobus enim amplis aedificiis, quorum unum a comite Rasumovskio, alterum a comite Bobrinskio multo aere redimebatur, recipiuntur et aluntur infantes ita, ut illo soli pueri, hoc solae puellae contineantur. Quamobrem peculiares causae subesse debent, unde illa morientium infantum frequentia, quam nupera commentatione tetigi [3]), explicari possit. Eas autem perspexi, cum legerem in Henr. de Reimers descriptione metropoleos imperii Rossici [4]), deferri in illud hospitium saepe aut jam penitus mortuos aut morti proximos infantes, quorum parentes pauperie pressi sumtus sepulturae evitare cupiant. Dein olim infantes, nulla virium aut tempestatis habita ratione, tertio die, ex quo in aedificium delati erant, rus mittebantur. Itaque inprimis hyeme, cum frigoris vis intensa esset, multi infantes, ipsi expositi, gelu moriebantur. Si hos de numero detrahimus reliquorum, multum imminuitur mortuorum copia, praecipue ex quo Imperatoris mater utriusque, et Moscuae et Petropoli expositis infantibus aperti, aedificii curam et inspectionem in se recepit. Haec enim, cum juberet infantes non nisi viribus bene valentes, tertia aut quarta demum hebdomade ex hospitio rus cum nutricibus mitti, eosque, qui in hospitio commorarentur, aëre liberiore in hortis adjacentibus frequentissime frui, effecit felicissime, ut e centum infantibus quotannis non nisi quindecim fato fungerentur suo, cum antea quinque et quadraginta morerentur.

---

3) Pag. 281.

4) *St. Petersburg am Ende seines ersten Jahrhunderts.* Th. II. p. 180.

Amstelodami magnum quidem aedificium expositis infantibus dicatum est, sed idem illud minime convenire infantum receptorum multitudini, periti harum rerum arbitri judicavere [5]). Cum enim illo non infantes solum omnes, a parentibus deserti, sed etiam qui patre et matre orbi decimum quintum aetatis annum nondum attigerunt, aut patrem habent, ob criminum commissorum atrocitatem capite caesum, recipiantur, horumque omnium numerus ad tria usque millia adscendat, quo nondum comprehensi sunt, qui, nutricum aut in urbe aut ruri viventium curae sunt concrediti, quinque amplius mille ducenti aut quadringenti adeo numerantur, aër non potest non tanta hominum multitudine multum vitiari. Praeter aërem impurum alimenta quoque in hoc ipso orphanotropheo minus salubria sunt. Quamobrem scabies fere omnes infantes inficere solet rhachitisque cum scrophulis inter morbos et frequentissimos et refractarios, qui ibi regnant, numeratur.

Neque tamen sola infantum multitudo nimia aërem hospitiorum talium corrumpit, sed idem quoque efficit eorundem aedificiorum situs ineptus et maximopere insalubris. Fundus enim aut emtione a magistratibus acquiritur, aut piae, quam dicunt, causae testamento legatur. Illud ubi locum habet, necessitas aperiendi talis hospitii saepissime adeo urget, ut de loco eligendo, quo illud commode erigi possit, haud longa deliberatio concedatur, sed is, qui primum sese offert, sumendus sit. Quare videmus, talia hospitia interdum latere quasi abscondita in angiportis maxime angustis atque impuris, undique cincta esse aedificiis longe altioribus, ad undas stagnantes aut in vicinia opificum exstructa, qui aërem opificiis suis maxime vitiant, quo laniones, glutinis coctores, saponarii, qui ex intestinis fides conficiunt, aut fru-

5) Exper. ANDRÉE *libr. cit.* Th. II. p. 114—118.

menti spiritum destillant rel. rel. pertinent. Exempli loco e pluribus adducam orphanotropheum, quo Lutetiae Parisiorum prope hortum plantarum in platea, a St. Victore nomen habente, exstructo sexcenti pueri aluntur educanturque. Illud enim, si JADELOTO [6]) medico fides habenda, (erit autem ipsi maxima, cum per septem annos medici munere in illo orphanotropheo functus sit,) minus commode situm, liberiori aëris perflatui haud patet, rivulusque, purgamentis omnis generis squalens et vix tolerabilem foetorem aestatis praecipue tempore exhalans (*Rivière des Gobelins*), aërem stagnantem magis adhuc corrumpit. Quod quidem loci incommodum eo minus evitabitur, cum aedificium infantibus expositis recipiendis ab homine liberali ac publicae utilitatis amante oblatum dono fuerit. Tunc enim illud, sive salubris ejus situs sit, sive non, fini, cui destinatum est, adaptandum erit. At poterit, nisi idoneum ac valetudini conducibile repertum fuerit tale aedificium, vendi aliusque isque melior fundus e pecunia inde accepta emi. Audio, sed sunt saepe ita difficiles ac morosi, qui ampla munera utilitati publicae offerunt, ut, quaecunque tandem persuadendi argumenta adhibeantur, tamen nolint de fundi donati permutatione aliquid audire, sed nominis ac beneficii sui memoriam putent tam firmiter fundo adhaerere, ut, si hujus nomen mutatum sit, et beneficii memoria ne pereat, metuant.

Si igitur locus, quem infantum expositorum hospitia interdum occupant, non omnino aptus est ad aëris puritatem servandam, haec magis adhuc ipsa talium aedificiorum structura et interna partium descriptione laedi solet. Sive enim emta, sive donata fuerint haec aedificia, sumtuum parcendorum causa, quae olim obtinuit constructio et conclavium distributio, quamquam nunc plane immutata est aedificii

6) Vid. *Journ. de Médecine, Chirurgie etc.* p. CORVISART. an. 1808.

destinatio, tamen retinetur. Itaque invenimus oecos angustos, minusque altos, et aëri facile renovando minime accommodatos. Etsi autem angustiam conclavium commode tolli posse parietibus intermediis destructis concedimus, tamen cum altitudo eorundem aequa ratione augeri haud possit, aëris impuritas, ab infantum ibi viventium multitudine genita, ista oecorum amplificatione adeo non praecavetur, ut potius adjuvetur et ad eum vitiositatis gradum evehatur, qui sanitati infantum sit perniciosus.

Paucis denique tertium fontem, unde impurus, qui in ejusmodi hospitiis infantum expositorum hauritur, aër manare solet, liceat aperiri. Is autem in immunditie reconditus est, quam aut linteorum et pulvinarium necessariorum inopia, aut ministrarum negligentia et, qui ipsis praesunt, socordia efficit. Illa enim excrementis madida, aut alimentorum per vomitum rejectorum vestigiis notata, aut alio modo conspurcata, nisi cum mundis saepius permutari possint, odorem spargunt subacidum eumque ingratissimum, qui atmosphaeram, quae infantem proxime circumfluit, respirationi minus idoneam atque salubrem reddit. Quae quidem linteorum, pulvinarium etc. penuria si a pauperie hospitii pendet, excusationem aliquam, quamvis levem, habet, sed si hujus rei causa accusanda est ignavia eorum, qui hospitiorum talium curam habent, hujus turpitudinis nulla omnino deprecatio habetur. Hinc facile est ad intelligendum, hospitiorum talium descriptionem minime accuratam et plenam esse, nisi linteorum reliquaeque vestimentorum supellectilis rationem habuerimus. Multum igitur laudanda est diligentia Experientissimi Andree, qui in opere, aliquoties adducto, cujusque hospitii aut nosocomii descriptioni recte addidit et notitiam de linteorum copia et qualitate, quibus, qui istis hospitiis aluntur et sustentantur, uti possunt.

XIX.

DE VERISIMILI COMBVSTIONIS CORPORVM HVMANORVM SPONTANEAE CAVSA

PARTIC. I.

Programma scriptum d. XIX. Jul. CIƆIƆCCCXI, cum in CLEM. WENCESL. HIMMERVM, Confluentiae ad Rhenum natum, jura ac privilegia Licentiati med. ac chir. conferrentur.

Res mira et olim quodammodo portentosa habita, corpus humanum interdum igne comburi interno; cujus causa quamvis diligenter a medicis et naturae scrutatoribus indagata fuerit, tamen nondum ita eruta ac definita est, ut dubitationi nullus superesset locus. Inquisivere nuper in hanc rem mirabilem LAIRIVS [1]), RITTERVS [2]), KOESTERVS [3]) atque KOPPIVS [4]), exemplaque hominum, hac morte vivis ereptorum, multa cum diligentia collegerunt. Quorum virorum laboribus nolo ita uti, ut, quae ab ipsis in medium prolata sunt, recoquam, multisque probem, mortem obiri posse et vere obiri combustione interna eaque

1) Essai sur les combustions humaines produites par un long abus des liqueurs spiritueuses. à Par. an VIII. 8. in nostram linguam translatum opusculum a CHR. GVIL. RITTERO. *Hamb.* 1801. 8.

2) *Ueber Selbstentzündungen in organischen und leblosen Körpern. Hamb.* 1804. 8.

3) Diss. d. combustione corporis hum. spontanea. *Jen.* 1804. 4.

4) Et Dissert. inaug. d. causis combustionis spontaneae in corpore hum. factae. *Jen.* 1800. 4. et libello recens edito: *Ausführl. Darstell. u. Untersuch. der Selbstverbrennungen des menschl. Körpers. Frankfurt a. M.* 1811. 8.

spontanea, h. e. sine igne extrinsecus admoto producta. Sumam id potius tanquam rem, plurimis exemplis comprobatam adeoque verissimam.

Prius autem, quam causas hujus ipsius phaenomeni investigaturus sum, videntur necessario praemittenda esse, quae nisi omnibus omnino, plurimis tamen spontaneis corporum humanorum incendiis communia fuerunt. Haec enim rei obscurae lucem aliquam adfundere poterunt.

Inter septendecim historias, a Jo. Henr. Koppio commemoratas, una tantum de viro agit, hoc mortis genere peremto: reliquae omnes feminas narrant bibaces, vetulas, Semeles, quae Bacchum utero tulit, illustre exemplum imitatas, spontaneo conflagrasse igne. Dein flammae vim omnem intra corporis incensi limites ita coërcitam et conclusam esse deprehendimus, ut aliae res, maxime inflammabiles, in vicinia corporis flagrantis positae, lintea puto, ligna maxime sicca, et quae sunt hujus generis, aut prorsus intactae, aut parum tantum adustae reperirentur [5]). Neque vero hoc leve judicandum est rei momentum, quod, quamquam ignis in propinquo ardebat, tamen inde combusti corporis humani causa difficulter poterat derivari. Denique celeritas, qua omne corpus, paucis tantum partibus exceptis, in carbonem cineresque foetentes redigitur [6]), et ea ratio, ex qua valde difficile est seu potius omnino nequit fieri, ut, flamma aqua largissime adfusa extinguatur, quae interdum observata est, omnem animi attentionem meretur. Anni tempestatem frigidam, qua ejusmodi incendia frequentius incidere contendit Koppius

---

5) Koppius *l. c.* p. 23. IV. V. p. 27. VII. p. 29. XII. p. 35. XV.

6) Intra duarum, quin unius adeo horae spatium observata est talis combustio Kopp. *l. c.* pag. 28. XIII. pag. 31. X. — XIII. pag. 32.

l. c. p. 55, de industria silentio praetermitto, cum et mense Junio aliquoties idem acciderit casus.

Jam rimantibus hujus singularis phaenomeni causas duplex sese offert, quarum altera, ab omnibus fere, qui combustorum sponte sua corporum animalium exempla literis mandaverunt, commemorata, in spiritu vini quaeritur, omnis corporis partes penetrante ac imbuente principio maxime inflammabili, quod non nisi levissima scintillula, extrinsecus adveniente, opus habeat ad ignem vehementissimum excitandum. Matthias quidem Jacobaevs apud Thom. Bartholinvm [7]) testatur, feminae Parisiensis, quae se per triennium spiritu vini ita ingurgitaverat, ut nullo alio nutrimento uteretur, corpus tantum ardorem concepisse, ut, dum femina versus vesperam in sella straminea consedisset dormitura, inflammaretur. Ejusdem sententiae fuit le Cat [8]) et recentissimis temporibus Lairivs. Is enim vasa lymphatica a spirituoso principio ita coarctari putat, ut illud, omni exitu per has vias ipsi praecluso, a partibus, quae a tali potu inebriante irrigantur, veluti a spongia absorbeatur. Solas igitur partes aquosas per renes excerni, urinamque harum bibularum propterea similem esse ei, quam spasmis adfecti homines soleant emittere. Omnia autem corporis animalis organa a spirituosis partibus penetrari, docent exempla hominum bibacium, a fide dignissimis medicis dissectorum. E multis haec duo commemorasse sufficiat. Et Noëlivs quidem, hominem cultro anatomico subjiciens, qui e nimio potu spirituoso mortem invenerat, non solum deprehendit, cum aperto cranio cerebrum, subtus latens, dissecaret, odorem spiritus vini vehementem, sed etiam vidit viscus illud ab admota flamma in-

7) *Acta med. Hafniens.* Vol. I. p. 211. obs. 118.

8) *Mémoire sur les incendies spontanés* citatus a Lairio *l. c.* p. 13. vers. germ.

cendi[9]). Cui quidem viro testes gravissimi accedunt Cvvierivs et Dvmeril. Etenim hi hominis mercenarii, qui cum pignore certasset de duabus cum dimidia lagenis, vino plenis, intra sextam horae partem ebibendis, et hujus certaminis victor abiisset, de hoc praeclaro scilicet facinore superbiens, aliquot praeterea spiritus vini vitris epotis, apoplexia concidit, cadaver aperiebant, de vinoso odore, quem omnes illius partes per viginti quatuor horas exhalabant, mirabundi. Quod quidem experimentum in facinorosis hominibus aliquoties repetitum facti veritatem evicit, quorum musculi et pinguedo adeo imbuta erat odore spirituosi potus, quo, dum viverent, abusi erant[10]).

Contra haec argumenta, ab experientia partim ducta, atque adeo gravissima, Koppivs, novae de spontaneis corporis humani incendiis theoriae auctor, nonnulla monuit, quae utrum pondere suo inconcussa stent, an commode submoveri queant, nunc videndum erit. Atque primum urget Vir Experientissimus, spiritum vini ingurgitatum amittere suam flammae concipiendae facultatem, cum omnia ingesta a vi vitali corporis animalis mutentur, et, quae illorum compositionem ingrediebantur, partes nunc a se invicem removeantur, nunc cum aliis peregrinis misceantur ita, ut penitus nova producantur corpora: spiritum vini igitur, ut talem, non sanguinis massae admisceri, sed alias prorsus sumere virtutes. Sed id, quod probandum erat, spiritum vini haustum a vi vitali decomponi, male in hac disputatione adhiberi videtur ad refutandam contrariam sententiam, qua hocce fluidum, quod cum moderatione et raro haustum stimulat, nimia autem copia et fere continuo potum vim vitalem maximopere deprimit, propter hunc ipsum

9) Observations sur la phys. sur l'histoire naturelle et sur les arts p. l'Abbé Rozier. Vol. IX. p. 88.

10) Lairivs *l. c.* . 24.

principii vitalis defectum a solidis corporis animalis partibus, veluti a spongia, sugi contenditur. Quae quidem sententia cum experientia magnorum anatomicorum confirmetur, qui cum dissecarent cadavera hominum bibacium, omnes eorundem partes spirituoso fluido imbutas deprehenderunt, hoc argumentum Koppius[11]) ita subvertere conatur, ut cadaverum prorsus aliam esse rationem, quam corporum vivorum, contendat: in illis enim spiritum vini, brevi ante mortem maxima in copia potum, sine ulla decompositione omnes corporis animalis partes penetrare posse, quod in corpore vivo fieri nunquam queat. Dein quoque experientiam experientiae opponit. Nam Metzgerum[12]) laudat testantem, homines, qui inebriante potu fere semper obruti consenuerint, nullam rei peculiaris animadversionem in ipsorum cadaveribus obtulisse praeter ventriculi inflammationem.

Cujus quidem duplicis argumenti firmitas haud tanta mihi esse videtur, ut victas dare manus cogamur. Etenim quod primum allatum est, firmat potius, quam subruere debet, sententiam. Scilicet si spiritus vini aut quodvis aliud fluidum spirituosum corpus animale mortuum sine ulla naturae suae mutatione penetrare potest, idem etiam contingat necesse est in ipso mortis apoplecticae instantis momento, quo omnis sentiendi facultas penitus deleta, et motus muscularis adeo debilitatus est, ut cordis palpitationes vix digito possint discerni, nec contractiones musculorum vel a fortioribus stimulis, qualis galvanicus est, efficiantur, nisi lentiores ac levissimae. Hanc igitur corporis humani conditionem, qua morti apoplecticae proximum est, necessariam esse putamus ad ejusdem et incendium spontaneum efficiendum et combustionem plenam perficiendam. Inde possumus facillime explicare, cur multi

---

11) *L. c.* p. 51.

12) Ejus *med. gerichtliche Abhandl.* I. p. 38.

homines, maxime inebriati et flammam pessime foetentem et coeruleam, qualis incensi spiritus vini esse solet, eructantes, inde quidem suffocentur, neutiquam vero comburantur. Et Gmelinum quidem legi de Rossis Polonisque narrare, qui in potando spiritu vini finem vix prius inveniant, quam omnem sentiendi movendorumque artuum licentiam amiserint, eos ex hypocaustis in aërem liberum eumque nimis frigidum translatos a flammis ex ipsorum ore prorumpentibus perire. Neque vero meliore sorte usus est pecudum pastor Lahowizensis in Bohemia, qui cum sponsione certasset cum alio, uter majorem vini adusti copiam posset ita in se ingurgitare, ut mentis compos adhuc maneret, praeter novem farcimina, magnamque cerevisiae quantitatem, quatuor spiritus vini mensuras adsumsit hoc effectu, ut progressus in aërem liberum flammam conciperet, quae neque a copiose ingesto liquore stercoreo, neque ab injecto humido, quo totum corpus obtegebatur, stercore extingui posset, sed post maximos aliquot horarum cruciatus miserrimi hominis vitam finiret [13]).

Metzgeri autem auctoritate, qua se suamque sententiam tueri Koppius cupit, minime perturbor. Huic enim viro novi de suarum opinionum veritate ita saepe persuasum fuisse, ut et facta negaret, locupletissimorum testium adfirmatione repetita comprobata. Huc, ut his utar exemplis, pertinent, quae monuit contra partus serotinos, quos, cum plerumque locum haberent in feminis, quae, viduae, foetum excludebant, patri ante decem et quod excurrit, menses mortuo tributum, nolebat legitimos agnoscere, hoc inprimis nixus argumento, quod nullum observatum sit foetus exemplum, vivo adhuc patre tam sero exclusi. Jam cum et Burggravius [14]) et Foderé [15]), hic in sua ipsius

13) *Nationalzeitung d. Deutschen.* 1802. mens. April.
14) *Epistol. ad Hallerum.* Tom. I. p. 20.
15) *Les loix éclairées par les sciences physiq. à Par.* an. VII. 8. Vol. II.

uxore bis, hanc a naturali ordine aberrationem observatam testarentur, illum forte a muliercula deceptum esse autumat, hunc autem valde propensum esse statuit ad res videndas, quae aliis medicis haud ita facile obveniant. Eadem adversarios refutandi ratione utitur, cum aut de pulmonum natantium vi et efficientia agit ad vitam foetus exclusi demonstrandam, aut vagire posse foetum intra matris genitalia adhuc conclusum contra Osianderum et Finckium negat.

Quae cum ita sint, mihi quidem prior sententia de probabili combustionis corporis animalis spontaneae causa, a spiritu vini omnes corporis partes penetrante derivata, nondum ita labefactata et subruta esse videtur, ut penitus sit deserenda. Modo enim illud bene teneamus, homines tales morti apoplecticae proximos esse debere. Hoc corporis statu, qui per aliquot horas durare potest, spiritus vini, copiose paulo ante adsumtus, per poros inorganicos, jam nunc magis relaxatos et patulos, omnia organa permeat, corporique ignis subito concipiendi facultatem tribuit, ita, ut, causa nunc levissima ignem proliciente accedente, illud exardescat, nec prius, quam in carbonem cineresque transmutatum sit, uri desinat. In hac ipsa corporis conditione sola videtur latere differentia, quae intercedit inter hominem, maxima vini aut spiritus vini quantitate obrutum, cujus tamen vis vitalis adhuc viget, et inter hominem, eadem potus spirituosi copia inebriatum, animam autem agentem. In illo enim, inflammato intus spiritu vini, vis vitalis combustioni diu reluctabitur, flammaque nihil aliud efficiet, quam hoc, ut partes, quas veluti lambit, adurat: in hoc autem ignis omnem efficientiam exseret suam, cum nihil adsit, quod eam moderetur, vi vitali ita depressa, ut refocillari vix ac ne vix quidem possit.

XX.

DE VERISIMILI COMBVSTIONIS CORPORVM HVMANORVM SPONTANEAE CAVSA

PARTIC. II.

Programma, d. xx. Sept. anni cIↃIↃcccxi editum, cum Avg. Fr. Lvd. Fitzav, Cothena-Anhaltinus, medicinae et chirurgiae Licentiatus crearetur.

Nuper, cum in causas inquirerem, unde combustio spontanea corporis humani maxime penderet, duas potissimum commemorabam, quarum alteram, in spiritu vini omnes corporis humani partes penetrante positam, priore de hoc argumento commentatione pertractavi. Nunc altera in medium producenda et quae argumentorum, quibus sustentata est, ad persuadendum vis atque efficientia sit, dispiciendum erit. Et Koppivs quidem, ejusdem sententiae nisi auctor, tamen recentissimus defensor, rite perpensis omnibus, quae combustionem comitantur, sponte sua evenientem, phaenomenis, non nisi in chemica illius explicandae ratione subsistendum esse putat. Derivandam autem ejusmodi combustionem censet e progenito fluido aëriformi inflammabili, cujus causa ex abnormi corporis animalis constitutione pendeat. Hac enim effici putat, ut ex assumtis potulentis, inprimis spirituosis, extricetur aëris forma, facillime flammam concipiens.

Quam quidem sententiam ut probabilem reddat, refert inter alia historiam viri, qui, quod omnino

rarioribus exemplis adnumerari debet, spontaneo incendio periit. Ejusdem viri meminit quoque Georg. Prochaska [1]), ubi causas rimatur phosphorescentiae et incendiorum corporis humani spontaneorum. G. Maria Bertholivs scilicet, qui sacerdotis officio fungebatur, cum per integrum diem, negotiorum causa, huc illuc eundo consumsisset, vesperi devertebatur ad sororis maritum, quem ubi salutaverat, rogabat, ut ipsum statim in conclave duceret, quo per noctem commorari posset. Id cum factum esset, sudarium sibi sub indusium poni jubebat, atque dimissos omnes, qui aderant, post breve temporis intervallum clamoribus revocabat suis. Vident humi prostratum Bertholium et flammula circumdatum, quae ignis fatui ad modum eo magis recedebat, quo propius quis ad eam appropinquare cupiebat. Tandem penitus in auras evanescebat. Miserum Bertholium de terra tollunt, videntque integumenta humeri et antibrachii dextri a subjacentibus musculis soluta atque dilacerata: eandem integumentorum dilacerationem deprehendunt intra scapulas et ad lumbos. Chirurgum advocant, qui ubi cutis lacinias resecuerat, de gangraena timens partium adfectarum, eas profunde incidit, et quae hujus mali progressum coërcere valent, remedia adhibet incassum. Nam tertio jam die vulneratae partes sphacelo correptae erant. Aegrotus, vehementissimis convulsionibus agitatus, de inexplebili siti conquerebatur; alvi dejectiones bilioso-putridae, perpetuus vomitus, intensa febris deliriaque aderant. Tandem quarto die in somnum incidebat profundissimum, quem carum pathologi vocant, per duas horas durantem, putredine corporis ad summum vehementiae gradum perducta, unguibus sponte decidentibus, vermibusque e corpore prodeuntibus animam deponebat.

---

1) *Lehrsätze aus der Physiologie der Menschen.* Th. II. §. 582. *Neue Aufl.*

Interrogatus aegrotus de hujus eventus causa, nihil sibi de ea constare adfirmabat: hoc unum se scire, se in dextro brachio vehementis percussionis sensu admonitum flammulam in indusio brachii percussi conspexisse, quae eam lintei partem, qua comparuerit subito in cineres converterit. Sudarium, quod in vicinia loci vulnerati cuti impositum erat, aeque ac feminalia interiora, minime adusta erant, capitis contra integumento penitus concremato, capillis, qui eo tegebantur, a flamma intactis. Quod quidem luculentissime probare videtur aut ignis materiam, quae ut ardeat, longe minorem caloris gradum requirit, quam is est, quo capilli solent comburi, aut summam efficientiae celeritatem, qua corpus inflammatum prius in cineres redigitur, quam aliae res, facile ardescentes, illique contiguae, ita excandescant, ut flammam concipiant. Prius horum locum habet in gase et hydrogenio aut puro, aut sulphurato, et phosphorico, posterius pertinet ad electricum principium, quod tanta cum velocitate ac vi in corpora agit, ut metalla v. c. difficulter liquefacienda, ferrum puta, fundantur, fusaque oxydentur, nec charta, cui aut filum aut lamina ferrea ad tale experimentum imposita erat vel levissime inde adusta deprehendatur.

Utramque autem causam simul adfuisse concludo, quoniam flammula observata est in corpore Bertholii levis et ab appropinquantibus hominibus facile recedens, id quod bene competit fluido aëriformi, a quo incenso ignes fatui originem ducunt, h. e. hydrogenio. Quod quidem gas potest e succis Bertholii, motu per integrum diem continuato, progenitum et per scintillam electricam, sponte sua ortam, inflammatum esse. Id autem si sub cute conclusum continebatur, subitanea inflammatione magnopere expansum, non solum integumenta, ut e carceribus prorumpere posset, dilacerare, sed etiam partibus subjacentibus compressione nimia vitam adimere debebat omnem. Inde laciniae

cutis, quas resecabat chirurgus, explicandae, nec non gangraenae ac sphaceli, nulla arte arcendi, origo derivanda esse videtur. Perspiratione insensibili autem hydrogeneticum principium sub forma gasiformi exhalari, inter omnes constat recentiores physiologos, e quibus Avtenriethivm [2]), Prochaskam [3]) et Bvrdachivm [4]) sufficiat nominasse. Ab admixti perspirationi hydrogenii varia quantitate odorem pendere asserunt, cuilibet fere homini peculiarem, cujus distinguendi eximiam facultatem a natura canibus concessam esse notissimum est. Id autem principium hydrogeneticum interdum sulphure mixtum est adeo, ut et metalla nobiliora splendore priventur suo atque nigro tingantur in superficie colore, odor autem sit ovorum putridorum simillimus. Id quod mihi licuit observare in verbi divini ministro, qui morbo nigro aliquoties laboraverat, cujus accessus ubi timendus erat, animadvertebatur tam acris foetor, qualem hepar sulphuris spargere solet, in perspirabili materia, ut vix viri praesentia in conclavi vel amplissimo tolerari posset. Quemadmodum vero res valde odoriferae, atque adeo multum gasis hydrogenetici exhalantes, tamen rarius atmosphaera cingi solent, quae ab admoto igne incendatur, ita et exhalatio cutis continere potest idem gas hydrogeneticum, nec tamen exardescere in vicinia flammae. Qui quidem effectus ut producatur, alia adhuc accedere debent, quae nos latent. Interim observata sunt hujus ipsius phaenomeni, lucentis nempe perspirationis insensibilis, exempla. Mercvrivs Helmontivs, referente Hallero [5]), primus fuit, qui perspirationem insensibilem lucentem animadverteret. Memini et ego, cum olim materiem electricam

---

2) *Handbuch d. empirisch. menschl. Physiol.* Th. II. §. 788.

3) *L. c.* §. 580.

4) *Die Physiologie.* §. 363.

5) *Elementa physiolog. corp. hum.* To. V. p. m. 54.

frequentissime ad varios morbos et leniendos et penitus tollendos adhiberem, bibliopolam, qui impotentiae accusatus erat, machinae electricae admotum, subito exclamare de flammula, quam in corporis superficie electrica scintilla provocaverat, citius autem, quam a me, foetorem crinium combustorum solum sentiente, conspiceretur, evanescente.

Videtur vehemens corporis motus indeque pendens citatior humorum circuitus et calor multum facere ad copiosam gasis hydrogenetici formationem, et sese inflammandi facilitatem efficiendam. Bibliopola enim, cujus memini, quamvis saepe vim electricam expertus esset, tamen nunquam, nisi cum aliquando e corpore aestuante scintillae elicerentur, ostendit exhalationis insensibilis halitum inflammabilem. Calorem auctum humores igni concipiendo inprimis aptos reddere, probant varia experimenta cum sulphure, pice, adipe, cera liquefactis, cum spiritu vini ebulliente e. s. p. instituta. Naphtham quoque sulphurici acidi, in vapores intra vas bene clausum resolutam, a scintilla electrica eo facilius inflammari constat, quo majore caloris vi vas illud aestuat.

Haec quamquam aliquam veri similitudinem conciliare videntur sententiae, quae spontaneam corporum humanorum combustionem a gase derivat inflammabili, sive sit illud hydrogeneticum purum, sive sulphure mixtum, sive phosphoricum, sive denique e pluribus horum compositum, tamen negari nequit, variis premi eandem sententiam difficultatibus. Cum enim Koppius [6]) materiam inflammabilem asserit duplici praeditam esse debere virtute, quarum altera ipsi facilem ad omnes corporis humani cellulas aditum paret, altera ejus propensionem ad inflammationem minime aquae praesentia minuat, nescio, an non omnia plana

---

6) *L. c.* p. 57.

sint in hac explicandi combustiones corporis humani spontaneas ratione. Scilicet si, quemadmodum in ascite serum, ita in hac corporis constitutione, quae incendia sponte orta adjuvat, gas inflammabile in corporis humani cellulis accumulari debet, emphysematicus totius corporis tumor illud mortis genus praecedat, necesse est. Quod vero vitium in talibus hominibus minime observatum legimus. Nam magnum corporis ambitum, qui proprius fuit nonnullis, spontaneo igne concrematis [7]), ab emphysemate derivare velle, nimium prodere videtur sententiae semel probatae ornandae et tuendae studium, nec ullo argumento probabili confirmari potest. Expressis potius verbis accusant scriptores hujus magni ambitus causam nimiam pinguedinem, quam in iis potissimum hominibus, qui spiritu vini abutuntur, solemnem esse novimus. Itaque non opus est, ut fingamus causam, defensae hypothesi faventem. Quae cum Koppius [8]) perpenderet, videtur coactus quodammodo fuisse, ut contenderet, non omnem aëris inflammabilis quantitatem, ad combustionem corporis humani necessariam, in tela cellulosa reconditam esse debere, sed sufficere, ut ea tantum copia adsit, quae sponte ortam flammam per breve temporis spatium nutrire possit. Hac enim flamma, quo diutius ardeat, eo majorem aëris inflammabilis quantitatem e combustis partibus formari. Quod quamquam minime in dubitationem vocare audeo, tamen cum gase hydrogenetico simul extricatur e partibus animalibus ardentibus magna gasis carbonici et nitrogenetici copia, qua ignis vires ita frangi constat, ut et flamma, vel maxime vivida, subito extinguatur. Contrarium autem obtinet, si materia, quae ignem concepit, circumdata est gase oxygenetico, quo flam-

---

7) Ibidem histor. VII. p. 26. IX. p. 30. XV. p. 34.

8) *L. c.* p. 58.

mae efficientia ita augeri potest, ut et corpora, combustioni vehementissime renitentia, brevissimo temporis momento in cineres convertantur. Probandum igitur erat, in talibus corporibus, quae spontaneo igne concremata leguntur, adfuisse magnam oxygenii copiam, qua ignis vis adeo intenderetur, ut ossa, partesque molles admodum humidae flammam conciperent. In qua quidem sententia videtur fuisse Beddoesivs, ad quem provocat W. B. Johnson in sua *historia chemiae animalis* [9]), cum principiorum, e quibus corpora animalia, spontaneo igne combusta, composita erant, summae ad oxygenium propensioni tanquam causae, illius phaenomeni originem adscriberet. Gas autem oxygeneticum ubicunque flammam alit, ejus quoque magnitudinem et splendorem adauget. Sed quotquot historiae hominum, sponte sua combustorum, literis mandatae sunt, nulla hujus phaenomeni mentionem injicit, potius commemorant omnes flammae exiguae languorem. Calorem, a gase hydrogenetico inflammato productum, valde intensum esse, contendit quidem Exper. Koppivs *l. c.*, experimento Chavssierii usus, quo confirmatum sit, stanni fusionem velocius effici ab aëre inflammabili, cui nitrogenetici aut carbonici principii non nihil admixtum sit, quam id contingat a flamma, tubo ferruminatorio excitata. Equidem vero etsi bene novi, gasi inflammabili seu hydrogenetico majorem tribui caloris specifici quantitatem, cum, posita aquae = 1000 0, eadem in gase oxygenetico = 4,7490, in hydrogenetico autem = 21,4000 sit computata [10]), tamen repetito illo experimento de ejusdem veritate decernere nequeo. Hoc unum autem saepius vidi, vitra, quae aëre, e paludosa aqua emergente, h. e. gase hydrogenetico impuro, repleta erant,

---

9) Part. III. p. 107.

10) Vid. et Avtenrieth. *l. c.* Th. 1. p. 358.

ab eodem inflammato adeo parum calefieri, ut sine ullo ingrato sensu manibus teneri possent. Id quod Chaussierii experimento e contrario oppositum est. Quam ob rem vereor multum, ne in illo accesserit aliud quid, quod flammae vim atque efficientiam auxerit.

Ex quo tempore haec scripta erant, bis Illustr. Koppius hujus materiae mentionem injecit in *Jahrb. d. Staatsarzneyk.* to. VI. pag. 398—409. to. VII. pag. 405 — 409. Priori enim loco enarravit exemplum feminae combustae, de quo Filleau in *Journ. génér. de méd.* 1813. mense Martio; posteriore autem argumentum dissertationis inaugur.: *De combustione corpor. tam organic. quam anorgan. spontanea*, a J. C. Pfeifero pro acquir. summ. in med. et chir. honor. *Gött.* 1809. defensae. Putat scilicet auctor dissertationis, qui Koppius ipse est (vid. *Ergäntz. Bl. z. Hall. L. Z.* 1813. No. 108. p. 863.), combustionem spontaneam, ad quam potus spirituosi abusus disponat, quippe qui cum humores, tum partes solidas nostri corporis majore principii hydrogenetici copia repleat; electricae materiae vi effici. — Post hujus viri celeberrimi commentationem de eadem materia Nassius exposuit (v. Horn's *Arch. f. med. Erfahr.* 1819. p. 107 — 160.), qui meam sententiam de phaenomeno hoc, omni attentione digno, hinc inde reprehendendam esse putavit. Quamquam autem meam causam post hujus viri objectiones minime tantopere desperatam esse existimo, ut ejus defensionem abjicere debeam, tamen nunc illam suscipere nolo, cum illi ipsi negotio peculiarem libellum dicare apud animum meum constituerim. Nunc potius duarum feminarum spontanea combustione peremptarum exempla addam, quae nonnulla singularia offerunt, in similibus exemplis non observata. Scilicet matrona nonaginta annorum, cum ministra, aetate aeque fere gravi (nam LXX numerabat annos) nocte, quae d. xii. Jan.

1820. sequebatur, concremata inveniebatur. Utraque debili erant corporis constitutione et eo usque macilentae, ut aridae dici possent. Tempestas illa nocte tranquilla, aër siccus et adeo frigidus erat, ut thermometrum scala centesimali instructum, 10° infra 0 monstraret. Totum cubiculum humiditate et foetore, qualem partes animales combustae, et lana inprimis spargere solent, repletum erat. Sponda, stragulum, culcitae plumeae, earumque superindumenta linea ita concremata reperiebantur, ut figuram quidem pristinam retinerent, a levissima autem concussione in cineres dilaberentur. Eadem ratio in horologio, quod lecto concremato proximum muro adfixum erat, observabatur. Trabes, et reliqua lignea materies, parietes calce arenata nondum obductos efficiens, denigrata, etiamsi adusta non esset, tamen calorem urentem dispergebat. Omnis cubiculi supellex humiditate madebat, inprimis in lecti vicinia. Eo loco, quem lectus antea occupaverat, inventum est dextrum crus cum pede, tibiali et calceo indutum, quae partes solae de toto ancillae corpore supererant, reliquis omnibus igne consumtis. Calvaria herae, cujus integumenta cum capillis penitus conflagrata erant, eo lecti loco reperiebatur, quo caput, cum femina cubitum ivisset, repositum erat. Praeter calvariam particula cutis colli, lacinia collaris rubri obtecta, supererat. In camino ne vestigium quidem ligni ardentis aut carbonum candentium deprehendebatur: in ejus cymatio candelabrum sine candela, aliudque humi, in medio cubiculo, conspiciebatur, cujus candela flamma sua sensim consumta esse videbatur.

Utraque femina victu utebatur admodum tenui atque vili. Hera sub ultimum vitae tempus aquam Coloniensem spirituosam abundanter ingesserat. A qua tamen consuetudine, ex biennio non nihil remiserat, a medico admonita: nam quominus penitus ab ejus usu abstineret, impediebat hujus stimuli ad vitam

conservandam necessitas. Ejus ancilla autem, quae quoque parum cibi adsumebat, raro admodum spiritum vini potabat. Nutriebatur autem vino vetusto eoque optimo, quod calefactum, saccharoque multo conditum saepius tanta copia ingerere solebat, ut inde inebriaretur. Vid. Gersoni atque Julii *Magazin der ausländischen Literatur* 1821. mens. Jul. pag. 177.

XXI.

DE PHYSICES ATQVE CHEMIAE RECENTIORIS MERITIS IN ARTEM MEDICAM.

Programmate hoc inauguratio Ca. Chr. Rvd. Herzogii, Merseburgensis, d. xii. Nov. A. cIↃIↃcccxi habita, indicata est.

Inter varias artis medicae doctrinas, quae ab accurato physices atque chemiae studio nostra aetate maxime illustratae sunt, physiologia, materia medica, diaetetice atque politia medica primarium sibi vindicant locum. Quantopere enim, ut aliquot exemplis id, quod posui, declarem, illa physiologiae pars, quae in respirationis utilitate probanda occupatur, inventis Priestleyi, Lavoisierii, Blackii, Blagdeni aliorumque immutata est! Cum enim Hallervs [1]) in causam inquirit, unde aër, in pulmones admissus, post aliquam moram elasticitate privetur sua, aliam adferre nequit, quam putredinem, quae copiosum vaporem aquatilem inficiat, cum aëre ad pulmones penetrantem, eosquė extendentem. Ab eadem putredine derivat aëris, quem magna hominum multitudo in conclavi bene clauso per aliquot horas respiravit, inertiam ad vitam sustentandam. Recentiora autem experimenta ostenderunt, neque illud, neque hoc phaenomenon ullo modo pendere a temere sumta putredine. Haec enim si vere adesset, facilis foret ammoniae,

1) *Primae lineae physiologiae.* §. 267.

quae putredinis solet productum esse, declaratio. Dum scilicet aërem, respiratione penitus corruptum, adeoque secundum Hallervm ammonia divitem, aliquoties per aquam transfuderimus, acido quodam, inprimis muriatico, leviter imbutam, ammonia cum acido connubium initura salesque medios efformatura erat, quos, aquosis, quibus soluti erant, particulis leni calore abactis, in vase vitreo, ad experimentum tale adhibito, facile in conspectum producere poteramus. At vero nihil ammoniae detegere in aëre exspirato licet. Quanto melius nos, recentiore physice atque chemia duce, eadem phaenomena explicamus! In aëre inspirato enim praeter vapores aquatiles gas contineri duplex scimus, oxygeneticum atque nitrogeneticum, quorum illud, compositum e principio oxygenetico atque calore, in sua elementa resolvitur, simulac cum principio nitrogenetico seu azotico, quocum illi maxima intercedit adfinitas, commixtum est. Aër autem inspiratus vario modo in pulmonibus immutari solet. Cum enim non solum gas, quod ipsi inest, oxygeneticum a sanguine venoso, qui ob principii nitrogenetici abundantiam colore profundius fusco, magis fluidus et ad coagulum tardior est, avide adsugatur, sed etiam, e Davyi experimentis, decem pollicis partium partes duae gasis nitrogenetici qualibet inspiratione absorbeantur, volumen aëris, inspiratione hausti, duplici ratione imminui, in aperto est, neque sufficere amplius ad pulmones justo modo extendendos. Collabuntur igitur vel propterea pulmones, nec opus est, ut ad putredinem vaporis, pulmonibus contenti, quae nulla omnino est, confugiamus. Sed non in hac voluminis imminutione omnis continetur aëris inspirati mutatio, sed oxygenium, cum carbone sanguinis conjunctum, gas carbonicum efformat, cujus major copia in aëre exspirato deprehenditur. Denique vaporum aquosorum in aëre, e pulmonibus expulso, abundantiam sunt, qui ab ejusdem oxygenii cum hydrogenio con-

junctione potius, quam ab exhalatione ex ultimis arteriae pulmonalis ramulis derivare velint. Duo autem illa, quae aëri atmosphaerico insunt, principia oxygenii et azoti si invicem intime combinantur, liberatur statim calor vinculis suis, quibus antea in gase oxygenetico ita coërcebatur, ut neque sensus, neque thermometrum adficere posset. Cujus quidem caloris, in libertatem vindicati, cum magna copia insit gasi oxygenetico, facile est ad intelligendum, calorem sanguinis omninoque corporis animalis hac via ac ratione, quamquam non sola, melius explicari, quam si illam e frictione sanguinis ad vasorum parietes, e fermentatione similibusque causis repetimus.

Aliud, quo recentioris physiologiae praestantiam probare licet, exemplum a sanguine desumere lubet, de cujus rubedinis causa explicanda multae sunt excogitatae opiniones. Et Hallervs [2]) quidem nunc negat, ab aëris ad sanguinem accessu, qui fieri plane nequeat, rubrum sanguinis colorem derivari posse, nunc contrariam admittit sententiam, fortasse subtilius aëris elementum ad sanguinem penetrare conjiciens. In hac igitur dubitatione de vera rubri coloris, in sanguine conspicui, causa in eam delabitur sententiam, ut putet, hanc causam in acido nitri halitu, qui per universum aërem atmosphaericum dispersus sit, reconditam esse. Alii a ferro in sanguine contento, cui oxygeneticum nubat principium, ejusdem rubedinem derivant, suaeque opinionis fundamentum quaerunt in mercurii atque plumbi metallis, quae pro varia oxygenii, cum iisdem conjuncti, copia a flavo colore sensim sensimque in laete rubrum solent transire. Cum igitur paulo ante probatum sit, oxygeneticum gas, quod cum gase nitrogenetico, fortasse et carbonico, aërem atmosphaericum constituit, in pulmonibus resolvi in sua elementa, quorum illud, a quo gas

---

2) *Libr. cit.* §. 283. *Elementa physiologiae.* T. III. p. 335.

oxygeneticum nomen habet, sanguini admisceatur, potest omnino ferri particulas, a quibus attrahitur, rubro tingere colore. Conjecturae huic firmitatem conciliant experimenta GRINDELII, quae quod sanguinis formationi intelligendae maximopere inserviunt, dignissima sunt, quae hoc loco commemorentur, inprimis cum inde luculentissime pateat, physiologiam e studio physices atque chemiae, recentioribus temporibus insigniter perfecto, maximam cepisse utilitatem.

Eam enim viam, quam FOVRCROY et VAVQVELINVS intelligentissime monstrarunt quidem, sed ulterius haud persecuti sunt, profligavit feliciter GRINDELIVS, Dorpatensis professor [3]). Cum enim duumviri illi, qui inter chemicos recentiores facile principatum tenent, demonstrassent, in sanguine ferrum phosphoratum adesse, idque maxime oxydatum; hanc magnam oxydi abundantiam pendere a natro phosphorico, in sanguinis sero reperiundo, et hujus originem adscribendam fortasse esse imperfectae resolutioni (decompositionem dicunt chemici) ferri phosphorati ope natri; imperfectum denique ferri oxydum, cum acido phosphori junctum, albam, perfectum contra, si eidem acido junctum fuerit, rubram efficere mixtionem, parum profecto abfuit, quin ad sanguinis rubri e chylo albido ortum declarandum pervenirent. Scilicet ostendendum erat, unde oriatur natrum. HILDEBRANDTIVS [4]) id e principiis suis, hydrogenio et nitrogenio, in corpore demum animali componi conjicit. Quamquam vero nihil est, quod huic conjecturae repugnet, tamen magis probabilis est natri origo e sale culinari, cujus magna copia in corpore animali deprehenditur. Natura autem nostro corpori ingenuit vim quandam, cujus efficientia maxima est ad varias functiones ma-

---

3) Vid. HVFELAND's *Journ.* 1811. *Jun.* et *Aug.*

4) *Lehrbuch der Physiologie. Vierte Auflage. Erlangen* 1809. 8. §. 52

chinae nostrae rite perficiendas, quin ad vitae ipsius rationem melius intelligendam. Galvanismum puto, qui nostra aetate detectus multas res, quae antea densa caligine tegebantur, clarissima luce illustravit. Is quoque magno usui nobis est in salis culinaris in natrum transmutatione. Etenim si cylindro vitreo inclusam solutionem salis culinaris seu muriatis sodae actioni galvanici fluidi exposueris, hujus solutionis, quae antea, corporibus reagentibus diligenter tractata, ne vestigium quidem sodae liberae ostendebat, nunc alcalinam indolem in dubium vocare haud poteris, quippe quae se luculenter partim in charta, curcumae radicis decocto flavo tincta colore, qui ab illa solutione in brunneum mutatur, partim in tinctura crotonis tinctorii prodit, quae a guttula acidi cujusdam rubrum colorem sumserat, nunc autem ab adfusa illa solutione iterum caerulescit. E quibus experimentis optime efficitur, galvanicum fluidum aliquam acidi muriatici particulam e connubio cum natro dejicere, hocque in libertatem ita restituere, ut, quemadmodum alcalia solent, in reagentibus corporibus vim exserere possit.

Quod ubi semel detectum atque extra omnem dubitationem positum erat, sub examen vocare studuit Grindelius rationem, quae inter ferrum phosphoratum, diversimode oxydatum et sal culinare sub iisdem conditionibus intercedit. Nolo experimenta, hoc consilio instituta, repetere, potius ea proferam, quae ita sunt facta, ut pateret, hanc natri e sale culinari formationem etiam, si materia quaedam animalis experimento simul fuerit subjecta, locum habere, nec ferri phosphorati aut decompositionem aut majorem oxydationem incidere. Columna galvanica, ad experimentum adhibita, e decem discorum cupreorum et zinceorum paribus constabat, quorum dimensores quatuor pollices aequabant. Hujus columnae vis derivabatur per fila aurea in vas vitreum, quo continebatur

aquae destillatae, cum drachma dimidia albuminis ovorum diuturna quassatione conjunctae, uncia dimidia, ferri phosphorati albi [5]) grana decem, et muriatis sodae grana quinque. Efficiebatur ab hac galvanismi applicatione hoc, ut albumen ovorum in extremitate utriusque fili aurei coiret, atque in ejus fili, quod a polo columnae galvanicae argenteo (*negativum* vocant) provenit, vicinia oxydum ferri sulphureo colore conspiceretur. Fluidum, quod in experimenti hujus initio signa acidi liberi obtulerat, in ejusdem fine ob natrum generatum alcalinam indolem luculentissime prodebat. Cum autem major galvanismi vis necessaria esse videretur ad rubrum colorem in miscela modo commemorata producendum, columna adhibebatur, e centum sexaginta usque ad octoginta orbium cupreorum atque zinceorum paribus constructa. Quinque unciis aquae destillatae solvebantur una drachma cum dimidia albuminis ovorum, duae drachmae ferri phosphorati albi, quinque grana carbonatis ammoniacalis et decem grana muriatis sodae. Cujus quidem solutionis partes aequales sub continua agitatione in duo vasa cylindracea vitrea dividebantur, humida taenia papyri mollioris invicem conjuncta. Ut primum galvanismus in hoc fluidum vim exserebat suam, fila aurea albumine ovorum coagulato statim obducebantur, paulo post materia animalis in varios quasi acervulos iterum divisa est, et post duodecim horarum spatium illa albuminis pars, quae medio fluido innatans ab omni aëris contactu penitus seclusa erat, mi-

5) Praeparabatur autem hoc ferrum phosphoratum album hac ratione. Acidi phosphorici, e phosphoro praeparati, ejusque solidi, dimidia uncia solvebatur sex unciis aquae destillatae. Qua quidem solutione digerebatur oxydum ferri nigrum, quod efficitur aqua per superficiem candentis ferri effusa, per aliquot horas eo caloris gradu, quo ebullire solet aqua. Filtrata solutio ubi referbuerat, lacteo colore erat et ferrum phosphoratum album praebebat.

rum obtulit spectaculum. Illa enim in vase, quod filum aureum continebat, a polo zinceo seu positivo dependens, pulchre rubro colore tingebatur, qui sanguinem dilutum referebat. Quae huic rubro strato innatabat albuminis pars, aeque ac illa, quae inferius vasis spatium replebat, subflavo colore splendebat. Fluidum ipsum manifesta acoris signa exhibebat. Vas hoc ubi paululum concussum evacuabatur, varia fluidi eo contenti strata, invicem commixta, uniformem exhibebant humorem, qui in pateram parum profundam effusus post aliquam moram, quemadmodum sanguis, secedebat in rubram massam, quae tanquam insula pellucido humore circumfusa erat. Illa firmior atque rubra massa referebat cruorem, haec fluida atque pellucida serum sanguinis. Quanquam autem inter se conveniunt hic humor arte productus atque sanguis non solum hac in re, sed etiam in aliis, quae ab eodem viro [6]) enumeratae sunt, tamen etiam a se invicem differunt. Etenim neque acidum sulphuris concentratum, humori limpido adfusum, qui sero sanguinis similis est, neque calor ad ebullitionis gradum auctus hunc liquorem totum coagulabat, uti in vero sanguinis sero fieri solet. Sed facilis est hujus differentiae explicatio. Nam aqua destillata neutiquam potest tantam albuminis copiam solutam in se recipere, quantam continet sanguinis serum. Longe alia fuit miscelae ratio, in quam alterum filum aureum, cum negativo seu argenteo polo copulatum, demergebatur. Fluidum enim, quod ab initio minus pellucebat, sed albido colore erat, nunc omnis coloris expers atque pellucidum, alcalinam prodebat naturam. Albuminis porro ovorum exigua tantum copia in aqua hujus vasis detegi poterat, quae in fluidi superficie sub spumae forma comparebat.

---

6) Hufeland's *Journ.* 1811. *St.* 1. p. 43 sq.

Quod phaenomenon cum omnino animi attentione dignum esset, GRINDELIVS in ejus causam inquirens, putabat albumen, partim in elementa sua resolutum, partim in ammoniam mutatum esse. Concludit igitur ex hoc insigni experimento Excell. GRINDELIVS, in chylo muriatem sodae partim in natrum mutari, hoc natrum autem in ferrum agere phosphoratum, quod sensim in hydratum transeat rubrum.

XXII.

INSVNT TRES DE ECLAMPSIA PARTVRIENTIVM OBSERVATIONES.

Editum est hoc progamma, cum d. XXVIII. Apr. A. CIƆIƆCCCXII FRANC. ANT. CASPARI, Waldenburgensis, Licentiati medicinae et chirurgiae honoribus condecoraretur.

Nuper ad Ordinem nostrum quaestio deferebatur de puella octodecim annos nata, quae extra matrimonium gravida facta, post admissum matutinis horis refrigerium, vehementissimis doloribus, quos pro colicis habebat, versus vesperam corripiebatur. Inscia peperit noctu. Altero die, hora matutina quinta, reperiebatur puerpera in stramento spondae resupina, corpore denudato, mentis suae minime compos, stragulis, pulvinis atque vestimentis per cellam dormitoriam disjectis. Totum corpus rigebat cadaveri simile. Musculi faciei magnopere convellebantur, et paullo post reliqui corporis musculi in horum motuum convulsivorum societatem tanta cum vehementia rapiebantur, ut vix lecto contineri posset. Mater advocata et filiae in aures magna voce clamitans, quid tandem ipsi accidisset? neque responsionem accipit, neque agnoscitur.

Ante spondam multo sanguine pavimentum erat conspurcatum, in quo secundae quoque conspiciebantur. Haec aliaque signa, quae cruentata atque flaccida genitalia puellae offerebant, cum luculentissime probarent, ab illa foetum exclusum esse, paullo curio-

siore investigatione instituta, rigidus infans sub cervicali, pauco stramento obtectus, deprehendebatur. Quem quidem mater lateri suo admotum, et in amplexus datum, non magis sentiebat quam obstetricis in partes puerperae naturales explorandi causa introductam manum.

Medicus, in auxilium vocatus, ubi aegrotae cubiculum intraverat, haec, facie admodum rubra vultuque conturbato, oculos semel quidem aperuit, ad quaestiones autem ipsi propositas nihil respondit, solummodo aliquoties ejulans, et cum e cella frigida in conclave aliud, idque calefactum, deportari deberet, magna virium intentione et clamitans repugnavit. Per triduum haec animi conditio, rerum omnium, quae inde a partus tempore evenere, minime sibi conscii, perdurabat. Sensim autem sensimque et corporis vires et animi rediere. Etenim sese erigere erectamque sustinere poterat, et interrogata brevissime aut adfirmando aut negando respondebat. Facile tamen erat perspectu, aegrotam nondum omnes quaestiones ita intelligere, ut aptas daret responsiones, quod quinto demum die eveniebat.

De partu edito aegrotae adeo non constitit, ut, cum dolores abdominis die a partu quarto persentisceret, perpetuis adstantium de ipsius prole confabulationibus in eam veniret opinionem, ut putaret, hos dolores ipsam de partu mox instante admonere. Memoratu praeterea dignum videtur, quod inscia post partum editum varia peregerat, quae omnino deliberationis atque consilii effecta esse videbantur. Huc retulerim funiculi umbilicalis discissionem, infantis sub stramentis lecti occultationem, ligationemque abdominis cum sudario.

Aliud eclampsiae exemplum, quod eodem fere tempore cum enarrato Lützenae accidit, mecum communicavit Experientissimus Jo. Gv. Schlegelivs, medicus obstetricius in episcopatu Merseburgensi felicissi-

mus. Puella, de amasio, qui iter praetexens in patriam fuga sese matrimonio, cujus spem fecerat puellae, subtraxerat, adeoque tempore constituto minime comparuerat, maximopere sollicita atque moerens, partus termino proxima, de capitis doloribus et alvo aliquoties per diem mota conquerebatur. Altero die mater, quae domesticorum negotiorum curandorum causa jam hora matutina quarta lecto surrexerat, filiam in lecto sedentem conspiciebat, et cum illam, quomodo se haberet, interrogasset, ex illa comperiebat, ipsam doloribus abdominis vexari. Admonita a matre de instante partu, post haustum infusi theiformis vasculum, stragulis bene obtecta, iterum decumbere, jubebatur. Post duas horas, quas somno placido transegerat, a doloribus quidem libera expergiscebatur, sed brevi post vomitu pituitae non nihil rejiciebat. Hora matutina septima, qua obstetricis auxilium exposcebatur, apud se esse desinebat, faciei adspectu simul immutato atque voce demissiore reddita.

Exploratio ab obstetrice difficulter instituta ostendebat, nondum de partu cogitandum esse. Cum autem mentis absentia obstetricem terreret, medicus arcessebatur, qui rerum conditione investigata denuo abibat, remedia idonea procuraturus. Statim post illius discessum convulsiones vehementissimae, quae epilepticum insultum referebant, aegrotam corripiebant. Medicina, quam revocatus medicus secum adferebat, ter exhibita, convulsionum impetum aliquamdiu cohibuit. Qua quidem quiete obstetrix ad novam genitalium explorationem instituendam usa est, qua constitit, neque uteri orificium magis, quam antea, diductum, neque digitos explorantes sanguine notatos esse. Lodix solum non nihil madida reperta est. Cum autem novus impetus convulsionum saevissimarum ingrueret, quibus omnia membra vehementissime distendebantur, spumaque ante os prodiret,

medici obstetricii auxilium hora undecima antemeridiana implorabatur.

Is inveniebat orificium uteri perparum dilatatum, aegrotae, sine conscientia atque loquela decumbentis, faciem tumidam atque sanguine turgidam, totum corpus aestu sicco valde calens, pulsum plenum, irritatum atque celerem, carotides vehementibus ictibus conspicuas. Dum medicamenti formulam conscribebat, tertius convulsionum paroxysmus, per decimam quintam horae partem et ultra durans, atque omnes faciei musculos convellens, accedebat; facies profunde rubebat, pulsusque parvus atque durus erat. Sub finem paroxysmi suffocationis imminebat periculum. Uterini orificii apertura sub his convulsionibus magis diducebatur. Medicamenta, quae alternis vicibus aegrotae propinabantur, spiritu cornu cervi, ipecacuanha et moschi grano, omni dimidia hora exhibito, constabant. Nunc e vena pertusa tres quatuorve sanguinis unciis eductis, cataplasmata e decocto florum chamomillae, cui nonnihil spiritus vini admixtum erat, abdomini adplicabantur. Horum remediorum usus continuabatur ad secundam usque horam pomeridianam, qua propter revertentes convulsiones venaesectione iterata eadem sanguinis copia detrahebatur. Qua quidem re effectum est hoc, ut pulsus mollior redderetur convulsionesque nunc penitus cessarent, remanente solum ad suffocationem propensione.

Versus quintam vesperae horam orificium uteri ad floreni usque magnitudinem dilatatum reperiebatur. Ab alio medico duo cinerei coloris pulveres, quorum partes ob medici, illas celantis, silentium ignorantur, aegrotae offerebantur. Hora dimidia elapsa cum caput infantis ab orificio uterino veluti corona cingeretur, partusque momentum appropinquaret, cathetere frustra applicato (nam vesica nihil urinae continebat) et situ ad pariendum idoneo parato foetus forcipe extrahebatur feminini generis. Sub hoc labore, qui

satis facile et intra breve tempus perficiebatur, multum laticis viridantis effluxit. Puella, cujus totum corpus livebat, non poterat in vitam revocari, quidquid tandem obstetrix moliebatur. Parum sanguinis sequebatur secundarum expulsionem, paulo post naturae auxilio fere solo contingentem.

Nondum ad se redierat puerpera, quamquam suffocandi periculum nunc penitus remotum esse videbatur; oculi semper clausi; pulsus uti continuo celeritate augebatur, ita magnitudine decrescebat. Quam ob rem emulsio camphorata exhibebatur, nullo effectu. Etenim pulsus cum respiratione semper celerior reddebatur morsque hora decima nondum audita succedebat. Putredo tanta cum vehementia omnem corporis compagem dissolvebat, ut horis quadraginta octo nondum elapsis sectio cadaveris perfici haud posset.

Duplici huic de eclampsia, gravissimo gravidarum, parturientium atque puerperarum morbo, historiae tertiam addam, e diario anglico desumtam, quae multa continet memoratu digna. Uxor militis, quater jam partum feliciter enixa, quintum gravida, post venae sectionem consuetam, qua sanguinis unciae decem aut duodecim detrahebantur, maritum in expeditionem batavam sequebatur, multum tunc molestiae exhauriens atque inprimis a tempestate frigida eaque humida graviter adfecta. Etenim versus finem mensis Novembris de symptomatibus refrigerationis conquerebatur, quibus sensus ponderis in praecordiis et die primo atque secundo Decembris gravitas dolorque in oculis, nec non vertigo vix toleranda accedebat. Chirurgus, qui de hisce symptomatibus consulebatur, suadebat, cum aegrotae de venae sectione persuadere haud posset, ut sale medio alvum solveret. Nec huic consilio paruit. Duobus sequentibus diebus maximopere inquieta de vertigine, visus hebetudine et de spectris ante oculos volitantibus querebatur; medicus, in consilium adhibitus, venam in brachio aperiri jussit.

Nocte mentis sibi consciae usu frui desiit: etenim subito expergefacta situm in lecto immutavit ita, ut caput deorsum collocaret. Quam quidem rem cum maritus miraretur, lumine accenso conspexit uxorem oculis torvis atque furiosis jacentem, multa eaque confusa garrientem, et subinde sese plangentem. Eodem temporis momento totum corpus tremebat omnemque omnino sensum amittebat.

Die proximo, horis matutinis, convulsiones totum corpus succutiebant, earumque insultus quavis fere hora, nunc majore, nunc minore vehementia, redibant. Hora secunda pomeridiana comate oppressam inveniebat medicus aegrotam, torpentemque ad sensum lucis, sonorum etc.; respiratione lenta atque difficili, pulsu parvo atque intermittente. Quemadmodum autem explorato uteri orificio partum appropinquare intellexit, ita et e varia corporis incurvatione novi paroxysmi accessum imminere suspicatus est. Neque eventus hujus suspicionis veritatem destituit. Brevi enim post omnes omnino musculi, voluntatis imperio subjecti, vehementissime convellebantur, tanta simul sanguinis copia ad caput accumulata, ut facies deformata nigresceret spumaque ante os prodiret. Durante per sexagesimam horae partem paroxysmo, e vena brachii pertusa, quatuordecim sanguinis unciae detrahebantur. Qua quidem evacuatione efficiebatur hoc, ut et obscura faciei rubedo imminueretur et partus celerrime absolveretur. Post ultimam convulsionem, qua infans satis robustus et bene valens in lucem edebatur, sudor copiosissimus erumpebat, qui nervorum tumultus paululum sedare videbatur.

Neque tamen diu quievere: nam hora post partum prima iterum nervorum distentiones, vehementia prioribus minime cedentes, observabantur. Quare ex aperta arteria temporali sanguis largo flumine educebatur. Hoc ubi optato caruit successu, nova uteri exploratio instituta est, qua patuit, corpus rotundum,

molle, et aut gelatina aut sanguine coagulato obtectum cervicem uteri premere. Quod quamquam haud dubie fundus uteri inversus erat, tamen suo judicio soli haud fidens medicus, ut alius isque obstetricius advocaretur, curabat. Statim post hujus adventum aegrota, cujus coma sine ulla remissione adhuc perseverabat, denuo, minus tamen vehementer, convellebatur. Medici in eo convenere, ut, redeuntibus convulsionibus, venae sectio esset repetenda. Tumor ille, quem prior medicus tactu perceperat, mole decreverat sua, nec amplius perspicue poterat pensentisci. Clysma injectum videbatur dolores commovere.

Nocte proxima convellebatur quidem puerpera; at levissime. Qua de causa alterius diei hora matutina nona e vena brachii decem sanguinis unciae detrahebantur, inprimis cum apoplecticus status perduraret, respiratio cum pulsu (hic enim inter sexagesimam horae partem centies micabat) admodum accelerata, cutis calida atque humida esset, faciesque ruberet. Scalpello venam penetrante, videbatur femina dolorem sentire: etenim brachium paululum retrahebat. Vesperam versus respirandi difficultas multum imminuta, pulsus tardior redditus, nec facies tanta, quanta ante venaesectionem observabatur, rubedine suffusa erat. Cum autem nondum ad se rediisset puerpera, capillis resectis vesicatorium capiti impositum est, hoc effectu, ut compellata die sequente subinde oculos aperiret. Arteriae intra sexagesimam horae partem centies quidem, at leviter micabant: tota cutis humida minusque, quam antea, urens. Lochiorum, quae naturali colore erant, parcior consueto effluxus aderat.

Die Decembris octavo aegrota monosyllabam adfirmationem negationemve proferre poterat, sed videbatur quiete maximopere egere. Quam ob rem oculos, quos compellationibus adstantium admonita aperuerat, statim denuo claudebat. Remedia roborantia atque excitantia, per aliquot jam dies in usum vocata,

continuabantur. Sensim sensimque nunc rediere vires corporis atque animi. Lactis secretio, quae antea suppressa erat, nunc copiosa locum habebat. De dolore, per totum corpus, inprimis autem per extremitatum musculos diffuso, simili illi, qui nimiam membrorum exercitationem musculorumque intentionem sequi solet, conquerebatur puerpera. Neque die vicesimo secundo ejusdem mensis penitus ab illo liberata erat. Praeter medicum, qui duobus primis morbi diebus arcessitus venaesectionem primam instituerat, nullius amplius rei notitiam habebat.

Has de eclampsia parturientium historias, quarum duae felicem, una infaustum nactae sunt exitum, paulo diductius enarravi eo consilio, ut inde, quae de causis hujus periculosissimi morbi et de prognosi a gravissimis scriptoribus hucusque statuta et quasi sancita sunt, aut emendarem, aut confirmarem. Cujus quidem argumenti ulteriorem pertractationem in aliam scribendi aut opportunitatem aut necessitatem differam.

XXIII.

DE ECLAMPSIAE CAVSIS.

Emissum est hoc programma, cum d. VIII. Maii A. CIƆIƆCCCXII, Jo. Avg. Ern. Aehle, Gössitio - Neostadiensis, Licentiatus medicinae ac chirurgiae creandus esset.

Quod superiore prolusione, qua tres eclampsiae parturientium historias enarravi, nomen contraxi, id nunc solvere conabor. Scilicet promisi, me his ipsis historiis usurum esse ad causas hujus morbi gravissimi, quin interdum lethalis, a variis scriptoribus allatas, curatius discutiendas. Videtur mihi hoc ipsum argumentum eo magis se gravitate commendare sua, quo certius est, sine accurata causarum, a quibus morbus ille pendet, cognitione periculosissimos et de prognosi formanda, et de medela instituenda errores committi. Unde enim, nisi ex hoc causarum eclampsiae rimatione, negligentius, quam debebat, instituta, judicium de exitu morbi adeo diversum, quod summi in arte nostra viri in scriptis suis protulere, profectum est?

E multis Jo. Carol. Gehlervm, quo me olim praeceptore et eximio rerum mearum fautore usum fuisse laetus recordor, et dum vivam, pius recordabor, commemorandum esse puto, qui Gorteri, Swietenii, Boissierii de Savvages, et inprimis Plenkii atque Lebmacherii, convulsiones, quae gravidas feminas atque parturientes corripiunt, funestas pronuntiantium, auctoritate commotus duplicem libellum con-

scripsit academicum, quo contrariam sententiam defendere atque medicorum, in arte obstetricia tironum, animis nimium timorem de summo harum convulsionum periculo eximere studeret. Facile hic virorum, in tam gravi re penitus a se invicem dissentientium, census augeri poterat, si numerari, quam ponderari satius esset arbitrorum auctoritates. D. Math. Saxtorphivm enim novi in ea fuisse sententia, ut omnes omnino parturientes, qui dolorum loco a convulsionibus corriperentur, vel in ipso partu, vel statim post statueret diem obire supremum. Cui maximo et expertissimo viro liceat jungere Jo. Bartelsivm, qui in praefatione disputationis inauguralis [1]) testatur, e pluribus feminis, quae nervorum distentione inter partum convellerentur, et quarum observandarum copia ipsi per aliquot annos data fuisset atque concessa, praeter unam, nullam servatam esse. Quae quidem crebrae mortes utrum a morbi, omnem principii vitalis vigorem supprimentis, vehementia, an inde derivanda sint, quod quilibet fere medicus obstetricius peculiarem medendi methodum aut a se ipso excogitatam, aut ab aliis propositam, ita sequatur, ut eam ubivis, nulla causarum morbi habita ratione, adhibeat [2]), haud definio atque decerno.

Praeter causas, quae omnibus omnino nervorum distentionibus originem dant, aliae propriae quodammodo sunt feminis, quae partum aut gerunt, aut in eo sunt, ut edant, aut denique puerperis. De his autem causis quamquam inprimis hoc loco agendum est, tamen non omnino evitanda esse videtur illarum consideratio, quae convulsiones in universum producere possunt. Etsi autem diu multumque laborarunt summi medici in detegenda intima nervorum, princi-

---

1) *De convulsionibus parturientium. Kilon. Hols.* 1799. 8.

2) Ita statuit Geo. H. Ph. Petri d. d. *convulsionibus gravidar. partur. et puerperar. Gött.* 1790. 4.

piique illius, per quod in corpus animale agunt, natura, laboresque illi, ex quo galvanismi sic dicti animalis mysteria a viris doctis probatae fidei veritatisque amantibus sub examen diligentius revocata sunt [3]), non omnino utilitate sua caruisse videntur, tamen multa adhuc restant, quae in nervorum et physiologia et pathologia nec hisce subsidiis satis enucleata sunt, alia, quae ex hypothesi quamvis ingeniose explicata, confirmatione adhuc indigent. Huc Stvetzii refero sententiam, sive opinionem, qua naturam convulsionum posuit in accumulatione principii oxygenetici [4]) in nervis, qui cum tantae quantitati continendae impares sint, illam repetitis quasi explosionibus in musculos diffundant. Cum autem principium illud potentissimum fibrae muscularis exhibeat stimulum, facilis inde foret explicatu convulsionum origo, modo comprobari possit, principium oxygeneticum vere in nervis accumulari. Forte hujus hypotheseos firmandae causa adferri poterant phaenomena, ab admoto ad fibras musculares galvanismo producta. Etenim nervo, ad musculum abeunte, stanni lamina involuto, musculus simili ratione armatus, convulsionibus corripi solet, quando utriusque partis armatura stilo argenteo simul contingitur: nervus scilicet zinco, uti musculus cupro aut argento respondet. Cum autem zincum, cum argento idonea ratione conjunctum, galvanismum potenter producat, qui per aquam traductus hanc ita in elementa resolvit sua, ut in zinci

---

3) *Versuch. ein. Darstell. d. anim Magnetism. als Heilmitt. v.* Ca. Alex. Ferd. Klvge. *Berl.* 1811. 8.

4) Jam J. B. T. Bavmevs (*Vers. ein. chem. Syst. d. Kenntnisse von d. Bestandth. d. menschl. Körp. A. d. Fr. übers. v. C. F. B.* Kirsten. *Berl.* 1808. 8.) derivavit morbos spasticos acutos, qui cum irritabilitate nimium aucta, cum doloribus partis adfectae vehementibus et cum magna functionum laesae partis turbatione, quin interdum plenaria suppressione conjuncti sunt, ab oxygenetici principii abundantia; contra ea chronicos ejusdem familiae morbos ab ejusdem principii defectu.

vicinia oxygeneticum, in cupri autem hydrogeneticum gas generetur atque accumuletur, videtur inde effici, et in nervis, qui galvanismi ratione, uti paulo ante dictum est, zinco respondent, coacervari oxygeneticum principium.

Sed mittamus hanc convulsionum originem, ex hypothesi, quamvis probabili, haustam, et transeamus ad causas rimandas, quae huic nervorum vitio occasionem praebere et possunt et frequentissime solent. Inter quas exhausti corporis humores cujuscunque generis primario ponendi sunt loco. Puris enim nimis largam evacuationem ita vires corporis debilitare atque infringere posse, ut convulsiones sequantur vehementes, testis est locupletissimus Fr. Hofmannvs [5]), cui accedunt et Jo. Ant. Lambertvs [6]) et Dvncanvs [7]) similibus observationibus. Nolo tamen quovis pignore certare, convulsiones illas ex sola provenisse debilitate, quae per copiosum puris effluvium effecta incitabilitatem musculorum ultra modum auxerit. Potest enim a pure, inprimis depravato, caries producta esse, quae cum nervos vicinos perpetuo roderet, convulsionum causa evaserit. Dentium quidem cariem legi produxisse nervorum distentiones, quae non nisi cum dente vitioso evulso siluerunt. Eodem modo narrat Bonetvs [8]) convulsum esse hominem, cujus vertebrae usque ad medullam spinalem carie erant destructae, atque similem effectum exseruit ex eadem causa apostema, quod in cervice locum habebat [9]).

---

5) *Oper. supplem.* II. obs. 8.

6) *Comment. et oeuvres chirurg.* Edit. III. augment. *à Marseille* 1677. 4. Tract. IV. exemplum mirae convulsionis digitorum, quorum bini in diversas partes distendebantur, pendentis ab abscessu ad maxillam inferiorem, narravit.

7) *Annals of med.* Vol. II. Dec. II. sect. 2. no. 9.

8) *Sepulchret.* lib. I. sect. 13. obs. 26.

9) *Ephemer. nat. curios.* Dec. II. ann. 1. obs. 25.

Neque vero copiosius puris solius profluvium vires ita subruit, ut nervi distendantur, sed idem et serosorum humorum aut per diarrhoeam choleramve sponte ortam, aut drasticorum purgantium vi producta subita et larga evacuatione efficitur. Rosinvs Lentilivs quidem [10]) asthmatico, quinquaginta annos nato, propinavit emetici syrupi officinalis unciam dimidiam, unde tanta tam per superiores, quam per inferiores vias consecuta est humorum effusio, ut corpus integrum vario modo convelleretur. Qui quidem casus praeter id, cujus probandi causa allatus est, probare quoque videtur, Hippocratis effatum, quo post sumta purgantia convulsiones in universum letales esse pronuntiavit [11]), paulo arctioribus limitibus, quos ipse Hippocrates jam jam indicavit, cum alio loco [12]) nervorum distentiones singultumque *ὑπερκαθάρσει* supervenientem, malum symptoma declararet, circumscribendum esse. Nam aegrotus Lentilii, quamvis graviter adfectus, tamen convaluit.

Longe majus autem periculum minatur sanguinis, qui vitae fons atque origo merito ab antiquissimis inde temporibus habitus est, effluvium subitaneum atque copiosum. Hoc enim ubi feminam, quae jam e sexus sui conditione et quasi lege corporis debilitate atque inde pendente majore irritabilitate laborat, opprimit, convulsiones oriuntur vehementissimae, de quarum exitu infelici uno quasi ore consentiunt medici omnes. Bene causam, ob quam post profusas haemorrhagias nervi distendantur, exposuit Le-

---

10) *Miscell. med. pract.* p. 529.

11) *Aphorism.* sect. V. §. 1.

12) Eadem §. 4. Silentio h. l. praeterire nequeo, Doctissimum C. Sprengelivm minus accurate expressisse Hippocratis aphor. VII. 25. *ἐκ φαρμακοποσίης σπασμὸς θανατῶδες*, *permagnum periculum adferre spasmum, post medicamenta sumta ortum.* Etenim non *permagno* solum *cum periculo* conjunctum esse talem spasmum, sed vere *letiferum* pronuntiavit Hippocrates.

ROUX[13]). Scilicet illas convulsiones putat esse nihil aliud, quam conamina naturae, pericula, ipsius incolumitati maximopere minantia, removendi. Dum enim sanguis largo flumine e feminae, sive gravidae, sive non gravidae, corpore prorumpit, vasa inprimis majora subito evacuantur, nec tantam humoris sui copiam cordi advehunt, quanta opus est ad ejus contractionem debito modo promovendam. Corde naturalis stimuli vi atque efficientia orbato, animi oriuntur deliquia, quae a vehementissimis convulsionibus excipi solent. In his autem nervorum distentionibus deprehendimus naturae, mortem avertere conantis, si quod aliud efficacissimum remedium. Etenim motus illi musculorum fere omnium vehementes ita vasa sanguifera minora, quae illorum compagem perrepunt, comprimunt, ut sanguis citiore fluxu ad majora reductus stimulum vitalem et in haec, et in cor ipsum iterum exserere possit. Quodsi haemorrhagia, animi deliquio suppressa, post hujus finem non recrudescit, viresque et sanguinis profluvio et convulsionum vi fractae sensim sensimque redeunt, servari potest aegrota. Sed de hoc exitu felici minime laetari possumus, ubi haemorrhagiam nullis remediis coërcere licet. Brevi enim post primum convulsionum impetum iterum animo linquitur aegrota, iterumque convellitur, idque fortius quam antea. Quae quidem scena plerumque vitae finem imponit, non solum, quoniam principium illud, quod per nervos diffusum vitae quasi principatum tenet, dirissimis convulsionibus adeo exhaustum atque dissipatum est, ut machina, omnibus, quae vivam continent, vinculis solutis, in se ipsa corruere debeat. Hujus rei haud leve argumentum in putredine invenisse mihi videor, quae corpora,

---

13) *Beobacht. üb. d. Blutflüsse d. Wöchnerinnen. A. d. Fr.* 1784. 8. pag. 317. Eandem sententiam amplexus est BOISSIER de SAUVAGES (nosolog. To. I. p. 551.).

convulsionibus mortua, citius, quam quae alio mortis genere occubuere, solet corripere, id, quod alterum eclampsiae exemplum, superiore prolusione commemoratum, ut alia taceam, comprobat.

Aliam ab hac modo proposita convulsionum, quae sanguinis evacuationem sequantur, explicandarum rationem proposuit GERARD. VAN SWIETEN [14]). Is enim putavit, convelli nervos propterea, quod deficiat propter magnum sanguinis effluvium pressio in arterias cerebri, atque inde fluidi seu principii illius, quod nervis tanquam ductoribus utitur, motus cesset. Hoc autem cessante paralysin omnium musculorum, atque a cerebello similiter adfecto animi deliquium oriri. Attamen cum aliquis per hanc totius fere machinae quietem sanguinis motus perduret, hunc humorem, frigore inprimis, quo corpus hoc ipso statu rigescat, adjutum, ad cordis posteriora cava refluere, eaque ad contractionem impellere. Expulsum a corde sanguinem summa cum velocitate per vacuas arterias ad cerebrum usque promoveri, suoque impulsu hoc viscus ad validam reactionem excitare. Novum igitur convulsionum paroxysmum oriri, paulo post cessantem denuo, interrupto sanguinis adfluxu, hoc autem iterum restituto redeuntem. In qua quidem convulsionum, post copiosa sanguinis profluvia oriundarum, explicatione varia sunt, quae disputationem admittant. Quae enim de paralysi musculorum, aut de vacuis arteriis proposuit SWIETENIVS, ita sunt comparata, ut concedi nullo modo possint. Paralyticos enim musculos omnes haud licet sumere, qui validissime convelluntur: nec putandum est, vel post gravissimas haemorrhagias, quamdiu vita superest, vacuum spatium in arteriis reperiri. Hoc quippe per aëris externi, corporis nostri superficiem magna cum vi prementis, pondus nunquam locum habere potest, a quo e venis,

---

14) In *Comm.* in H. BOERHAAVII aphor. To. I. p. 377.

cum arteriarum systemate communicantibus, semper tanta sanguinis copia in arterias cogitur, quanta sufficit ad eas quodammodo implendas. Nam quod sanguinis justae copiae deest, ut naturali modo arteriae impleantur, id harum vis contractilis supplet, quae dimensorem ipsarum eadem fere ratione imminuit, qua minorem vehunt humoris quantitatem. Maximopere autem immutatur sanguinis, post graves haemorrhagias in arteriis venisque contenti, mixtio, quippe cruoris, quo stimulandarum partium irritabilium vis contineri videtur, copia admodum imminuitur. In haemorrhagiis, nullo remedio compescendis, tandem e patulis vasis prodit humor, qui loturae carnium recentium similis est.

XXIV.

DE VARIOLIS BIS EVNDEM HOMINEM INFESTANTIBVS.

Programmate hoc indicata est d. VI. Nov. A. CIↃIↃCCCXII, promotio Chr. Gvil. Fr. Miri, Misnensis, in Licentiatum medicinae ac chirurgiae.

In recentissima diarii Hufelandiani parte, quae mense Augusto hujus anni prodiit, legitur historia morbi variolosi, post insitas recte atque feliciter superatas variolas vaccinas in tribus infantibus exorti. Qui quidem eventus cum omni animi attentione maxime dignus sit, quippe qui magistratum ejus regionis, in cujus vicinia locum habebat, eo adduxerit, ut, quam antea liberaliter auctoritate sua promovere studeret, publicam vaccinationis commendationem desereret, atque sic ejus vanitatem testaretur, equidem illud disputationis de causis eclampseos argumentum, quod superiore prolusione inchoatum hàc ipsa scribendi opportunitate profligare ulterius cupiebam, in aliud tempus seponere atque de illius eventus vi atque ratione breviter agere decrevi.

Scilicet Experientissimus Fr. Gvil. Wesenervs, medici publici muneri apud Dülmenses praepositus, hoc ipso munere ita usus est, ut iis, qui rem publicam ibidem tunc temporis gubernabant, de summa vaccinationis utilitate atque de necessaria cura, huic ipsi negotio a magistratibus impendenda, persuaderet. Primo igitur omnibus, qui sine idonea medicae artis

cognitione vaccinationi vacabant, interdicebatur exercendae insitionis variolarum vaccinarum facultate, et cum nec hac lege consilia principis sapientissima ac saluberrima explerentur, alia promulgabatur, qua omnes omnino illius ditionis incolae, qui nondum variolas perpessi erant, vaccinationi necessario subjiciebantur. Dies, quo insitio variolarum vaccinarum publicis sumtibus instituenda erat, publice indicebatur: omnibus, vaccinationis beneficio auctis atque ornatis, post bene superatum morbum die nono hujus rei veritas testimonio publico asserebatur: qui hoc testimonio carebant, mulctam committebant duodecim grossorum, quae, nisi proximo mense vaccinationi sese subjecissent, augebatur. Magistratus consignationem omnium infantum, qui Calendis Maiis annum aetatis primum excesserant, medico publico quotannis exhibere debebant, e qua hic non solum numerum eorum, qui quovis loco vaccinandi essent, cognosceret, sed etiam tempus, huic negotio dicandum, ante accurate definire posset, atque, ne nimia festinatione peccaretur, cavere.

Qua quidem sapientissima lege quamquam vaccinationis negotium in praefectura Dülmensi egregie promovebatur, tamen non nulla quoque observabantur, quae in illo edicto neglecta, nova lege suppleri debebant. Haec cum Experientissimus Wesenervs ad magistratum, cujus auctoritate prior lex evulgata erat, detulisset atque de prompto paratoque ejus animo, quem antea non sine voluptate expertus erat, optima quaevis sperasset, maximopere miratus est de frustrata spe atque denegata omnino ad proposita sua responsione. Tandem cum acrius eum urgeret de proferenda hujus silentii causa, comperit, Exper. Ravivm, qui collegio medico in vicinis terris Salmensibus praeest, vaccinationis utilitatem propterea suspectam reddidisse, quod ipsi aliquot exempla variolarum, post superatam vaccinationem redeuntium, innotuerint.

Priusquam in amicam disceptationem inter Ravium atque Weseneryм ortam, profundius descendam, praemittenda sunt exempla hominum, qui post recte insitas variolas vaccinas denuo verarum variolarum contagio infecti et a Ravio observati sunt. Is autem omnes, quos vaccinationis beneficio adfecit, quorumque numerus ad duo millia ducentosque adscendit, in diarium diligenter retulit, in quo totus morbi decursus accuratissime consignabatur. E quo quidem diario desumtae sunt historiae sequentes.

Antonio Rave, octo annorum puero sanissimo, virus vaccino-variolosum e pustula perfecta, minime scalpendo aut alio modo lacerata, pueri biennis, cujus morbus, solitis symptomatibus stipatus, rite decurrebat, inserebatur, sex vulnusculis per cultelli chirurgici apicem utrique brachio inflictis, anni cIↃIↃcccvII mense Junio. Horum vulnusculorum quinque in uno, quatuor in altero brachio consecutam infectionem indicabant, morbo recte per sua stadia efformato. Octavo autem die motus febriles cum vomitu, glandularumque subaxillarium dolore atque tumore oriebantur. Variolarum vaccinarum pustulae rubore admodum intenso, nec non tumore, usque ad cubiti articulationem extenso, cingebantur. Nono aut decimo a facta insitione die in reliqui corporis superficie triginta circiter pustulae efflorescebant, quo facto insitionis vulnera in suppurationem abibant tandemque crustis duris iisque fuscis obtegebantur, quae, ubi exsiccatae deciderant, maculas aut foveas relinquebant.

Hujus frater, quinque cum dimidio annos natus, eodem, quo ille, die vaccinatus, morbum concepit conceptumque superavit vaccino-variolosum maxime regularem; idemque biennio post in alio ejusdem familiae infante est observatum.

Mense Martio anni cIↃIↃcccx variolae Ramsdorfii, quae fuit patria urbs trium illorum infantum, comparuere. Inter eos, qui primi fere a morbo varioloso

inficiebantur, tres quoque Ravianae familiae liberi referebantur, quibus per vaccinationem ab omni infectionis variolosae periculo securitas promissa fuerat. Et quidem Antonius Rave a febre vehementi correptus multum vomuit: quos febriles motus tertio vel quarto die post frequens pustularum eruptio subsecuta est, sensim sese supra corporis superficiem extollentium, in suppurationem abeuntium, denique exsiccatis atque delapsis crustis brunneas maculas atque cicatrices relinquentium. Quae quidem pustulae, a variolarum natura neutiquam abhorrentes, tanta copia in facie, manibus, pedibusque inprimis efflorescebant, ut confluerent aegrotumque fere trucidarent. Vix mortis periculo ereptus fuit puer, cum idem morbus primo fratrem juniorem lenius corriperet, et paulo post majori cum vehementia natu minimum.

Praeter tria enumerata exempla commemorat Exper. Rave infantes alios, qui ibidem loci eodemque tempore post rite institutam a chirurgo Heynio vaccinationem variolis correpti esse dicuntur. Sed cum illa fando tantum acceperit, nec tam de vaccinationis recta administratione, quam de morbi variolosi natura atque decursu in hisce infantibus sua ipsius observatione edoctus fuerit, parum ponderis tribuit illis exemplis. Sed illis tribus infantibus, quos ab ipso vaccinarum variolarum miasmate imbutos morbum inde productum legitimo modo superasse conspexit, tantopere fides, quam hucusque habuit vaccinationis a variolarum succedentium contagio securitati, labefactata est, ut illam amplius magistratibus commendare nollet.

Narrationi, quam de hoc eventu ad collegium sanitatis suae ditionis mittebat, tres subjunxit quaestiones, primam, quid ex hisce tribus exemplis deduci et possit et debeat? alteram, fueritne in vaccinationis negotio vitii quidquam commissum, unde successus vanus probabili modo explicari possit? tertia denique

doceri cupiebat, an epidemia variolosa, Ramsdorfii intra angustos terminos coërcita, pendeat a vaccinarum variolarum, antea quam plurimis infantibus insitarum, vi antivariolosa? Ad quas quaestiones etsi Exper. WESENERVS respondere conatus est, tamen cum superesse mihi non nulla videantur, quae ab illo aut minus libere, aut minus plene dicta sint, haec jam supplere conabor.

Et quidem Clar. WESENERVS, cum concessa veritate historiarum, quae a multis scriptoribus de redeuntibus bis aut pluries variolis literis consignatae leguntur, utilissimum judicet, inquirere in decursum atque exitum illarum variolarum, quae post morbum vere variolosum, semel jam superatum, homines denuo opprimant, ego nunc constitui huncce laborem in me suscipere atque talia exempla paulo curatius excutere, ut constet, quibus testibus hoc singulare phaenomenon tanquam fundamento firmo atque stabili nitatur.

1. Anonymus in *Collect. societ. med. Hafniens.* to. II. p. 91., qui male AASKOW audit apud PLOVCQVETVM in *Literat. med. digest.* Vol. IV. p. 260. ed. noviss. narrat de puella sedecim annorum, quae cum sorore natu majore ante octo annos variolas satis benignas perpessa erat, sed subito, variolis tunc sporadice observatis, horripilationibus, calore intenso, lumborum et occipitis dolore, pectorisque oppressione corripitur, facies tumet, oculi rubent atque illacrymantur; stringentem in cordis scrobiculo dolorem, nauseam sine vomitu, pulsum celerem atque durum, delirium denique leve experitur. Tertio morbi die larga in facie atque pectore eruptio, cum symptomatum remissione conjuncta. Quarto quintoque die, cum totum corpus exanthemate tectum esset, summa deglutitionis difficultas cum salivae adeo copioso profluxu, ut suffocationis periculum inferret. Soror, quae ab aegrota remotius habitabat, de reditu ejusdem morbi

anxia, primo variolas sibi inserendas curavit, sine effectu, dein sororem adhuc pustularum crustis foedam visitavit, libera manens a contagio. Inde concludit auctor, vere bis laborare posse hominem variolis. Sed mihi videtur prior morbus, cujus nullam accuratam historiam exhibere potuit, ad varicellam pertinuisse. Nam sunt multa in promtu exempla, ubi post insitionem ejusdem virus variolosi hic vel ille infans variolis, reliqui eodem tempore modoque tractati varicella adfecti sunt. Priori morbo leniori gravior succedens hoc mihi probare videtur.

2. Richarto Mortono, celebri seculi decimi septimi medico, referebatur ab Athertono, quem exercitatissimi ac sapientissimi viri titulo ornat, historia de femina, octodecim annos nata, in cujus corpore post praegressum brevi ante capitis dorsique dolorem febrimque modicam variolae parvulae erumpebant. Minime autem exanthematis proventu symptomatum vehementia fracta est. Etenim nausea, vomitus atque frequens animi deliquium aegrotam male habebant: praeterea, quod morbi vim augere semper videtur, fluebant menstrua. Morbus sub tractatione, illo tempore solemni, h. e. calefaciente atque sudorem promovente, usque ad diem decimum tertium protrahebatur: nausea, febrisque adeo intensa, ut aegrota deliraret, perdurabant: eruptio duobus ultimis diebus, symptomatibus ingravescentibus, tam copiose prodiit, ut ne minima quidem corporis pars a stigmatibus libera conspiceretur. Nunc, febre manifesto aucta, salivatio larga oborta est, altero autem die iterum cessavit. Variolae fuscae et subnigrae demum factae paulatimque in crustas abiere. Die decimo quarto delirium, anxietas, vigiliae redibant, atque in priorum variolarum interstitiis novum exanthema propullulavit. Symptomata minime mitiora reddebantur: pulsus nunc fortis et celer, nunc debilis atque languidus: die vicesimo primo salivatio iterum aegrotam vexabat: aph-

thae in ore atque faucibus prodibant tanta copia, ut vocem interciperent. Aphtharum autem proventus signum quasi erat symptomatum valde terribilium. Nam aegrotae profundo somno oppressae tendines subsultabant; manus cum maxilla inferiore tremebant perpetuo; inscia urinam mittebat; linguam fere semper motitabat; stragulas colligebat; manus huc illuc jactitabat; pustulae et ulcera omnem sensum amittebant. Tandem huic tragoediae sudor profusior, die vicesimo tertio ortus et per triduum durans, finem imponebat. Nunc pustulae crustis tegebantur in facie, in reliquis autem corporis partibus pelliculare instar decidebant.

An hoc ipsum exemplum probet, variolas intra quatuordecim dies bis rediisse, valde dubito. Etenim in variolis exanthematis proventu omnia symptomata, quae illud antecessere, silent, in hoc autem morbo non perdurabant tantum, sed et augebantur: in variolis crustae crassae sunt, in hoc morbo pelliculas seu squamulas referebant: in variolis eruptionis stadium vix ultra diem septimum protrahitur, in hoc morbo diebus duodecimo et decimo tertio nondum finitum erat. Exanthematis autem ratio atque natura tam parum accurate descripta est, ut inde minus tuto ad variolarum praesentiam concludere possimus.

Plures adhuc in scriptoribus medicis de variolis, unum eundemque hominem bis infestantibus, leguntur historiae, quae proximae scribendi opportunitati servandae sunt.

XXV.

DE VARIOLIS BIS EVNDEM HOMINEM INFESTANTIBVS.

CONT. I.

Programma hoc scriptum editumque est, cum Gv. Lvd. Chph. Ferd. Lehmann, Genthino - Brandenburgicus, Licentiati medicinae et chirurgiae honoribus ornaretur, d. xx. Nov. A. cIↃIↃcccxii.

Quod in priore prolusione ex Mortono hausi exemplum variolarum, bis intra brevissimum temporis spatium revertentium, in memoriam mihi revocat similem fere eventum, qui Illustri Hvfelando bis obvenit [1]). Scilicet post insitionem variolarum, quae magna copia prorumpentes omnia stadia rite absolvebant, crustis plane delapsis die decimo quarto in hoc, vicesimo autem primo in altero aegroto novus isque largissimus variolarum, legitime suppurantium crustasque formantium proventus observabatur. Quod quidem duplex eruptionis variolarum stadium, intra tam breve tempus sibi succedens, neutiquam efficere morbi variolosi, bis eundem hominem invadentis, exemplum, recte adserit Hvfelandvs. Vires enim, quibus exanthema in corporis superficie formabatur, haud sufficiebant ad materiam variolosam simul expellendam. Quiescebat igitur paululum morbus, minime autem penitus suppressus erat. Quamquam de febris

1) *Journ. d. prakt. Heilkunde.* B. III. p. 754.

continuatione in narratione, nimium fortasse brevi, nihil commemoratum est, tamen quovis pignore contendam, illam haud prius decessisse, quam exanthema, quod prima vice ob virium defectum nondum in cute comparuerat, ibidem in conspectum prodierat. Hujus sententiae stabiliendae argumentum repeto ex observatione de noxis purgantium medicamentorum in variolarum insitione nimium liberali manu adhibitorum, ab Exper. A. Hinzio tradita [2]). Cum enim is suis ipsius infantibus variolas inseruisset, et per purgantia remedia a variolis faciem inprimis liberam conservare cuperet, die septimo post insitionem in gena dextra duas pustulas efflorescere rubras ac duriusculas conspexit, quae cum alvus quotidie moveretur, per sex dies sine notabili mutatione restabant, tandemque exsiccatae in squamas mutabantur. Spes, quam conceperat pater, fore, ut nunc omnis morbus profligatus esset, vana erat: nam cum appetitu ciborum imminuto somnique absentia febris et tussicula molesta perdurabant. Cum lingua muco flavo obducta esset, vomitusque urgeret, hanc febrem biliosae indolis esse autumavit Hinzius, huicque opinioni medelam adaptavit. Neque tamen de successu curationis felici laetari poterat. Etenim febris vehementia multum intensior reddita copiosum sudorem proliciebat, qui aeque ac urina foetorem spargebat, variolis peculiarem: coma aderat vigil, quod metum injiciebat, ne materies morbifica, ad cerebrum delata, perniciem ferret. Exhibebatur vomitorium, quo ter multa pituita educebatur hoc effectu, ut ad se rediret aegrotus. Nunc variolae, paucae illae quidem, sed magnae atque distinctae, die tandem vicesimo secundo prodibant cum omnium symptomatum remissione. Ex hac morbi historia luculentissime elucet, vires aegroti, repetita alvi ductione, tantopere fractas fuisse, ut exanthema ad corporis

---

2) *Loco cit.* p. 673 *ss.*

superficiem protrudi non posset. Sed natura hanc efflorescentiam, sine qua sanitas aegroto reddi haud poterat, moliebatur febre sustentanda, quae ubi idoneam vim nacta erat, variolarum proventum efficiebat.

Talia igitur exempla variolarum, bis aut saepius adeo redeuntium, neutiquam id probant, quod, qui in ea versantur opinione, ut contendant, eundem hominem pluries a morbo varioloso adfici posse, inde deducere conantur. Alia potius investiganda sunt, contra quae simile quid recte moneri haud possit. Ac Haenivs quidem multus est in talibus historiis undique colligendis, e quibus eas tantum laudabo, quae paulo copiosius descriptae sunt.

Maxime memoranda videtur familia Vindobonensis illustrissima, in qua more quasi receptum fuisse narratur, numerosam prolem bis pati variolas. Filia scilicet natu major cum sorore anno cIↄIↄcclvii in monasterio S. Salesii, ubi educationis perficiendae causa commorabantur, variolis corripiebantur ita, ut illa gravissime morbo laboraret, vixque os aperire aut quidquam deglutire posset, haec autem multas quidem variolas haberet, minore tamen incommodo. Nihilo tamen minus duobus annis post filia natu minor iterum variolis sat copiosis iisque discretis ac benignis adflicta esse dicitur, Molinario, familiae hujus medico, qui per tres septimanas bis pluriesve quotidie aegrotam visebat, teste. Vere proximi anni soror natu major correpta quoque variolis est discretis tamque copiosis, ut ne minimus in facie, brachiis cruribusque detegi posset locus, a papulis liber. Graviter omnino aegrotabat, salivatione copiosa, una cum variolis erumpentibus orta, et die demum decimo quarto penitus cessante. Harum frater anni cIↄIↄcclviii vere laboravit variolis, teste eodem Molinario. Biennio post de capitis dolore ac ventriculi plenitudine conquerebatur. Contra quae mala medicina purgans exhibita optatum haud edidit effectum. Etenim ciborum

fastidium, torpor et artuum sensus ingratus, similis illi, quem e verberibus acceptis percipimus, remansit. Quarto morbi die primae pustulae ad labia, mentum, frontem tempusque sinistrum apparebant, quae sequenti die magnopere augebantur, novis sensim sensimque succedentibus per quinque dierum spatium. Pustulae, prius lympha, postea pure repletae, stigma in medio apice depressum, obtulerunt atque circulo rubro circumscriptae fuerunt. Vomitus, qui eruptionem praecesserat, post eandem continuavit usque ad duodecimum morbi, octavum autem eruptionis diem, quo penitus cessavit. Haenius hunc aegrotum in facie variolas crystallinas, in reliquo corpore purulentas habuisse credit [3]).

Jam igitur extra omnem dubitationem ponendum esse videtur, hanc pustulosam eruptionem veras constituisse variolas. Id ipsum cum Haenio in mentem veniret, triplici testimonio facti veritatem munire studuit. Et quidem ante omnia usus est adsertione feminae, quae matri horum liberorum a ministerio cubiculari erat. Quod quidem testimonium haud magnopere curo, etsi bene memini, celeberrimum medicum Berolinensem, Heimium, regi Borussorum a consiliis intimis, haud erubescere profiteri, se ipsum, dubium de vera pustulosae eruptionis natura, judicium feminae, quae aegrotis curandis operam locare suam soleat, audire prius, quam decernat, verae ne sint variolae, an varicellae [4]). Etenim inter utramque eruptionem interdum tantam intercedere existimat similitudinem, ut et medici experientissimi falli possint et saepe fallantur. Cujus quidem rei duo exempla adfert, semel sibi ipsi accidisse, ut sexto eruptionis die

---

3) *Ad* Balth. Lud. Tralles *epistolam apologet. responsio. Vienn.* 1767. 8. p. 8 ss.

4) Vid. Horn's *Arch. f. d. prakt. Medicin u. Klinik.* B. VII. p. 185.

pustulosum exanthema pro veris variolis declararet, chirurgo veterano nec ultra barbae tonsuram sapiente, in contrariam abeunte sententiam, quae tamen brevi post, variolis veris erumpentibus, confirmata sit. Rursus idem Berolini anno CIƆIƆCCLXXXXVII evenit. Duo Karbii, oeconomi Chorinensis filii, quorum natu major septendecim, minor quindecim annos natus erat, cum variolis nondum laborassent, maximam sollicitudinem injecerant patri, audienti, in eorum vicinia variolas grassari. Mandavit igitur viro, quem educandis liberis praefecerat, ut iis variolas a Wolfio seniore, medico domestico, inserendas quam primum curaret, in consilium simul adhibitis Sellio et Heimio. Quorum posterior ubi infantem conspexit, e cujus pustulis variolosum virus desumtum erat, hunc illico varicella laborare declaravit. Hoc judicium, cum duobus reliquis medicis communicatum, eos neque ad diligentiorem rei investigationem invitavit, neque a sententia proposita deflexit, sed acriter defendere perrexerunt, illum, qui insitionis materiem Karbii filiis suppeditaverat, vere variolis adfectum fuisse. Siluit Heimivs. Die quinto post insitionem sine febre notabili in corpore alterius aegroti multae pustulae propullulavere, quae in altero cum intensa febre, vomitu etc. die septimo in conspectum prodibant, et die octavo a medicis, solo Heimio contrariam sententiam tuente, verae variolae declarabantur. Qui quidem medicorum in re tam gravi dissensus praeceptorem utriusque Karbii commovit, ut patrem hac de re certiorem redderet. A quo cum juberetur celeberrimos e Berolinensibus medicis in consilium adhibere, convocati sunt Zenkervs, Pallasivs, Fritzivs atque Rohlofivs, quorum tres priores ad Sellii atque Wolfii sententiam accedebant, Rohlofivs autem, postquam diu mentem suam aperire cunctatus erat, tandem variolas dubias (*entre deux*) esse statuebat. Variolae, utrumque aegrotum anno sequente infestantes, verum

fuisse, quod Heimius adseruerat, luculentissime probarunt.

Sed ad Haenium nunc redeo, quem triplici testimonio narrationis suae veritatem confirmare studuisse supra dixi, feminae scilicet et duorum medicorum. De prima teste praeter ea, quae jam verbo monui, nihil addo, sed videbo potius, quid artis periti pro sua sententia defendenda attulerint. Neque tamen invenio et hic, quo omnis dubitatio possit removeri, quin primae variolae fuerint spuriae. Etenim Sebitzium, consiliarium et archiatrum, plane non novimus, nec sufficiunt ejus tituli atque honores ad persuasionem de idonea ejusdem cognitione medica. Holzbauerus autem, quo tertio teste utitur, veras fuisse variolas inde concludit, quod in aegrota natu minore pustulae quarto die eruperint, octavo ad maturitatem pervenerint, duodecimo ruptae sensimque siccatae deciderint. Quae quidem signa omnia etiam in nonnullis varicellae formis adesse, nunc ex Heimii laudata commentatione de diagnosi varicellae recte formanda constat. Cujus quidem viri auctoritati si quod addendum est fulcrum, illud facile invenio in aliorum medicorum, ad haec exanthemata inprimis animum advertentium, consensione. Anonymus enim, quem superiore prolusione laudavi [5]), eruptiones vernales quasdam interdum veras variolas egregie mentiri observavit, et Chr. Ludov. Hofmannus, celeberrimus quondam medicus, omnes, qui Monasterii artem faciebant, medicos aliquando invitabat, ut aegrotum, qui exanthematico laborabat morbo, accurate examinarent, et quo nomine morbus ille insigniendus esset, decernerent. Omnes autem in eo conveniebant, variolas esse, quas videbant, aegrotumque referri debere inter eos, qui bis variolis inficiantur. Qua sententia audita,

---

5) Vid. *Soc. med. Hafn. collectan.* Vol. II. p. 91.

Hofmannus, rem aliter se habere, luculentissime probavit, suorumque argumentorum vi omnibus persuasit, morbum hunc nil esse, nisi rariorem varicellae formam [6]). Ex his igitur patere arbitror, Haenium minime probasse, quod cupiebat, aliaque exempla in medium proferenda esse, unde certissime pateat, unum eundemque hominem plus una vice variolis adfici posse.

Duo ejusmodi exempla, ab aliis medicis accepta, nobiscum communicavit idem vir, sententiae semel probatae pertinacissimus propugnator [7]). Petr. Imman. Hartmannum quidem narrat, professorem Francofurtanum, tractasse juvenem vicenarium, qui Helmstadii literis addiscendis operam navaverit, atque post febrem intensam, versus vesperam ingravescentem, nocte maxime inquieta, tertii diei horis matutinis haemorrhagia narium copiosa cum intumescentia faciei, inprimis in oculorum vicinia, laboraverit. In facie quam plurimae, in trunco aliquot maculae rubrae, supra cutis superficiem elatae, conspiciebantur, quae subsequente nocte in pustulas lentiformes, rubro circulo cinctas, admodum elatas, abibant. Quo facto praecordiorum anxietas atque febris imminuebantur, atque satis bene sese aegrotus habebat die quarto, quinto atque sexto. Hoc ad vesperam vergente nova eaque haud levis incendebatur febris, pustulis in suppurationem abeuntibus. Eae exsiccatae crustas formabant, quae remotae cicatrices relinquebant. Qui quidem morbus quamquam negari nequit quam plurima offerre, quae variolas fuisse probent, tamen in hac ipsa quoque narratione deprehenduntur quaedam, quae diligentiore descriptione indigere videntur. Huc in-

---

6) Hufeland's *Journ.* 1812. St. 9. p. 107.

7) Vid. Ej. *Heilmethode.* B. IV. p. 336 ss.

primis refero cicatricum habitum, quem in varicella plane diversum esse ab eo, qui in variolis sit, demonstravit Illustris HEIMIVS. Illum autem aegrotum, ubi ex Helmstadiensi literarum universitate in Francofurtanam sese contulerat, variolis adeo malignis correptum fuisse, ut morti nulla arte eripi posset, HARTMANNVS testatus est.

XXVI.

NVM ARTVVM AMPVTATIO STATIM POST OSSIVM COLLISIONEM INSTITVENDA?

Programma scriptum editumque est, cum jura ac privilegia Licentiati medicinae et chirurgiae d. XII. mens. Mart. A. CIƆIƆCCCXIII in CAROL. FR. HAASIVM, Lipsiensem, conferenda essent.

Maxime innotuit celebris illa, quae medio fere superiore seculo mota atque agitata est, quaestio de amputatione membrorum vulneratorum saepius nimis temere instituta. Ex quo enim JOANNES VLRICVS BILGVERVS, exercituum regis Borussorum chirurgus primarius, suam disputationem *de amputatione artuum rarissime instituenda aut quasi abroganda. Hal.* 1761. 4. opposuit franco-gallicorum chirurgorum insigni animorum levitati, qua, quotiescunque membrum gravi vulnere, ossa inprimis confringente, adflictum erat, in ejusdem resectionem temerario impetu abripiebantur, extitere quam plurimi, qui aut explosae sententiae defensionem in se reciperent, aut BILGVERVM contra adversariorum censuram, saepe satis asperam [1]), tueri conarentur.

1) MORANDVM inprimis intelligo, qui acerrime BILGVERVM impugnavit. Vid. Ej. *vermischte chirurg. Schriften. Leipz.* 1776. 8. pag. 96 — 122. Praeterea DAV. *van* GESSCHER BILGVERI commentationem refutandam sibi sumsit. Cons. Ej. *Abhandl. v. d. Nothwendigkeit d. Amputation.* A. d. Holl. v. MATTH. MEDERER. *Wien* 1775. 8.

Nunc vero minime id curo, ut utriusque sententiae momenta curatius rimer, sed potius ad temporis definitionem, quo post vulnera inprimis, sclopetorum tormentorumve vi inflicta, artus fracti foedeque lacerati omnium optime debeant resecari, animum advertam. Etenim hac quoque in re in diversas abiere sententias chirurgi celeberrimi, adeo, ut regia chirurgorum academia, quae quondam Parisiis florebat, anno CIϽIϽCCLV juberet, praemio amplo proposito, finire experientia duce tempora, quibus artus, quorum ossa fracta et comminuta sint, extemplo resecari debeant, quibusve haec ipsa operatio queat et debeat longius differri. Favrii, chirurgi militaris, commentationem praemio ornatam fuisse constat, qua, sua nixus experientia, probare conatus est, omnes milites, quorum artus post proelia ad Fontenoi et Lauffeld commissa statim post vulnus acceptum amputati fuerint, periisse, contra ea illos, qui, aliquot septimanis praeterlapsis, et superatis commotionis, nec non inflammationis insecutae effectis, hanc ipsam operationem subierint, maximam partem servatos fuisse.

Quae quidem sententia, celebris academiae judicio confirmata et quasi sancita, non poterat non latius disseminari et quam plurimos invenire, qui sine accuratiore investigatione commendatam tractandorum vulnerum methodum adeo religiose sequerentur, ut ne latum quidem unguem inde recedere sustinerent. Cum tamen alii, nec minus experti chirurgi, inter quos Lavr. Heisterum, Perciv. Pottium, Avg. Gottl. Richterum, Platneros, patrem et filium, Lovisium, Benj. Bellium aliosque nominasse sufficiat, optimo successu artuum gravissime vulneratorum resectionem, ut primum vulneratio accidisset, susciperent, labefactari coepit Favrii sententia. Omnem igitur operam posuerunt in eo, ut diligentissime finirent tempora, quibus aut cita, aut serior amputatio conveniret. In hac investigatione facem reliquis quasi praetulit

le Conte, chirurgus Arcueilensis, qui una cum Favrio certaminis stadium ingressus, quamquam spe praemii propositi potiendi exciderat, tamen subtiliter inquisivit in varias res, quae operationem hanc aut urgerent, aut tardarent [2]). Nostris temporibus et Vir Illustris, Ern. Platnervs [3]), et praecipue Dominic. Joa. Larrey [4]), Lib. Baro, qui supremam curam sanitatis omnium francogallicorum exercituum gerit, idem argumentum retractarunt. Quorum quidem posterior cum viginti annis in quatuor orbis terrarum partibus secutus sit maximos Franco-Gallorum exercitus, atque quam plurimis iisque maxime cruentis proeliis velut alter Machaon interfuerit, experientiae divitiis omnino superat Platnervm. Itaque operae pretium facturus esse mihi videor, cum ea, quae de temporibus accelerandi artuum amputationem Larreyvs docuit, in hac scribendi necessitate examinavero.

Is vero octo casus sumit, qui chirurgum cogere possint, ut statim post vulnus inflictum amputet. Etenim quando membri pars tormenti bellici globo aut bombardae, pulveris pyrii vi diffractae frustulo, a reliquo corpore penitus abrupta est, membri relicti pars rescindenda est, quippe cum partes partim molles ingenti laedentis corporis impetu contusae, laceratae, tensae, partim osseae per longitudinem fissae, fractae, comminutae servari plane nequeant. Eandem legem scripsit amputationi suscipiendae Bjm. Bellivs [5]). Melius igitur consulit chirurgus aegroto, cum per amputationem vulnus inaequale et maxime complica-

---

2) Recueil des pièces, qui ont concouru pour le prix de l'acad. roy. de chirurgie. *à Par.* 1759. 12. To. VIII. p. 63 — 100.

3) *Zusätze zu sein. Vaters Einleit. in die Chirurg.* Th. I. (et unicus) *Leipz.* 1776. 8. p. 169 — 177.

4) Mém. sur les amputations des membres à la suite des coups de feu. *Par.* an V. (1797.) 8. et *Med. chirurg. Denkwürdigk. aus sein. Feldzügen. M. Kupf. Leipz.* 1813. 8. p. 358. s. edit. gall. II. p. 451.

5) *Lehrbegr. d. Wundarzneyk.* Th. IV. p. 455.

tum in aequale atque simplex, quam fieri poterit, citissime mutat. Arteriae dissectae, nunc melius in conspectum productae, rite ligantur, aegrotumque a metu profusae haemorrhagiae liberant. Ossium fragmenta avulsa non possunt non partes, quibus infixa haerent, irritare, atque dum in hujus irritationis societatem reliquum corpus rapiunt, febrim incendere, cui superandae vires aegroti neutiquam sufficiant. Sic partes contusae omnique vita privatae, brevi in gangraenam atque sphacelum abiturae, nunc haud possunt totam humorum massam inficere, atque febris, vulnera comitantis, vim intendere. Praeter haec commoda, quae ex amputatione promptissima in hoc casu in vitam aegroti certissime redundant, commemoranda adhuc est commotio, qua talibus vulneribus adflicti per longius brevius temporis spatium opprimi solent, de cujus effectis post Favrivm [6]) Bovchervs [7]), Ern. Platnervs [8]) aliique luculentissime exposuerunt, inter quos inprimis commendandus est Schreinervs libro: *Ueber die Amputation grosser Glieder nach Schusswunden. Leipzig* 1807. 8. p. 107—119.

Commotionem autem, tormenti bellici globo etc. productam, insigni nervorum stupori originem praebere constat, quo omnis doloris sensus obtunditur atque penitus supprimitur. Videtur igitur nullum, praeter hoc ipsum, temporis momentum convenientius esse operationi chirurgicae, qualis membrorum majorum amputatio est, perficiendae, quo praeterlapso motus eo vehementiores in corpore cientur, quo profundior quies praegressa est. Qui quidem motus febrim incendant necesse est satis vehementem, qua durante periculum vitae aegroti praesentissimum ab amputatione membri vulnerati imminet. Inde non mirum

---

6) *L. c.* p. 4.

7) *Mém. de l'acad. roy. de chirurg.* To. VI. p. 120 ss.

8) *L. c.* p. 169 ss.

esse potest, amputationem fere semper successu destitutam fuisse felici tunc, cum in symptomatum omnium vigore instituerctur [9]). Contra hanc, communi fere omnium chirurgorum experientia confirmatam, observationem Favrivs monet, in trecentis militibus, qui statim post vulnus, in proelio ad Fontenoi commisso acceptum, amputati fuerint, hanc ipsam operationem non nisi tricies aut quadragies vitam servasse. Recte autem cum Bovchervs, tum Platnervs responderunt, observationes Favrii fidem neutiquam mereri omnem, et experientiae divitias ipsi haud esse tantas, ut de iis, quemadmodum solet, superbire recte possit.

Praeter commoda illa, quae e citissima amputatione in vitam ac sanitatem vulneratorum redundare paulo ante a me dictum est, aliae adhuc res non in hoc, quem attuli, casu solo sed et in aliis festinare membrorum resectionem jubent chirurgos militares. Quarum quidem tres inprimis commemorat Larreyvs *l. c.* p. 360. Si enim nosocomia longius a proelii loco distant, vulneratique illuc in curribus maxime concutientibus et per vias asperas transportari debent, membra collisa atque fracta ob continuam festucarum ossearum irritationem pessime sese habebunt; sin statim post vulnerationem membrum, quod servari omnino nequit, resecatur, nihil aut certe minus nocebit ejusmodi incommoda transportatio. Neque vero illud quoque leve judicandum est, quod vulnera sclopetorum gravia, diu largiterque suppurantia, aut in gangraenam sphacelumve abeuntia aërem nosocomiorum admodum corrumpunt; id quod ad progignendam febrem et gangraenam nosocomialem, plurimis aegrotis perniciosam, non potest non quam plurimum conferre. Vulnus autem aequali sectione productum, quale est amputati membri, intra breve temporis spatium sanari

9) Le Conte *l. c.* p. 130. duo adfert exempla perniciosae amputationis, quam aut inflammatio, aut gangraena vigens praecedebat.

potest, nec fundit tantam saniei copiam, quantam vulnus sclopeti aut tormenti bellici globo effectum. Eadem celeritas, qua sanitas plerumque post artuum amputationem restitui solet, fructuosa quoque est aerario publico: sumtus enim, nutriendis et curandis aegrotis in nosodochio impendendi, eadem ratione minuuntur, qua curationis diuturnitas contrahitur. — Denique urget Larreyus *l. c.* p. 361. et hoc, quod vulnerati, quorum artus in ipso proelii loco resecti sint, post primam deligationem sibi ipsis per aliquot dies relinqui commode possint, ingente saepius vulneratorum multitudine chirurgorum assiduitatem frangente et opprimente. Chirurgorum atque medicorum militarium numerus omnino videtur haud respondere exercituum magnitudini, qualis nunc esse solet. Si enim verum est, quod a medico militari, e Russia nuper reduci, accepi, tam enormi exercitui, quo Franco - Gallorum imperator superiore anno Russiae bellum intulit, non nisi quadringentos medicos atque chirurgos additos fuisse, hic quidem numerus minime sufficit aegrotis atque vulneratis omnibus prompte et rite curandis.

Alteram legem, qua membrorum vulneratorum amputationem regundam esse censet Larreyus, hanc proponit, cum corpus laedens, pulveris pyrii vi motum, membri vulnerati ossa confregit, molles partes contudit, laceravit profundeque destruxit. Neque dissentit hac in re Benjam. Bellius *l. c.* p. 454., qui et hanc operationem institui jubet, cum solae partes molles, ossibus integris, ita sint dilaniatae atque destructae, ut circulatio sanguinis in parte vulnerata restitui nequeat. Difficile autem judicium hac de re esse récte monuit idem Bellius *l. c.* pag. 465., nec non Richterus [10]) atque Schmuckerus [11]), et historiae

10) *Chirurgische Biblioth.* B. X. p. 485.

11) *Vermischte chir. Schrift. Berl.* 1776. 8. Vol. I. p. 11. 27.

de talibus vulneribus, quae praeter opinionem sine amputatione, quam aegroti pertinacissime perhorrescebant, ita sanata sunt, ut membrorum integritas servaretur, luculentissime probant, nec artis peritissimorum virorum judicium semper sibi de operationis hujus chirurgicae et necessitate et exitu constare. E plurimis observationibus liceat unam illustrationis causa adferre. Puer duodecim fere annorum in mola, cujus alae venti ope circumaguntur, ludens manum dextram eo ipso temporis momento, quo mola in motum deducebatur, rotae injecerat circumactae, cujus dentibus non manus solum fortissime compressa, ejusque musculi dilacerati, sed et antibrachii ossa diffracta, partesque carnosae tendinosaeque ad ossa usque dilaniatae erant. Vulneris hujus labia tres pollices a se invicem distabant, nec inter manus antibrachiique partes molles alius nexus observabatur, quam per taeniam, dimidium pollicem latam, quae cum vasa sanguifera contineret integra, circulationi sanguinis aliquo modo prospiciebat. Tertium vulnus ipsam articulationem ossium antibrachii cum humeri osse laeserat: olecrano ab ulna separato, ligamentisque disruptis. Penitus igitur discissi erant musculi cubitaeus internus, radialis cum internus, tum externus, flexores digitorum communes et sublimis et profundus, denique flexor brevis digiti minimi: contra ea cubitaeus externus illaesus conspiciebatur. Chirurgus, qui omnium primus in auxilium vocabatur, cum hujus enormis vulneris curam nollet solus in se suscipere, alium eumque veteranum in medelae societatem adsumsit, qui quamquam de amputatione membri tam graviter laesi statim suscipienda plane non dubitabat, tamen operationem hanc sine medici publici auctoritate atque auxilio noluit instituere. Ad Vlric. Christoph. Salchovivm igitur res delata est. Qui ubi omnia accurate perquisiverat, in ea fuit opinione, ut contenderet, resectionem brachii minime esse necessariam. Nec vana

fuit spes, a medico facta. Nam quae Calendis Septembribus inchoabatur curatio, ad finem perducta est mense Februario ineunte anni proxime sequentis [12]).

Qui quidem casus eo dignior memoratu est, quo plures conditiones, quae ab amputationis fautoribus ad operationem hanc suscipiendam judicantur necessariae, simul adfuerunt. Ossa enim valde comminuta, partes molles contusae et dilaniatae, articulatio laesa, ligamenta illam firmantia, discissa erant. Haec autem omnia Gvil. Bromfieldvs [13]) chirurgum urgere contendit, ut membrum quantocyus resecet hocce modo vulneratum. Nihilo tamen minus servatum est membrum.

Plura exempla vulnerum talium, quae quamvis propter alteram legem allatam amputationem requirere viderentur, tamen sine illa ad sanationem perducebantur, cum in Bovcheri atque Bilgveri commentationibus laudatis consignata legantur, nolo in enumeratione illorum jam nunc longior esse. Hoc unum tamen moneo, tempus, quo opus erat, ut curatio perficeretur, in omnibus aegrotis ad sex usque menses et ultra fuisse protractum. Possunt autem tempora incidere, quibus ejusmodi diuturnae curationes plane non respondent votis summi exercituum ducis. Nisi igitur aut fluminum undis mergi maximam gravissime vulneratorum multitudinem, aut accenso pulvere pyrio nosodochia cum aegrotis uno temporis momento evertere malueris, quod ab humanitate nostrorum temporum maxime alienum est, sane commoditati prospicit cita amputatio. Quae cum ita sint, facile intelligitur,

---

12) Cons. Ejus *chirurgische Beobachtungen.* *Hamburg* 1770. 8. p. 19—96.

13) Vid. Ejus *chirurgische Wahrnehmungen.* *Leipzig* 1774. 8. pag. 27.

legem secundam, quam Larreyus de properanda artuum resectione stabilivit, valere non nisi in nosodochiis militaribus, maxima vulneratorum multitudine repletis, minime autem universalem, nec ad praxin privatam aut ad nosodochia militaria, aegrotis parum impleta atque chirurgis idoneis instructa, transferendam esse.

XXVII.

LARREYI SENTENTIA DE AMPVTATIONIS FESTINATIONE STATIM POST VVLNVS INFLICTVM EXPENDITVR.

Prolusione hac solemnitas academica, d. xxxi. mens. Mart. A. cIↃIↃcccxIv celebranda, nuntiabatur, qua Car. Chr. Ferd. Heinsivs, Budissas, medicinae ac chirurgiae Licentiatus creandus erat.

Superiore anno retractare coepi argumentum, saepius jam agitatum, de amputationis artuum necessitate, arctioribus limitibus circumscribenda [1]). Ad eligendum hoc argumentum invitabar et quasi cogebar, cum recens a lectione libri a Larreyo, quem nuper una cum Desgenettesio, quicum jam a multis inde annis literarum commercium habui, Lipsiae vidimus, deprehenderem illum virum, qui maxima inter suos pollet auctoritate, in ea versari sententia, ut amputationem artuum magis festinandam esse statuat, quam post Jo. Vlrici Bilgveri tempora inter nostrates commodum visum est. A qua viri exercitatissimi ac illustris auctoritate tunc eo magis metuebam, quo propius ob maximorum exercituum, in proelia ruentium, ad nostram urbem adventum imminere opportunitates videbantur, praeceptis Larreyi abutendi.

1) Progr. Car. Frid. Haasii disputationi inaugurali praemissum: *Num artuum amputatio statim post ossium collisionem instituenda?*

Bone Deus! quam larga fuit messis sauciatorum globis tormentorum bellicorum, cum diebus II. Maii, et XVI. XIIX. et XIX. Octobris anni praeteriti in nostrae urbis vicinia gravissime dimicaretur! Quot exempla tunc observabantur hominum, qui si incidissent in manus chirurgorum, Larreyi praecepta sequentium, amputatione praecipitata artus amisissent suos, quos chirurgorum nostratium peritia servavit! Sed presso nunc pede sequar Larreyvm, atque expositis jam superiore anno duobus casibus, qui subitaneam amputationem requirere Larreyo videntur, nunc eodem modo de sex reliquis referam.

Si igitur membrum, tormenti bellici globo aut bombardae, pulveris pyrii vi ac impetu diffractae, frustulo ita vulneratum est, ut os quidem illaesum, mollium autem partium magna moles abscissa, et vasa majora disrupta conspiciantur, tunc jubet Larreyvs statim post vulnus tale inflictum amputationem institui. Qua quidem sententia duo continentur casus, probe a se invicem discernendi, quorum alter membrum, cujus os integrum deprehenditur, magna partium mollium portione orbatum offert, illaesis et, quae sanguinem advehit nutrientem, arteria principe et nervo, alter idem membrum, quod magnam carnis jacturam fecit, discissa quoque arteria et nervo principe, illaeso tamen osse, exhibet. Inter utrumque autem casum magna mihi differentia intercedere videtur. Etenim chirurgum, qui membrum, cujus os arteriaeque truncus haud vulnerata sunt, carnibus tantum per tormenti bellici globum magnam partem laceratis penitusque absumtis, statim post vulnus inflictum resecuerit, festinatione hac graviter peccasse puto. Nam arteriae atque nervi trunco integro, musculorum, tendinum, aliarumque partium mollium jactura vel maxima sensim sensimque resarciri motusque adeo membri vulnerati servari poterit, modo viribus adeo valeat aegrotus, ut copiosae atque diuturnae

suppurationis molestias sine incommodo, vitae periculum minitante, perferre queat. Quid? quod arteria quoque membri primaria potest ipsa vulnere sclopetario discissa esse, nec semper necesse est, ut membrum rescindatur. Nam notum est, ramos ex arteriae trunco egressos, hocce occluso ita interdum posse dilatari, ut membrum, advecta sufficiente nutriendi materia, et recte nutriatur, et naturali calore foveatur. Id inprimis observatum est in arteria brachiali, quae si, aneurysmate diducta, aut ligatura aut compressione ita occluditur, ut nihil sanguinis ad brachii loca, infra ligaturam aut compressionem sita, deducere possit, tamen brachii amputandi necessitatem minime imponit. Videndum enim est, an rami, collaterales dicti, qui ex arteria brachiali profunda oriuntur, ab irruentis sanguinis majore quantitate sic dilatentur, ut vita membri, vel deleta arteria principe, superstes perduret. Eandem agendi normam sequuntur chirurgi in aneurysmatis arteriae cruralis curatione. Etenim etiamsi liganda sit arteria cruralis supra locum, e quo arteria profunda originem ducit suam, tamen ad resecandum femur haud prius confugiet chirurgus, quam viderit, arteriae iliacae internae ramos minime idoneam sanguinis copiam ad nutriendum femur suppeditare posse. Quam quidem sententiam post L. Gvattanivm [2]) etiam Jo. Avg. Ehrlichivs [3]) ut alios [4]) taceam, haud dubie experientia sua satis ampla fretus fovet. Quod autem de aneurysmatis medela, quamvis arteria membri primaria deleta fuerit, tamen non semper artus amputationem efflagitante, adserui, id etiam ad artuum vulnera, quae illorum arteriam principem dilacerarunt, poterit jure meritoque accommodari. Quae cum ita

---

2) Vid. Ej. *Anweis., wie äusserliche Pulsadergeschw. v. d. Wundärzt. zu curiren sind. Altenb.* 1777. 8. p. 97, 98.

3) Ej. *Chirurgische Beobachtungen.* B. I. p. 92.

4) V. c. Henr. Callisenivm, *Syst. der neuen Wundarzneyk.* Th. I. §. 946.

sint, videtur illud LARREYI praeceptum de festinanda statim post vulnus acceptum artuum resectione, si integro osse cum magna partium mollium corruptione simul arteriae truncus dilaceratus fuerit, paululum circumscribendum esse. Nisi enim vulnus tam amplum atque foedum fuerit, ut rami illi, qui trunci sauciati ministerium supplere possint, simul quoque discissi sanguinem ad partes, infra vulneris locum sitas, deducere nequeant, aut omnino abstinendum ab amputatione, aut certe tentanda erit artus conservatio, quae tamen locum habere nequit, cum praeter arteriae truncum etiam nervus membri primarius pessumdatus est.

De quarto casu, quem LARREYVS putat ita comparatum esse, ut amputationem statim post vulnus acceptum requirat, non habeo, quae moneam. Si enim artus, a globulo ferreo minore percussi, ossa diffracta, musculi nervique majores dilacerati fuerint, arteriae trunco illaeso, neutiquam potest membrum servari, sed properandum erit ad removendas partes, quae, vita orbatae sua, brevi a sphacelo corripientur, aegrotumque, nisi praesentissimo vitae periculo per institutam celerrime amputationem obviam iverimus, morti certissimae tradent. Rarissima quidem sunt exempla hominum, qui, cum membrum, globo ferreo majore aut minore tam foede dilaceratum, resecari noluerint, etiamsi sphaceli imminentis sensimque latius serpentis signa conspexerint manifestissima, morti eripiantur, idque magis naturae, quam artis auxilio. Ejusmodi historiam memini me legere, a Jo. ARNEMANNO [5]) literis consignatam, de milite annorum triginta novem, cujus antibrachium globus ferreus, e tormento bellico projectus, ita vulneraverat, ut ossa radii atque ulnae diffracta, partesque molles vehementer dilaniatae reperirentur. Ad medicum militarem HEFFELLIVM de-

5) Vid. Ej. *Magaz. f. d. Wundarzneyk.* B. XI. p. 228 ss.

latus noluit amputationem, e qua sola vitae conservandae spem pendere audiebat, subire. Deligato igitur leviter vulnere, aegrotus sibi relinquebatur. Sexto die sphacelus, qui jam antea partes vulneratas corripuerat, suos sibi ipse fines in humero adsignavit linea admodum rubra, quae sensim subsidens carnem consumsit tandemque ipsum humeri os in conspectum produxit, quod die undecimo serra resecabatur. Sanitati redditus, mense elapso, nosocomium reliquit.

Quintum casum, ubi, quo celerius post vulnerationem membrum praeciditur, eo majorem salutis spem aegroto adfulgere Larreyus censet, hunc ponit, cum globus, e tormento bellico pulveris pyrii ope emissus, in viae suae fine adeoque viribus fere exhaustus, sub obliqua directione ad membrum alliditur. Tunc enim, illaesa cute, ossa comminuta, musculi, tendines, vasa et reliquae molles, quae cute, ad quam globus impingebat, teguntur, partes perditae reperiuntur. Si igitur exploratione instituta membrum tumidulum et quasi pultis instar molle deprehenditur, et quaquaversum flecti potest, differri amputatio nequit. Fieri autem interdum potest, ut sub integra cute mollioribus tantum partibus contusis et dilaceratis os a fractura liberum reperiatur. Quod ubi deprehensum est, ibi ab amputatione accelerata abstinendum, atque latius incidendae sunt partes degeneratae, ut non solum effuso sanguini atque ad depravationem prono exitus paretur, sed etiam laesionis gravitas atque ambitus detegatur. Hoc si fecit chirurgus, rite vulnus, deligandum est exspectandaque laesionis talis effecta. Inflammationem enim si suppuratio excipit moderatior, ut sine vitae discrimine ferre eam possit aegrotus; si torpor membri vulnerati, convulsiones aliaque symptomata, nervorum adfectorum indicia, absunt; si haemorrhagiae recrudescentis nullus metus, et quae sunt reliqua, tunc differre et potest et debet chirurgus membri rescindendi operationem.

Mirati sunt, nec temere, chirurgi praeteriti seculi, qui fiat, ut musculi ossaque ipsa penitus dissoluta reperiantur, neque tamen in cute vel minimum conspiciatur signum, unde ad vim insignem, extrinsecus admotam, certo concludi queat. A globulo ipso, ad tale membrum alliso, rei illius causam derivare haud ausi sunt, quippe cum tunc maxime necessarium ducerent, ut in collisae partis cute nisi vulnus inflictum, certe color ob ortam sanguinis e ruptis vasis profusionem immutatus inveniretur.

Aërem igitur de effectis illis accusabant, quem globorum ferreorum majorum, e balistis projectorum, velocissimo motu compressum, elastica vi sua in partes, quas e propinquo stringeret, eodem impetu agere statuebant, ac si globus seu quodlibet corpus durum in easdem a fronte impegisset. Vocarunt istas vulnerationes nostrates *Luftstreifschüsse.*

XXVIII.

DE MEDICORVM MERITIS IN JVRISPRVDENTIAE STVDIVM.

Editum est hoc programma, cum memoria Illustr. Comitis, Joannae Henr. Lvdovicae de Bestvcheff - Rvmin, e gente Carlovitia, d. xxx. Jun. A. cIↃIↃcccxiv pie recolenda esset.

Antiquiorum temporum medici in eo inprimis sibi placebant, ut ejus, quam profitebantur, artis dignitatem probaturi ostendere studerent, quantum illius momentum sit ad alias doctrinas aut illustrandas aut ab erroribus liberandas. Et Jo. Mich. Alberti quidem, Bergmannvs, Dethardingivs, Seelenivsque, ut antiquiores taceam, et medicinae cum theologia commercium, et quanta illius vis sit ad varia hujus capita explicanda demonstrarunt. Martin. Gotth. Loeschervs autem, Casparis theologi filius, de meritis medicorum in Augustanam confessionem exposuit. Neque defuere, qui utilitatem medicinae in jurisprudentia atque mutuum utriusque scientiae nexum ostendere conarentur. Inter quos Wendelinvs Bitschivs [1]), Lavr. Heistervs [2]), Delivs [3]) ac C. Fr. Trillervs [4]) nominari merentur.

1) *De Hippocrate Justinianeo s. de mutuo medicinam inter et jurisprudentiam nexu. Argent.* 1727. 4,

2) *De medicinae utilitate in jurisprudentia. Helmst.* 1730. 4.

3) *Entwurf ein. Erläuter. der teutschen Gesetze, besonders der Reichsabschiede aus der Arzneygelahrtheit und Naturlehre. Erlangen* und *Leipz.* 1753. 4.

4) *Exercit. de vinculo, quo medicina cum jurisprudentia cohaeret. Viteb.* 1778.

Quamquam vero ab eorum opinione longissime absum, qui in medicinae scientiam, quae per se spectata amplissimam laudum suarum continet materiam, inde etiam, quod aliis doctrinis lucem aliquam adfundat, commendationis multum invenisse sibi videntur, tamen non omnino supervacaneum esse puto, subinde quoque contemptoribus saluberrimae artis probare, ejusdem utilitatem non intra angustos morborum cognoscendorum et curandorum fines contineri, sed latius patere et ad alias doctrinas diffundi, quae e medicina rerum obscurarum illustrationem, dubiarum confirmationem, falsarum emendationem hauriunt. Quae cum ita sint, me facile veniam impetraturum esse confido, si, cum mihi nec opinanti scribendi necessitas imposita sit, de medicis denuo quaedam exposuero, qui de jurisprudentiae studio bene mereri studuerunt.

Utramque autem scientiam, cum quae in conservanda aut recuperanda quiete et publica et privata, tum quae in tuenda, aut si adflicta fuerit, resarcienda corporis animique sanitate cernitur, maxime sororio vinculo inter se junctam esse, ita, ut altera alteri lucem accendat, perspexerunt jam diu viri longe celeberrimi. Inter quos Petrvm Baldvm, Perusinum, Bartoli Severi de Alphanis discipulum, seculi decimi quarti insigne decus, liceat honoris causa commemorare. Illi enim, qui Perusini, Paduae atque Ticini jurisprudentiam tanto cum plausu docuit, ut juris lucerna cognominaretur, ita de medicinae dignitate atque de medicorum judiciorum in plurimis juris quaestionibus gravitate erat persuasum, ut jurium consultos moneret, ne negligerent medicos in consilium vocare de rebus, de quibus hi soli perite possent judicare. Quam quidem viri, maxima tunc temporis auctoritate pollentis, adhortationem haud vanam fuisse, docent juris peritorum opera, illo ipso, quod Baldvs illustravit, seculo et sequentibus evulgata. Sed seculo demum decimo sexto, lege illa nobili, quae constitu-

tio criminalis Carolina vocatur, sancita et confirmata est medicorum in causis forensibus iisque capitalibus auctoritas.

Verum enim vero his, quae modo protuli, aditum munire conatus sum ad illud argumentum, de quo nunc quaedam proferre apud animum constitui meum. E medicis autem, qui de jurisprudentiae studio optime meriti sunt, primus prodeat Herm. Conringivs, qui ineunte seculo decimo septimo in Frisia orientali, quae et Jo. Christ. Reilivm, cujus praematuram mortem omnes, qui arti salutari bene cupiunt, acerbissime lugent, progenuit, in arce Conringensi, unde familiae nomen haesit, natus, tantam sibi comparaverat eruditionem, ut reges de honoribus in illum conferendis quodammodo certarent. Edidit vero multa, quae jurisprudentiam tangunt, quaeque maximis laudum encomiis ab omnibus, qui solidiori eruditioni pretium recte statuunt, excepta fuerunt. Huc inprimis pertinent ipsius commentatio de origine juris germanici, consilium de casu conjugii cum sororis filia, observationes et praejudicia in dicasterio Frisiae orientalis pronuntiata, dissertationes tres de judiciis in republica recte ordinandis, de majestatis civilis auctoritate et officio circa sacra, denique dissertatio ad librum I. codicis Theodosiani de studiis liberalibus urbis Romae et Constantinopolis. Praeter haec, quae ipse scripsit ad varia juris capita illustranda, edidit quoque aliorum juris consultorum opera, v. c. Joach. Hopperi Seduardum, s. de vera jurisprudentia libros XII; ejusdem Hopperi tractatum de bonorum caesareorum secundum leges Justinianeas curatione, aliaque. Quibus quidem omnibus suum de jurisprudentia bene merendi studium Conringius satis declarasse mihi videtur.

Neque vero silentio praeterire possum Pavlvm Zacchiam, ejusdem fere aetatis cum Conringio medicum, Innocentii X. a sanitatis cura. Is enim ob am-

plam eruditionem celebratissimus, quippe qui in philosophia, theologia, jurisprudentia, artibusque elegantioribus non minus, quam in medicina excelluit, editis quaestionibus medico - legalibus jurium consultos maximopere sibi devinxit. Nam illo opere quaestiones de partu legitimo atque vitali, de dementia, de venenis, de impotentia, de morborum simulatione aliisque argumentis, in foro frequentissime disceptatis, non medicorum more, sed ita solvere studuit, ut juris periti haberent, quae et intelligerent, et, ubi illis de ejusmodi quaestionibus respondendum ac judicandum esset, in usum vocare facile possent. Quamobrem ubique fere legum sanctiones cum civilium, tum canonicarum in medium profert, et suam sententiam juris consultorum testimoniis atque auctoritate munit. Inde factum esse puto, ut huic operi maxima auctoritas in foro diu constaret, causarumque patroni in omnibus rebus, quas Zacchias pertractasset, ad eum tanquam ad gravissimum maximeque locupletem testem provocarent. Sed minime solis jurium consultis gratum acceptumque fuit illud Zacchiae opus, sed idem illud a medicis quoque maximis laudibus ornatum celebratumque cum ob sentiendi libertatem, qua ille sese minime aliorum virorum vel eruditissimorum auctoritati mancipabat, tum ob ardentem veritatis amorem.

Zacchiam dum commemoravi, ad illam medici studii partem deductus sum, quae juris peritis, cum illis, qui jus dicunt, tum illis, qui causas forenses agunt, scitu maxime necessaria atque recentioribus temporibus indefessa medicorum opera ita exculta est, ut juris consultorum responsa de multis quaestionibus dubiis nunc longe sint certiora, quam olim esse poterant. Quibus enim aliis, ut hoc utar, quam medicis, adscribenda est sagarum e foro, cui olim multum negotii facessebant, proscriptio? Quibusnam, praeter medicos, quaestionis seu torturae abrogationem debemus? Antea enim, quam Chr. Thomasivs, Becca-

ria atque Sonnenfelsius effecerant, ut ista barbara et maxime crudelis veritatis investigatio e foro legibus proscriberetur, jam Mich. Ernest. Ettmüllerus, qui nostram literarum communitatem ornavit, Jo. Mich. Alberti aliique, omnes intenderunt nervos, ut moris illius barbaries e christianorum hominum foris exularet. Quibusnam, praeterquam medicis, certiora venenorum sumtorum datorumve signa, aptior laesionum partitio et dijudicatio, accuratior de vigente foetus ante partum vita inquisitio, subtilius de statu mentis dubio judicium, de morbis simulatis ac dissimulatis, de partu serotino aliisque medicinae forensis capitibus debentur? Longa foret enumeratio omnium omnino medicorum, qui in hoc eruditionis genere excelluere, suisque disquisitionibus iis, qui de jure respondent, facem praetulerunt, haud fumum, sed clarissimam lucem spargentem. Nomina Büttneri, Pylii, Hebenstreitii patris, Metzgeri, Ploucqueti, Reilii, Platneri, Gruneri, Hahnemanni, Kauschii adeo nota sunt causarum patronis, ut nullum facile legeris libellum, defendendo capitis reo destinatum, in quo ad illorum virorum auctoritatem haud provocetur, et illorum placitis tanquam irrevocabilibus decidendi regulis standum esse censeatur. Quae cum ita sint, mirandum profecto erat, extitisse juris antecessorem Helmstadiensem, Polycarp. Leyserum, hujus nominis atque praenominis quartum, qui in vulnerum lethalium dijudicatione, quae non nisi a medicis chirurgisque, vulneratarum partium naturam et situm probe noscentibus, recte institui potest, medicorum auxilio judicem carere posse, magis paradoxiae studio, quam veritatis amore ductus ac inflammatus contenderet [5]). Argumenta autem, quibus suam opinionem firmare studuit, diligentius excusserunt, eorumque levitatem demonstrarunt, ut alios eos-

---

5) Dissertatio *de frustranea cadaveris inspectione. Helmst.* 1747. 4.

que medicos taceam, duo juris antecessores celeberrimi Sam. Frid. Böhmervs [6]), Halensis, et Chr. Theoph. Segervs, nostrae literarum universitatis quondam insigne decus [7]).

Sed minime solo hoc medicinam forensem excolendi studio de jurisprudentia egregie promeruerunt medici, sed etiam diligenter ipsum corpus juris pervolverunt, et cum multa in eo deprehenderent, quae non nisi medici docti illustratione exposita recte et facile intelligi possent, hoc egerunt, ut ea explicarent, atque sic codicis, digestorum ac novellarum intelligendorum facilitatem augerent. Huc pertinent ea, quae lege Aquilia et edicto aedilicio continentur de inspiciendo ventre, de vulneribus, de morte inferenda, de sicariis, de parricidio, de venenis, de statu impuberis et furiosi, et quae sunt reliqua. Jo. Mich. Albertvm, Trillervm atque Grvnervm in hoc eruditionis genere multum laborasse constat. Et primus quidem edidit commentationem medicam in aedilicium edictum, quod in codicis libro XXI. tituloque 1. continetur [8]), Trillervs autem tribus programmatibus legem XVI digestorum de publicanis et vectigalibus, difficillimam illam intellectu et obscurissimam ob incognitas hucusque merces, quarum vectigal a vectoribus et mercatoribus exigebatur, explicare atque lectionum corruptarum integritatem restituere conatus est [9]). Grvnervs denique, vir eruditione amplissima maxime conspicuus, animi laxandi causa pandectas medicos edidit, quibus ea pandectarum capita illustravit, quae medicorum expositione egere viderentur [10]).

---

6) Diss. *de legitima cadaveris sectione. Halae* 1747. 4.

7) Diss. *de sectione cadaveris occisi. Lips.* 1769. 4.

8) *Hal.* 1738. 4.

9) *Viteb.* 1778. 4. Quae quidem programmata non contineri Trilleri operibus, a Krausio editis, dolendum est.

10) *Pandectae medicae s. succincta explicatio rer. medic. in institutionibus, digest. novell. obviar. Jen.* 1808. 8.

XXIX.

LAESIONES AËRIAE EXPENDVNTVR.

Programmate hoc promotio Chr. Gvil. Störmeri, Dresdensis, in medicinae utriusque Licentiatum d. ii. mens. Septembr. A. cıɔıɔcccxiv. indicabatur.

Promisi nuper de mutationibus exponere, quas globi tormentorum bellicorum majorum in variis corporis humani partibus, cum mollibus tum duris, quas haud vere attigerunt, efficere putantur atque inprimis videre, quid chirurgi superioris seculi pro illa sententia, qua aërem, motu globi celerrimo compressum, gravissimorum vulnerum causam, illaesa cute externa, fieri posse adserebant, defendenda adferre queant. Cum nunc hac ipsa prolusione, ex institutis majorum evulganda, fide nuper data me liberare possim, utar hac opportunitate, primum effectorum ab aëre, per tormenti globum compresso, mentionem facturus, dein explicationem phaenomenorum, in ejusmodi vulneratis obviorum, quam qui laesiones aërias defendunt, (ita enim brevitatis causa liceat appellare vulnera, quae cute integra ab aëre, inter tormenti pilam et partem corporis laesam interjacente, infliguntur) dederunt, propositurus, denique argumenta, quibus non nulli nuper, praeeuntibus chirurgis Francogallicis, laesionum aëriarum vanitatem demonstrare annisi sunt, allaturus [1]).

1) Hoc ipsum argumentum ac rate, institutis experimentis pluribus, Pt. Dvfovartvs (*Theor. d. Schusswunden u. ihre Be-*

Aërem autem, a tormenti pila vehementissime motum atque compressum, si ad corporis animalis partem allidatur, saepe effectus maxime mirandos habere adserit inprimis Jo. Ulr. Bilgyervs, quem livido dente roserunt Francogalli propterea, quod malae ipsorum consuetudini, artuum amputationem ubique festinandi, bellum indixerat, eamque arctioribus circumscribere limitibus studuerat [2]). Scilicet subito concidere hominem, animo linqui [3]), omnibus sensibus per aliquot interdum dies privari, mutum surdumque esse, multumque sanguinis per os, nasum, aures, urinae organa atque anum ejicere, denique aut subitanea corripi morte, aut nonnullis diebus elapsis in sanitatem restitui. Persaepe plane nullam adesse sugillationem, nedum vulnus: interdum cute illaesa praeter maximam humorum effusionem, unde lividus cutis color proficiscitur, quem Gilb. Blanevs [4]) in talibus vulneratis deprehendit, ossa aut luxata aut comminuta observari.

Quae quidem symptomata communia immutantur, si tormenti pila major aut in capitis, aut in pectoris abdominisve, aut in dorsi vicinia praeterierit. Etenim aër compressus, ad caput vehementissime allisus, vim

---

handl. Uebers. u. m. Anmerkk. begleit. v. Joh. Diet. Siegf. Kortvm. *Jen.* 1806. 8. pag. 15.) ventilavit, et laesionum aëriarum vanitatem comprobavit. Praeter hunc cons. Rvst's *Magaz.* VII. 3. p. 344 ss. et Graefe's *Journ.* IV. 1. p. 120. et 2. p. 641 ss. quarum commentationum altera laesiones illas defendit, altera negat.

2) Vid. Ej. *Anweis. zur ausübenden Wundarzneyk. in Lazarethen, Leipz.* 1763. 8. §. 492.

3) H. Fr. Delivs (*observ. med. chir. pentas. Erlang.* 1756. 4.) sibi a pluribus militum praefectis fide dignissimis narratum esse testatur, ipsos in proeliis vidisse milites eorumque duces subito ab equis in terram decidentes, quos globo trajectos et occisos esse jurassent, cum sanguine interdum e naribus, pulmonibus atque auribus profluente, nullo omnino vulnere vexati, ad se redirent.

4) Ej. *Beob. über die Krankheiten der Seeleute. Marb.* 1788. 8. pag. 374 ff.

suam magis in cerebro, quam in cranii theca, cujus ab aëris laesione fractae nullum facile reperiatur exemplum, ostendere videtur. Quam ob rem a suppressa cerebri energia exanimes concidunt homines. Ravatoni [5]) id probat observatio in centurione, qui, cum haud procul ab ipsius capite tormenti majoris globus aërem trajecisset, mortuo similis prosternebatur, et haud multum aberat, ut statim sepeliretur. Cum autem currui, quo tormenta bellica promoveri solent, impositus ad castra reduceretur, hac succussione ad se quidem rediit, sed per plures deinceps annos de variis molestiis, quarum originem non poterat non ab hac laesione aëria derivare, conquestus est. Similem eventum vidit Jos. Jac. Plenkivs [6]) in milite, qui tormentorum ministerio in obsidione Vitebergensi intentus erat. Nam cum prope caput illius, qui haud procul a Plenkio stabat, globus tormenti amplior praetervolaret, exanimis concidit, et quamquam post aliquod temporis momentum ad se redierat, tamen vertiginosus, debilis atque stupidus mansit. Blanevs denique tractavit centurionem, qui in proelio ad Grenadam commisso, cum temporum regionem globus ferreus e propinquo legisset, per aliquod tempus quasi attonitus omnisque sensus expers fuit, sed elapsis aliquot horis integrae sanitati restitutus [7]). Quae quidem exempla satis, opinor, globorum tormenti majoris, in vicinia cranii celerrime per aërem trajectorum, evidentem in cerebrum vim probant. Sed in aliis capitis regionibus, quarum in propinquitate tormentorum pilae praetervolaverant, alia efficiuntur. Militis Illyrici, ad cujus faciem tormenti globus aërem

5) Vid. Ej. *Abhandlung von Schuss-, Hieb- und Stichwunden* etc. *Strasb.* 1767. 8. p. 6.

6) Cons. Ej. *Samml. v. Beobacht. üb. ein. Gegenstände d. Wundarzneywiss. Wien* 1775. 8. p. 92.

7) *Libr. cit.* p. 375.

transierat, unde velut fulmine tactus prosternebatur, totam faciem ab effuso sanguine nigrescere; ex oris nasique cavitatibus cruorem profluere, atque oris superficiem e nigro subcoeruleam fieri vidit Plenkivs *l. c.* p. 95. Nuper quoque legi historiam de tali laesione capitis aëria, quae si vera fuerit, omnino, quae diligenter animo perpendatur, digna esse videtur. Militi scilicet Gallo, cujus neque nomen, neque legio, cui adscriptus erat, a Thierio, professore Bruxellensi, hujus historiae auctore, commemoratur, in proelio, nescio quo, a globo tormenti bellici majore, qui capiti proximus summa cum velocitate praetervolaverat, humi prostrato, loquendi facultas ademta fuit, lingua in tam exiguam molem contracta, ut difficulter conspici posset. Quamquam autem medici expertissimi omnem remediorum apparatum sollicite adhibuerant, tamen per octo menses mutus manebat, ita, ut de ejus curatione desperaretur. Tandem vis electrica in auxilium vocata sub balnei forma, die quarto exhalationem adeo movit, ut pluviae instar e cutis poris prorumperet sudor. Lingua quoque, mole sensim sensimque aucta, mobilitatem recepit suam. Cum autem, magnitudine naturali linguae reddita, loquendi facultas nihilo minus redire nollet, dolores potius aliaque mala in collo atque pectore remanerent, experiebatur medicus, an forte alia electricam vim adhibendi methodus feliciorem productura esset eventum. Penicilli igitur sub forma fluidum electricum aut corpori aegroto inferebatur, aut inde extrahebatur, et die curationis octavo scintilla concutiens per regionem humeris intermediam trajiciebatur; quo facto statim loquendi facultas rediit. Aegroto idem erat sensus, ac si pectus suum a laqueo fortiter constringente fuisset liberatum [8]).

---

8) Vid. Gilberti, collegae conjunctissimi, *Annalen der Physik*, Vol. XLVII. 1. s. 1814. et 5. p. 108 — 112.

Alia oriuntur incommoda, si tormenti bellici pila major aërem compressum contra pectoris aut abdominis cavitatem pressit. Putabat enim Bilgverus *l. c.* §. 492., viscera ibi reposita ab hac aëris pressione maximopere laedi posse, ita, ut sanguis e vasis ipsorum protrudatur, aut viscera penitus disrumpantur. Cujus quidem sententiae veritatem probat Hvg. Ravatoni [9]) inter alia historia de duobus militibus, qui in obsidione Landaviensi jusculo vescebantur suo, cum globus viginti quatuor librarum inter ipsos trajiceretur, hoc eventu, ut alter exanimis concideret, et dissectus pulmones nigros, vasaque ipsorum sanguine maximopere distentos ostenderet, alteri maxilla inferior confringeretur. Cujus effecti in utroque milite diversam rationem nolim ita explicare, uti Ravatonus fecit, qui mortem subitaneam inde derivavit, quod eodem temporis momento alter spiritu aërem duxerit, alter reddiderit. Mihi potius prioris mors repentina, pulmonesque sanguine nimium referti ab aëris nimia expansione derivari debere videntur, qua sanguini, e cordis anteriore ventriculo in spongiosum viscus irruenti, omnis adimebatur renixus, ita, ut e summa atque subitanea pulmonum expansione visceris hujus resolutio atque adeo suffocatio oriri necessario deberet. Aliud exemplum laesionis, quam globus tormenti major per solam aëris compressionem in pectore equitis loricati fecerat, cum Plenkio communicavit Paschivs, exercitus Austriaci chirurgus [10]). Invenit scilicet costas plures fractas magnamque sanguinis copiam in pectoris cavum effusam, quamquam neque in lorica vel levissimum impressionis a globo factae vestigium deprehendebatur, neque subjacens cutis vel minimum laesa erat.

---

9) *L. c.* p. 6. 7.

10) *L. c.* p. 94.

Longe autem alia fuit vis atque efficientia laesionis aëriae in militum duce Borussico, juvene illo atque pulchritudinis suae sibi maxime conscio, qui in obsidione Varsaviensi a tormenti pila, quam pectori vicinam praetervolasse ajebat, cum ingenti clamore prostratus extra aciem chirurgi curae committebatur, qui venam ipsi largiter secabat. Inde animi deliquium aut vere patiebatur, aut simulabat. Id quidem verosimilius videbatur, quod Mursinna, cum ad se delatum aegrotum accuratius examinasset, neque pulsus, neque respirationis rationem a naturali diversam reperiebat. Cum e curru, quo clausis oculis in nosocomium illatus erat, maxima cum cautione tolleretur, vehementissimos ciebat clamores, qui, spe restituendae sanitatis, nisi obmutesceret, ei praecisa, subito silebant. Ab omni cibo abstinere jubebatur aegrotus, quod remedium, uti in hoc, ita in omnibus aliis, qui similem casum simulabant, felicissimo cum successu adhibitum fuit. Etenim jam altero mane se ipsum sanissimum praedicans aegrotus ad legionem rediit suam [11]). In quo quidem aegroto equidem cum Chr. Lud. Mursinna luculentissimum invenio aëriae laesionis simulatae exemplum. Nam tormenti pila, si pectori vicina aërem dissecuisset, pulmonibus necessario vim adhibuisset, eosque magna sanguinis copia implevisset, unde respirationem turbari atque clamorum tollendorum maximam difficultatem oriri oportebat. Sed neutrum eveniebat.

Si aëris, a tormenti globo majore compressi, vis versus abdomen directa fuit, laesiones longe graviores oriri necesse est, quam si idem globus in pectoris aut dorsi vicinia aërem celerrime dissecat. Nam in hoc casu impetus aëris ab ossea thoracis compage multum frangitur, visceraque, illi quasi thecae osseae inclusa,

---

11) Vid. Ej. *Neue med. chirurg. Beobachtungen. Berlin* 1796. 8. p. 222.

lenius adficiuntur, quam id in abdominis cavitate fit, cujus parietes ex adverso et ab utroque latere molles impetui facillime cedunt. Jam vero cum a tormentorum majorum globis, prope pectus aërem trajicientibus, hujus cavitatis viscera ossibus undique munita pessime affici paulo ante vidimus; quanto magis timendum erit, ne viscera, quae non nisi partibus mollibus inclusa continentur, ab iisdem laesionibus aëriis gravissima mala patiantur. Rumpi inde eadem, lethales sanguinis profusiones produci, subitaneamque mortem oriri constat. Cujus quidem rei exemplum satis luculentum Blaneus *l. c.* attulit militem, qui, cum globus haud procul a ventriculo aërem dissecuisset, subito exanimis concidit. In alio milite similis casus feliciorem exitum habuit. Nam licet inde magnus atque lividus tumor subito in abdomine surgeret, tamen vita servata est.

Jam et exemplis, e scriptoribus probatae fidei desumtis, ostendendum est, globos tormentorum majores, si in dorsi vicinia aërem dissecuerint, variorum eorumque gravium incommodorum causam evadere posse, et vere evadere. Ac primum quidem laudabo Henr. Fr. Delium [12]), qui militem in obsidione Mühlbergensi ab exploso globo tormenti bellici majore tanta pectoris oppressione affectum vidit, ut suffocari videretur, nec pedibus insistere amplius posset. Pulsus intermittens; artuum frigus; sugillatio in dorso a secunda usque ad octavam vertebram simul observabantur. Blaneus quoque vaccam, cujus dorsum globus tormenti majoris, qualia in navibus solent in usu esse, ita superiecerat, ut hoc plane non tangeretur, subito mortuam conspexit [13]).

Denique et effecta laesionum aëriarum in sensuum organis verbo tangenda esse videntur. Quorum qui-

---

12) *L. c.*

13) *Libr. allati* p. 376.

dem mentionem etsi injecerunt SCHENKIVS [14]), PARAEVS [15]) atque Jo. RHODIVS [16]), tamen eorum explicatio in commemoratis exemplis mihi aliunde repetenda esse videtur. Si enim in illo, e SCHENKIO a Jo. RHODIO petito, exemplo visus militi adimebatur a bombardae explosione, in hoc eventu profecto non vis atque efficacia aëriae laesionis conspici potest, sed resolutio nervi optici in hoc casu ex eodem profluit fonte, e quo solet manare in iis, qui subito in solis discum maxime splendentem apertis oculis inspiciunt, aut qui multum laborant cum tubo ferruminatorio. A bombardae explosae fragore saepius surditas orta fuit, cujus rei exempla CAMERARIVS [17]) et Jo. FABRICIVS Hildanus [18]) memoriae prodiderunt. Id autem non a globo, celerrime in auris vicinia aërem dissecante, sed ab aëre, pulveris pyrii incensione vehementissime commoto, et ab hac ipsa fortissima commotione aut nervum auditorium resolvente, aut tympani cavitati obtentam membranam rumpente. Nam idem auditus vitium, RICHTERO recte animadvertente [19]), solet produci, si tormentum, nullo globo oneratum, exploditur. Accolae cataractarum Nili et Niagarae ex eadem causa solent obsurdescere.

---

14) *Observ.* libr. I. obs. 12. p. m. 156.
15) *Chirurg.* libr. X. p. m. 349.
16) *Observat. med.* cent. III. obs. 93. p. 203.
17) *Memorabil.* cent. XII. n. 57.
18) *Observ.* cent. III. obs. 6.
19) *Anfangsgr. d. Wundarzn.* Th. I. §. 316. Idem etiam contendit LE VACHER in Mém. de l'acad. de chir. T. XI. pag. 42. Edit. in 12.

XXX.

NONNVLLARVM, QVIBVS POLYPI NARIVM EXSTIRPARI SOLENT, METHODORVM DIJVDICATIO.

PART. I.

Programmate hoc, d. XXVIII. mens. Julii A. CIↃIↃCCCXV edito solemnia academica indicebantur, quibus in Jac. Henr. Robbivm, Dresdensem, jura ac privilegia Licentiati medicinae ac chirurgiae conferebantur.

Si antiquiorum temporum memoriam animo repetimus nostro, eamque ad chirurgiae conditionem, qualis nunc est, rite aestimandam transferimus, non possumus non nostri aevi felicitatem praedicare, qua hanc artem, humano generi saluberrimam, conjunctis omnium, quae literarum cultu eminent, nationum studiis, ad magnum perfectionis gradum perductam laeti conspicimus. Mala enim, quae manu ac ferramentis curantur, et olim propter auxiliorum inopiam intacta relinquebantur, nunc felicissime tractantur; instrumenta chirurgica, aut recens excogitata, aut perite emendata, operationum successum juvant; methodos morbis chirurgicis medendi, quae jam ab antiquissimis temporibus in usu erant, a periculis et doloribus liberari contigit, olim cum earum usu conjunctis; tempora denique accuratius finita sunt, quibus operatio cum prosperi successus spe institui et possit et debeat. Quod quidem, in universum pronuntiatum, ut eo certius atque clarius pateat, exempli loco varias vias

expendam, quibus narium polypos et antiquior et nostra aetas curavit et adhuc curare solet.

Inter scriptores, qui de hac operatione chirurgica exposuere, magna de numero methodorum, ad curandos narium polypos excogitatarum, dissensio est. Alii enim, uti SABATIERVS [1]), quem CHOPARTVS atque DESAVLTVS [2]), J. L. DESCHAMPSIVS filius [3]) aliique, uti HIPP. CLOCQVETVS (*Osphresiologie, sec. édit. Par.* 1821. 8. p. 434.) et BOYERVS et L. J. BÉGIN (*Nouv. élém. de chirurg. Par.* 1824. 8. p. 547—553.) secuti sunt, sex, alii, uti LEVRETVS [4]), cujus sententiam inter alios CHPH. BONIF. ZANGIVS, Vindobonensis, amplectitur [5]), quatuor, alii, ut AVG. GOTTL. RICHTERVS [6]), HENR. CALLISENIVS [7]) reliquique tres, alii denique, uti BENJ. BELLIVS [8]), JAC. LATTA [9]), CHARL. AVERIL (*Operat. chirurg.* p. 128.), COSTER (*Manuel des opérations chirurg. Par.* 1823. p. 163. et vers. vernac. p. 149.), RICHERAND (*Grundr. d. neuern Wundarzneyk.* VI. p. 63.) etc. duas tantum commemorant. Nolo multus esse in expendendis rationibus, quibus laudati scriptores commoti a se invicem recesserint in finiendo methodorum numero, quibus medela certa atque explorata adferri queat narium polypis. Etenim facile est ad intelligendum, illos, qui sex curationis methodos statuerint, respexisse ad rationes, quibus

---

1) *De la médecine opératoire. Séc. édit. à Paris* 1810. 8. Vol. II. pag. 197.

2) *Anleit. zur Kenntn. aller chirurg. Krankh. und der dabey erford. Operat.* Th. I. p. 260.

3) *Abhandl. üb. die Krankh. d. Nasenhöhle und ihrer Nebenhöhlen. A. d. Fr. v.* CHR. FR. DÖRNER. p. 85.

4) *Observat. sur la cure des polypes, à Par.* 1771. 8. p. 217.

5) *Darstell. blutiger heilkund. Operationen.* Th. I. p. 387. His viris accedit et SAM. COOPERVS (*Diction. of Surgery* p. 759.).

6) *Anfangsgr. der Wundarzneyk.* Th. I. Cap. 21. §. 578.

7) *System der neuern Wundarzneyk.* Th. II. §. 230.

8) *Lehrbegr. der Wundarzneyk.* Th. III. p. 309.

9) *System der prakt. Wundarzneyk.* B. II. p. 336.

illa operatio omnino fieri potest, alios, qui numerum imminuerint, eas tantum methodos protulisse, quae aut nunc maximopere in usu sunt, aut ab ipsis prae reliquis probantur.

Cauterium.

Cauterium actuale seu ferrum candens ad destruendos narium polypos ab antiquissimis medicis atque chirurgis in usum vocatum est. Cujus quidem methodi suasor laudatur, immerito licet [10]), primus Celsus (*de re medica* libr. VI. c. 8.): *Illud aliud genus* (polyporum) *fere quidem* ferro *curatur*. In quo quidem loco sub ferro ferrum candens intelligendum esse, ex aliis Celsi locis patet, v. c. libr. VI. c. 18. 2. p. 396. ed. Kraus. *tubercula, quae vel medicamentis vel* ferro *aduruntur*, h. e. cauterio vel potentiali vel actuali tractantur; et libr. VII. c. 3. *magno malo* (h. e. suppurationi vehementi) *vix sine* ferro *mederi licet*. Quam quidem polypis narium medendi rationem cum Paulus Aegineta [11]) non nisi malignis adhiberi juberet, reliquos autem proprio instrumento, *πολυπικὸν σπαθίον* dicto, resecaret, videtur Sabatierius omnino errare, cum hanc polypos narium curandi rationem, a Celso jamjam propositam, ad Paulum, aliquot seculis recentiorem, tanquam auctorem referret [12]).

Ratio, qua cauterio actuali antiquiores utebantur, ad polypos narium destruendos, erat haec: speculo naribus dilatatis, quod recentiores omittunt, cannulam argenteam aut ferream, linteo aqua [13]) frigidissima

10) Nam in Hippocratis scriptis (de *morb.* lib. II. p. 471 sq. et de *adfect.* p. 517.) jam ferri candentis, tanquam remedii ad narium polypos tollendos apti, mentio injecta est.

11) De arte medica libr. VI. c. 25.

12) Th. III. p. 103. vers. germ. Vol. II. p. 212. ed. secundae penitus immutatae et maximopere auctae. *Par.* 1810.

13) Jo. Fr. Weberus, *d. d. polypo narium genuino. Altorf* 1793. 4. p. 33. hac aqua albumen ovorum dilui jubet.

madefacto involutam, in nasi cavitatem introducebant ita, ut altera illius apertura tangeret polypum, per alteram autem ferrum candens, apice rotundato instructum, immitteretur. Eschara hoc modo producta atque medicamentis suppurantibus sensim soluta, cauterii applicatio repetebatur, usque dum omnis excrescentia penitus absumta esset. Applicatio ferri candentis debet per brevissimum tempus [14]) durare, ne cannula ferro, quod alii, ut Deschamps [15]), ad rubedinem, alii, ad quos Zangivs *l. c.* referendus est, ad albedinem excandefaciunt, nimium fervefacta nasi parietes laedat [16]). Ante admotum ferrum debet nasi cavitas et polypus bene siccari, ne humores summo ferri calore in vapores resolvantur: qua re gravia incommoda produci solent. Richtervs sumit acum triquetram, quae aliquot pollices longior est sua vagina, paululum ampliore, ne acus candefacta vaginae parietes, quos stringit, nimium fervidos reddat prius, quam maxima caloris pars a polypo, quem acus transfixit, absumta sit [17]). Haec quidem proportio longitudinis acus triquetrae ad vaginae longitudinem a Richtero propterea sic finita esse videtur, ut eo profundius ferrum in polyposi tumoris massam infigi queat. Nam quo vehementior inflammatio, eamque subsequens suppuratio locum habet, eo citius polypi consumtio poterit sperari [18]). Si hac cauterii actualis applicatione saepius opus fuerit, repetitio illius tunc demum instituenda erit, quando symptomatum, ab antecedente ejusdem remedii usu excitatorum, vehementia aptis remediis imminuta est [19]).

14) Zangivs *l. c.* p. 424. Tres horae termillesimas et sexcentesimas partes praescribit.

15) *L. c.* p. 92.

16) Chopartvs atque Desavltvs *l. c.* p. 261.

17) *L. c.* §. 605.

18) Zangivs *l. c.* p. 421.

19) Deschamps *l. c.* p. 92.

Indicatur haec exstirpandi polypum ratio, quando hic latae basi insistit atque venis varicosis obsitus est [20]; quando haud temere metuendum, ne polyposus tumor malignam contineat naturam [21]; quando polypus vel a levissimo contactu sanguinem fundit, atque a praegressis haemorrhagiis vires aegroti admodum exhaustae sunt [22]; quando polypus neque motu rotatorio evelli, neque ligatura aut etiam excisione exstirpari potest, h. e. quando polypus aut ad tantam magnitudinem increvit, ut omnem nasi cavitatem arctissime obturet, aut ligamentosa structura, aut tanta duritie insignis est, ut secantibus instrumentis resistat. Contra ea res, indicantibus allatis oppositae, impediunt, quominus hac polypos narium cauterio actuali tollendi ratione uti possimus. Dein etiam ad causam polyporum respiciendum est. Haec enim si mere localis haud fuerit, v. c. ictus in nasum, haemorrhagia narium nimis subito suppressa etc., sed in dyscrasia humorum, v. c. venerea, quaerenda, ignis admotio magis nocebit, quam proderit [23]. Praeterea quoque ab inepta ferrum candens adhibendi ratione alia incommoda oriri solent: quo referendi sunt dolores capitis vehementissimi, inflammationes graviores, suppuratio ingens, nec non caries ossium nasi [24]. Denique et hoc reprehendi jure potest in cauterii ad tollendos narium polypos usu, quod eo ipso tempore, quo eschara, prima ferri candentis applicatione producta, suppuratione separatur, plus succrescat iterum, quam demebatur [25].

---

20) Chopart et Desavlt *l. c.* p. 261.

21) Pavlvs Aegineta *l. c.*

22) Richter. Th. I. §. 603. Callisen *l. c.* II. §. 239. Zang *l. c.* p. 422. Fritzivs in Loderi diario Vol. II. p. 24. duodecies intra quatuor mensium spatium cauterio actuali usus est, prius quam fine optato potiretur.

23) Zang *l. c.* p. 423.

24) Levretvs *libr. cit.* p. 221. Sabatier *l. laud.* p. 213.

25) Richter *observ. chirurg. fasc.* II. p. 131.

Verum enim vero haec incommoda non sola fuerunt in causa, cur haec operandi methodus a recentioribus rejecta fuerit. Sed inefficientia ejusdem, saepius perspecta, multum contulit ad ejus antiquationem. Cujus quidem rei quamquam Sabatierius exemplum observavit, tamen alii, inter quos praecipue Richterum atque Callisenium numero, eam felicissimum successum habuisse testantur. Horum ille cauterium actuale polypo, qui nulla alia ratione tolli poterat, ita admovit, ut totum tumorem semel et simul adficeret, inflammaret et in pus converteret. Acum igitur ignitam, qualis ad perforandam tunicam testiculi vaginalem, hydrocele adfectam, adhiberi solet, ad duorum pollicum longitudinem in ipsum polypum protrusit. Aegrotus de insigni capitis dolore cum febricula conquestus est. Quotidie in narium cavitatem injectus est liquor emolliens, et quamdiu duraret dolor cum febre, lenia temperantia remedia exhibita fuerunt. Ingenti puris e naribus profluvio sensim imminuta est polypi moles, ita, ut aegrotus per nares spiritum libere ducere posset. Dolendum est, Richterum de hujus curationis exitu certiorem factum haud fuisse [26]). Callisenius [27]) autem vidit polypum narium, qui neque ob maxime debilitatas aegroti vires ligari, neque ob haemorrhagiae metum evelli poterat, cauterisatione penitus destructum atque aegrotum perfecte sanatum.

Cum ignis adplicatio aegrotos paululum timidiores valde terrere soleat, ad cauteriorum potentialium usum confugerunt chirurgi. Quam medendi rationem jam antiquissimi chirurgi, quorum, mentionem fecit Exp. Curt Sprengelius, de cujus amicitia laetor [28]),

---

26) Vid. Ej. *observat. chirurg. l. c.*

27) *Libro cit.* Th. II. §. 239.

28) Chirurgus exercitus Borussici, Debruck, in Mursinnae *diario chirurg.* Vol. I. p. 376 sq. varia narrat exempla, quae hujus

adhibuere; recentiores autem magis perfecere. Inter haec medicamenta, quae nunc in usu esse solent, sunt alia mitiora, alia potentiora. Ad illa pertinent alumen ustum, vitriolum album [29]) et quae sunt reliqua, aut sola, aut melle unguentoque digestivo subacta. Fortiora corrosiva sunt lapis infernalis, solutio mercurii in acido nitrico mercurius sublimatus corrosivus, vitrioli spiritus et inprimis butyrum antimonii. Hoc quidem ultimum remedium nunc quidem omnium frequentissime adhibetur, monente DE LA FAYE in notis ad DIONIS *cours d'opérat. de chirurg.* ed. IV. p. 579 sq. LEVRETVS quoque valde commendat aquam vegetomineralem Goulardi *l. c.* p. 219, quae tamen magis ad exsiccantia, quam ad rodentia medicamenta pertinere mihi videtur. Equidem ad polypum mucosum, e Schneiderianae tunicae relaxatione ortum, tollendum eam adhiberem.

Applicandi ratio varia a variis chirurgis indicata est. Alii enim ope penicilli, alii ope pulvilli oblongi e linteo carpto (*bourdonnet*) medicamentum corrosivum polypo admovent. Alii metuentes, ne tactae narium partes integrae aut dolorem excitent vehementissimum, aut inflammationem, concludunt rodentem medicinam intra tubulum, e calamo scriptorio omnium optime paratum; quam quidem regulam ADOLPH. FR. LOEFFLERVS [30]) maximi momenti esse adserit. RICHTERVS autem, ut remedii vim celeriorem reddat, in polypum infigit acum triquetram, atque vulneri, hac ratione inflicto, inserit turundam, medicamento corrosivo imbutam. Post immissum hocce medicamentum in nares aut attrahi volunt aquam sive lac tepidum, aut injici decocta emollientia atque detergentia, ut remedium

---

medicamenti efficaciam contra narium polypos satis probant. Cui quidem adsentitur et MVRSINNA ipse p. 379.

29) *Geschichte der wichtigsten chirurg. Operationen. Hall.* 1805. 8. p. 138 sq.

30) Vid. Ej. *Beyträge z. Arzneyw. und Wundarzn.* B. I. p. 119.

denuo eluatur, nec partes integras attingere queat. At vero hoc modo istam curationem in longinquum trahi constat [31]. Nam corrosiva medicina, quae quo magis condensata est, eo majorem efficientiam habet, istis injectionibus diluitur, et inflammatio excitata et ad curationem perficiendam summopere necessaria, emollientibus fluidis, in nares attractis, valde imminuitur. Vtroque autem efficitur, ut polypi destructio admodum lente progrediatur, et frequentius cauterio potentiali utendum sit. Inter incommoda igitur, quibus haec polyporum destruendorum ratio premitur, recte relatum est hoc, quod polypi sic tractati saepe tantumdem resumant, quantum ipsis medicina leniter rodente detractum fuerit. Id quod etiam in cauterio actuali adhibito accidere paulo ante monuimus. Dein etiam vis atque efficientia medicamenti corrosivi hisce injectionibus latius diffunditur, quam opus est, et haud temere metuendum, ne integrae narium partes vehementi inflammatione corripiantur. Loefflervs ter butyro antimonii feliciter usus, haud vidit ejus efficientiam usque ad sanas narium partes propagatam, nisi chirurgi id culpa fuerit factum. Minime autem putandum est, omnem omnino polypi substantiam debere suppuratione, a remediorum corrosivorum usu citata, consumi. Nam sufficit jam, magnam polypi partem hoc modo destructam esse, reliqua promptiore curatione aut ligatura aut evulsione tolli potest.

---

31) Chopartvs atque Desavltvs *l. c.* p. 261. contendunt, talem curationem interdum per plures annos durare posse.

XXXI.

DIJVDICATIONIS NONNVLLARVM, QVIBVS POLYPI NARIVM EXSTIRPARI SOLENT, METHODORVM.

PART. II.

Programmate hoc panegyris medica d. XIV. mens. Novembr. A. CIƆIƆCCCXV indicebatur, qua JOA. ERASM. ZIMMERMANNVS, Praga-Varsoviensis, medicinae et chirurgiae Licentiatus erat renuntiandus.

Quam nuper inchoatam reliqui disputationem de varia ratione, polypos narium manu tractandi, eam nunc nisi absolvere, certe profligare animus est. Cum autem nuper ostenderem cauterii utriusque hac in re vim atque efficientiam, regulasque adderem, quibus tam potentis remedii usus regendus sit, nunc eodem modo docere conabor, quando et quibus instrumentis narium polypos praestet ligare.

Haec autem exstirpandorum polyporum ratio cum jam HIPPOCRATI [1]) in usu fuisse dicatur, merito inter antiquissimas referenda est. Verba autem HIPPOCRATIS: *ἐξαιρέεται δὲ βρόχῳ διελκόμενος ἐς τὸ στόμα ἐκ τῆς ῥινός· οἱ δὲ καὶ φαρμάκοισιν ἐκσήπονται*, h. e. *eximitur autem* (polypus) funiculo *e naribus in oris cavitatem tractus: alii et rodentibus medicamentis destruuntur*, ostendunt luculentissime, illam, quam proposuit, ligaturam longe differre ab ea recentiorum. Etenim apparet, Coum

1) *De affection.* §. 6. p. 164. Vol. II. edit. Linden.

senem ligatura tantum usum esse eodem consilio, quo serioris aevi chirurgi uncis ferramentis, ut polypum apprehensum facilius extrahere possent. Sunt igitur, qui Gabr. Fallopiam, celebrem seculi XVImi medicum ac chirurgum, putent inventorem fuisse ligandorum polyporum rationis ejus, qua et hodie uti solemus. Inter hos viros eruditos nuper fuit Bern. Gottl. Schregervs [2]), qui contra Sabatierivm, inventi hujus honorem Glandorpio [3]) vindicare conantem, adfirmavit, chirurgiam non huic Glandorpio, sed potius Fallopiae debere illam artis perfectionem. Quodsi mihi inter utrumque, Sabatierivm puta et Schregervm, arbitri partes agendae forent, magis Sabatierio, quam Schregero accederem, quoniam loca Glandorpii atque Fallopiae, quae huc pertinent, invicem collata, hanc mihi sententiam extorquent. Fallopia [4]) enim haec habet: „*Ego autem fistulam argenteam accipio, nec nimis latam, nec nimis angustam, dein filum aeneum vel chalybeum satis crassum, vel ferreum, e quo arpicorda constituuntur, et ipsum duplicatum pono in fistulam illam, ita, ut ex illo filo in altero capite fistulae fiat ansa, qua in nares imposita polypum arripio. Cum autem ingressus est polypus in ansam, impello fistulam ad radicem polypi et cáput fili aenei, in parte fistulae inferiore existens*, traho et sic radices polypi stringo et extraho, *quia ab illo filo et ansa secatur radix polypi*, *quia mollis est substantia.*“ Apparet igitur totum apparatum Fallopianum duplicem habuisse finem, partim filum aeneum, quantum fieri poterat, radici polypi proxime admovendi, partim hanc ipsam radicem filo duriore discindendi. Prius ut consequeretur Fallopia, usus est tubulo argenteo, qui ansam fili metallici, polypi circumferentiae circumjectam,

2) *Grundriss d. chirurg. Operat. Fürth* 1806. 8. p. 259.
3) *De polypo tractat. Brem.* 1621. 4. c. 15. p. 43 ff.
4) *Oper.* to. II. p. 298.

continebat, et ad latus polypi in nasi cavitate sursum trudebatur, usque dum polyposi tumoris radicem attigisset. Jam tubulo firmato, ansam fili metallici fortiter attrahebat, quo effecit, ut radix, quippe mollioris substantiae, discinderetur. Immissio tubuli et discissio radicis ope fili metallici uno eodemque tempore efficitur: ideoque haec a Fallopia proposita encheiresis a ligatura, qualis a Glandorpio descripta est, multum differt. Haec enim per filum, radici polypi circumjectum, hanc sensim sensimque constringit ita, ut vita vegetativa polypi supprimatur. Color igitur excrescentiae polyposae mutatur, sensim nigrior redditus; calor perit tandemque emortuus quasi polypus aut sine omni sanguinis profusione aut cum exigua decidit. Verba, quibus operationem Glandorpius describit, haec p. 60. *l. c.* sunt; „*Instrumentum fabrico, quocum radicem circumcirca ligavi. Hamulum scilicet incurvo cuspide, pomulo oculato, per quem filum sericum inceratum transegi, firmiterque injecto nodo intortoque filo cum duobus aliis specillis circumligavi septima Julii, interdumque aliquid butyri adhibui, alternisque diebus constrinxi, decimo sexto ejusdem mensis, cum filum arctius contraherem, excidit polypus, et vix cochlearia duo sanguinis effluxere.*“ Dum igitur Glandorpio, cum solo Fallopia comparato, victoris palmam tribuo, minime in ea versor sententia, ut illum ligandorum polyporum rationem eam, quae adhuc in usu est, excogitasse putem. Hic enim honor antiquiori chirurgo, Jo. Vigoni, qui ante Fallopiae tempora floruit, tribuendus est, uti e loco ejusdem luculentissime apparet. Usus equidem sum italica libri: *Practica in arte chirurg. copiosa* libr. IX. *Rom.* 1513. versione, a M. Ptr. Rostinio facta: *Prattica utilissima e necessaria di chirurgia dello* Giov. di Vigo etc. *Ven.* 1558. 4. ubi libro II. p. 71. haec leguntur: *perchè fatta la stirpazione con le tenaglie o con qualche stromento tagliente, o con ligar il filo per consumar la radice sua.*

Eandem fere ligandi polypi rationem secutus est Lavr. Heistervs [5]), cui et exterae nationes hactenus summi chirurgi honorem ac titulum merito tribuunt, in femina nobili, septuaginta annos nata. Peculiare in hunc finem instrumentum excogitavit, cujus auxilio filum sericum duplex idque satis firmum radici polypi admovit, atque duplici nodo firmavit. Altero die eandem ligaturam, sed paulo fortius, repetiit, tandemque tertio die omnium fortissime. Quarto die cum polypum nigro colore atque durum deprehenderet, propendentia naribus fila paululum vellicabat. Quo facto polypus, radice solutus sua, sine ullo doloris sensu ac sanguinis profusione protrahebatur. Recte autem monuit Levretvs *l. c.* p. 233. instrumentum Heisteri tunc tantum aliqua esse utilitate, cum polypus in narium introitu ex alterutro pariete propullulaverit.

Nimis longum foret, omnes ad polyporum ligaturam excogitatas methodos, quae fere non nisi instrumentorum diversa forma ac materia differunt, fusius describere. Quare auctores tantum istarum methodorum Dionisivm, ejusque commentatorem de la Faye, Jvnckervm, Gortervm, Lecativm, Desavltvm, Eckholdtvm, Bichatvmque nominabo, atque in via ac ratione, qua Levretvs narium polypos ligari jussit, curatius exponenda morabor. Is autem duplici cylindro argenteo, unum corpus efficiente, utebatur ab initio, eoque inclusit filum, cujus ansa polypi radicem comprehendere debebat. Sed cum videret, cylindrorum molem ita augeri, ut difficulter in narium cavitatem introduci posset, polypi magnitudine jam valde coarctatam, duplici cylindro unum eumque simplicem substituit, qui septo distinctus atque divisus erat. Iconibus exprimendas curavit Jos. Bellivs varias formas, quas cylindrus Levretianus accepit. Levretvs ipse in supplemento, quod suis de polyporum

5) *Institut. chirurgic.* T. II. p. 615.

curatione observationibus (*à Paris* 1771. 8.) subjunxit, commoda enarravit, quibus simplex cylindrus duplici praestaret.

Aegrotus in sedili collocetur, paululum altiore, ne chirurgus, operationem suscepturus, impediatur; sella debet instructa esse fulcro dorsali, capitis altitudinem superante, ut caput aegroti a chirurgi ministro eo melius firmari possit. Situm porro habeat aegrotus talem, ut lucis radii non ex adverso, sed oblique incidant. Nunc infimae polypi parti, quae libere propendet, admovetur fili, cannula seu cylindro inclusi, ansa, quae partim hoc ipso cylindro, partim specillo bifurcato, ad latus polypi oppositum in nares introducto, sursum ad radicem usque promovetur. Filum debet longitudine esse unius saltem pedis, et extremitate altera circumvolvi circulorum alterutri, qui in cylindri fine ansarum instar adglutinati sunt. Jam altera fili extremitas paululum attrahitur, ut radicem polypi constringat quidem, minime autem dissecet, similique modo cum priore firmatur. Quovis die filum fortius constringitur, usque dum polypus quasi emortuus decidat. Si polypus altius in nasi cavitate reconditus latet, quam ut facile conspici possit, Levretus aliam init rationem, qua ligaturam polypo inferat. Scilicet ansam narium aperturae oblatam manu altera ibi firmat, altera forcipem, quali ad polypum evellendum utimur, per ansam in narium cavitatem introducit, atque arreptum polypum firmiter retinet. Hanc forcipem chirurgus committit ministro secundo, qui lateri aegroti adstat, et omnem curam adhibere debet, ut prehensum polypum versus se paulisper trahat semperque servet eum forcipis situm, quem chirurgus imperaverit. Si sinistra manu cylindrum continuerit chirurgus, duobus aut tribus manus dextrae digitis prehendet idem extremitatem ligaturae liberam, eamque inter nasi septum atque polypum sensim sursum trudet, caute circumspiciens, ne quod

impedimentum ansam alicubi remoretur. Quando autem haec usque ad radicem polypi pervenit, libera fili extremitas attrahenda est, ut ansa minor evadat, et torsione cylindri instituta, pedunculum tumoris polyposi constringere possit. Antea autem, quam ansa eo pervenit, quo ad ligaturam rite efficiendam collocari debet, cylindrus argenteus in narium cavitatem introduci haud debet. Haec cylindri introductio autem suspensa manu instituenda atque continuanda est, donec instrumentum haud amplius poterit promoveri. Torsio fili caute suscipienda est, et instrumentum post quamlibet rotationem sibi paulisper reliquendum. Nam si tunc cylindrus resilit aut retorquetur, torsionem fortius, quam fieri convenit, institutam esse intelligimus. Nunc partim chirurgi minister forcipem, qua hactenus polypum comprehenderat, partim ipse chirurgus, solutis ligaturae extremitatibus ab ansa cylindri utraque, cylindrum argenteum e naribus eximit. Fili ad ligaturam adhibiti, extrema explicata firmantur ad galerum nocturnum, aut ad peculiare vinculum, capiti injectum, hancque ob causam filorum longitudo talis esse debet, qualis paulo ante descripta est.

XXXII.

DIJVDICATIONIS NONNVLLARVM, QVIBVS POLYPI NARIVM EXTIRPARI SOLENT METHODORVM.

PART. III.

Programma hoc evulgatum est d. xxiv. mens. Maii A. CIƆIƆCCCXVI cum medicinae ac chirurgiae Licentiati titulus et honor in Ferd. Lvd. Kirschnervm, Morizburgo-Saxonem, esset conferendus.

Cum superiore anno a me panegyris medica indicenda esset, tribuendis Joanni Erasmo Zimmermanno, Varsoviensi, summis in medicina ac chirurgia honoribus dicata, exposui de altera methodo, narium polypos manu medendi, atque substiti in describenda via ac ratione, qua Levretvs in hisce polypis ligandis usus est.

Quae quidem polyporum ligandorum ratio quamquam a plurimis chirurgis summopere laudata, et, ubi res ferebat, in usum vocata est, tamen invenit reprehensorem, Natal. Jos. Palvccivm, Florentinum, qui Vindobonae artem fecit. Is enim putabat, illorum polypi narium tollendi subsidiorum, a Levreto excogitatorum, usum saepe numero propterea plus negotii atque incommodi facessere, quam utilitatis, quod raro admodum proportio illa atque capacitas narium subsistat, sine qua illorum usui atque applicationi nullatenus locus est. Quod cum aliquoties sibi acciderit, aliam rationem ligandorum polyporum nasi excogitavit Palvccivs, ab illis incommodis liberam. Descripsit autem

eam his verbis [1]): „Tum acceptam volsellam, pro extractione polypi adhiberi solitam, clausam per spatium ansulae, ex argenteo filo duplicato factae, trajeci, postea modice diduxi, polypo dein alte prehenso atque constricto ligavi insimul annulos volsellae. Superstes vero ab hac ligatura filum, inter labia ipse susceperam. Sine manuum auxilio volsellam ita suspensam continui. Tum ansulam secundum volsellae seu forcipis longitudinem eo direxi, ut ad radicem polypi deveniret. Quo eam pervenisse cum resistentiae indicio animadverterem, tum extremitatibus ansulae una susceptis, altera vero manu cannulam altius demittendo sic sensim imminuebatur ansulae spatium, adeoque arctiori ligatura constringebatur polypus: ubi satis, tunc intortis ansulae extremitatibus eo usque firmabatur ligatura, ut ne hilum relaxaretur. Remota hinc volsella, ejusque loco filamenta circa circum cannulam inducta, ne aliqua molestia ob ejus duritiem partes adficerentur, emplastro diapalmae, foraminulis instructo, applicato, inductaque desuper fascia idonea aegrum dimisi.“ Vix quadraginta ab operatione horis elapsis polypus sub somno sine ulla haemorrhagia decidit.

Qua igitur in re differunt hae duae polypum narium ligandi methodi? Scilicet Palvccivs videtur solam priorem Levreti methodum respexisse, qua duplici canali, sibi invicem ferruminando apposito, ansam radici polypi admovere studebat, non autem serius excogitatam, qua graciliori tubo, cujus cavitas dissepimento divisa erat, filum, quod ansam formabat, duplex includebat. Dein autem Palvccii apparatus simplicior est Levretiano, ad quem specillum quoque bifurcatum pertinebat. Porro et ratione materiei, e qua filum erat confectum, utraque methodus a se in-

---

1) *Ratio facil. atque tuta, narium polypos curandi. Vindob.* 1760. 8. p. 56.

vicem recedere videtur. Palvccivs quidem argenteo, Levretvs aut lineo aut serico filo, eoque cerato, usus est. In qua quidem re Palvccivs hanc operationem perfecisse putandus est, id, quod et Sam. Cooperus [2]) concedere videtur, cum filum argenteum propter ipsius elasticitatem faciliori negotio applicari posse polypi radici adseveret. Denique et forceps, qua polypus apprehenditur, aliter constructa est, quam Levretiana. In manubriis enim cochlea conspicitur, cujus ope polypus prehensus firmiter contineri potest. Hoc artificio in usum vocato, Palvccivs haud eget duplici ministro, et instrumenti directionem semper in sua habet potestate.

Nondum autem derelinquere Palvccivm possum. Memini enim me legere [3]), ipsum Levreto honorem hujus methodi prius inventae eripere conatum esse. Id autem, dum libellum Palvccii diligenter perlegerem, factum esse haud deprehendi. Hoc unum in praefatione tantum monet, nonum annum labi, ex quo suam narium polypos ligandi methodum adhibuerit. Cujus quidem rei testes duos Franco-Gallos, Gillotvm, medicum, et Livernetvm, chirurgum, adduxit, qui aegros ab ipso sua methodo a polypis narium sanatos, inviserint. Cum autem Palvccii commentatio prodierit anno cIɔIɔccLXIII, novem hinc annis subductis, anno cIɔIɔccLIV operationem istam primum ab ipso institutam esse constat. Jam in Levreto [4]) observatio legitur, qua mense Julio anni cIɔIɔccXLIII polypus narium ligaturae methodo, ab ipso excogitata, felicissime sanatus est. Luculentissime inde apparet, Palvccivm de inventi honore minime cum Levreto certare nec voluisse, nec potuisse.

---

2) The first lines of the practice of surgery. With copper plates. The III. ed. *Lond.* 1813. 8. p. 124.

3) Schreger's *Grundriss.* p. 260.

4) *Libr. cit.* p. 250.

Boyerius, qui nunc inter Parisinos chirurgos maxima laude floret, Georgio Wardenburgio [5]) narrante, in ligandis polypis narium, inprimis iis, qui paulo profundius in faucium cavitatem prominebant, hac utebatur ratione. Bellocquii instrumentum, ad haemorrhagias nasi sistendas aptum, ita in nasum introduxit, ut in faucibus iterum apice suo in conspectum veniret. Firmato tunc instrumento, globulum, quo ejus apertura superior tanquam operculo occludi solet, una cum metallico elastico filo, cui globulus junctus est, per oris aperturam protraxit, et alligato ipsi filo, quo polypus constringendus est, instrumentum e naribus exemit. Quo facto per easdem nares, quae antea instrumento aditum ad fauces concesserant, illud denuo, ad latus polypi oppositum usque ad faucium cavum demittere studebat. Repetitur nunc tota encheiresis, paulo ante descripta, atque sic altera fili extremitas per nares, retracto instrumento, educitur. Denique utraque fili, polypi radicem cingentis, extremitas cylindraceo canali includitur, atque solito more polypi constrictio perficitur. Quae quidem ligandi polypi ratio peculiare nihil habere, sed hoc unum probare videtur, chirurgum, artis suae probe gnarum, etiam instrumentorum apparatu minus idoneo finem propositum recte assequi posse.

Jam liceat cum in commoda, tum in incommoda, cum hac narium polypos exstirpandi ratione conjuncta, inquirere, atque quaenam ipsorum graviora sint, dijudicare. Commendatur autem ligatura polyporum nasi inprimis duabus rebus, doloris minus vehementis sensu et haemorrhagiae, quae evulsionis solet esse nisi perpetuum, certe frequentissimum symptoma, absentia. Quamquam autem, quod dolorem attinet, negari nequit, cauterii actualis applicationem aeque ac

---

5) *Briefe eines Arztes — zunächst für Aerzte und Statistiker.* Bd. II. p. 524.

evulsionem, saepe dirissimos efficere dolores, qui interdum vehementia sua eo procedunt, ut ipsi nervi inde convellantur, tamen minime in ea versari debemus opinione, ut adseveremus, ligaturam nunquam doloribus esse stipatam. Si enim polypus vel ligamentosae vel carneae substantiae ligatura exstirpari debet, aut si aegrotus admodum sensibilis est, ab ista operationis methodo solent adeo vehementes interdum oriri dolores, ut ansa, polypi radicem constringens, denuo solvi debeat. Quale exemplum retulit Loefflervs [6]) de polypo intestini recti, quem cum ligatura auferre ob ingentem dolorum vim haud posset, cauterio potentiali destruxit. Cum intestinum rectum eadem membrana mucosa, quae narium cavitatem investit, interius obducatur, patet, idem symptoma, quod in intestino recto a polypi, ibi enati, ligatura locum habuit, etiam in polypo narium locum habere posse. — De sanguinis autem profusione, qua carere videtur haec nostra operatio, non habeo, quae contra moneam, nisi forte hoc, parum valere hanc haemorrhagiae absentiam ad commendandam istam polyporum nasi exstirpandorum viam ac rationem. Nam etiamsi adhibitam polyporum evulsionem sequatur vehementior sanguinis profusio, tamen remedia quoque in promptu sunt, quibus eam possumus coërcere.

Indicatur haec methodus a lata tumoris basi, quae evulsionem polypi partim propter doloris, cum hac operatione conjuncti, vehementiam, partim propter metuendam sanguinis insignem profusionem plane non admittit. Si autem ligaturae ansa, huic basi admota, sensim constringitur, tunc quidem dolores quoque oriri debent, sed neutiquam tam vehementes, quam cum evellitur tumor. Unum tamen est, quod consideratione dignum est. Etenim tumor, qui lata basi

---

6) *Beytr. z. Arzneywissensch. u. Wundarzn.* *Leipz. u. Alt.* 1791. 8. Th. I. p. 121.

parti cuidam molli adhaeret, videtur pluribus vasis sanguiferis instructus esse, atque ob hancce causam ligatus magis intumescet, quam qui tenui pedunculo cadhaeret. Haec autem tumoris intumescentia nasi cavitatem penitus occludit, ut aër per os tantum in pulmones irruere possit. Inde igitur incommoda, a polypo oriunda, videntur augeri. Sed minime hoc refero inter incommoda talia, quae omnino impediant, quo minus in hoc casu a ligatura auxilium exspectari jure queat. Nam si acubus aliquot, uti M. Avr. Severinvs [7]) praecipit, adversa polypi pars repetitis ictibus vulneratur, effluvio sanguinis et polypi moles imminuitur, et simul ejusdem destructio perfecta acceleratur. — Praeterea quoque alia sunt, quae nos ad hanc polyporum ligaturam invitare et quodammodo cogere possint. Quando enim partibus mobilibus aut facile lacerandis polyposus tumor adhaeret, aut in antro Highmori radicem fixit, aut magnitudo polypi tanta est, ut forcipe prehendi nequeat, aut aegrotus, nimium timidus, instrumentorum usum perhorrescit, aut polypus e pluribus radicibus pendet [8]), aut denique pedunculum firmum atque ligamentosum habet, omninoque malignioris conditionis esse videtur, quae ne tumoris evulsione vim suam atque efficientiam prodat, metuendum est, tunc omnino ligatio polypi omnibus aliis talium tumorum destruendorum methodis jure meritoque praeferri debet.

Sed nec reticenda sunt incommoda hujus operandi rationis atque contraindicantia, quae vocantur. Ac primum quidem negari nequit, multum interdum temporis requiri ad perficiendam illa ratione curationem:

---

7) *De efficaci med.* lib. II. c. 9.

8) Quod quamquam fieri posse multi negant, tamen interdum omnino locum habere, exemplo probavit Webervs dissertatione in progr. primo citata. Et Pelletanvs quoque polypum tribus radicibus insignem vidit. Cons. Wardenbvrg *l. c.* p. 524.

nam nunc polypus adeo sensibilis est, ut ligaturam fortem, quae vitam vegetativam polypi brevi penitus exstinguat, ferre non possit, nunc filum metallicum, quo pedunculus constringi debet, torquendo confringitur, totaque operatio ab ejus initio repetenda est. Dein haud omnino facile semper negotium est, ansam pedunculo polypi admovendi, quippe quod partim figura polypi admodum irregulari, partim tumoris magnitudine, omnem nasi cavitatem accuratissime explente, impeditur. Si autem ligatura, non ipsi pedunculo, sed paulo profundius circumjecta, partem tantum, quamvis magnam, polypi destruxerit, brevi temporis spatio, quae relicta est, denuo succrescit, eademque operatio repetenda est. Quodsi autem acciderit, ut non nihil de polypo relinqueretur, in nares vitriolum album sub pulveris forma injiciendum est, id quod utilissimum invenit in talibus casibus Chr. Lvd. Mvrsinna [9]). Porro inflammatio atque hinc pendens tumoris intumescentia saepe post ligaturam polypo applicatam adeo augetur, ut injectum vinculum aut relaxandum aut penitus solvendum sit, nisi inflammatio ad interiores cerebri partes serpere atque cerebro in mali societatem rapto mortem inferre, haec autem intumescentia ducendi spiritus difficultatem atque adeo suffocationis praesentissimae metum adducere debeat. Neque vero inter incommoda ligaturae polyporum temere refertur foetor molestus, quem emortuus constrictione polypus diffundere solet. Hunc autem foetorem, uti et metum, ne ichorosa materies, in quam polyposus tumor sensim resolvitur, partes narium, quas alluit, arrodat, frequentibus injectionibus, quae partim emollienti virtute putrefactionem promovent, partim ichorem eluunt, possumus auferre. Denique in polypis

9) *Journ. f. d. Chirurgie* etc. B. I. p. 379.

narium, qui in fauces usque dependent, et hoc incommodum metuitur, ne sub somno a pedunculo resoluti in faucium cavitatem delapsi aegrotum suffocent. Quem tamen timorem vanum esse, eventus frequentissimi satis superque probant. Nam inter tot ligatorum polyporum exempla, quae scriptis consignata sunt, nullum legitur, quod istum timorem aliquo modo confirmet.

XXXIII.

DIJVDICATIONIS NONNVLLARVM, QVIBVS POLYPI NARIVM EXSTIRPARI SOLENT, METHODORVM.

PART. IV.

Prolusio haec edita est, cum Car. Henr. Edelmann, Dresdensis, d. iv. Octobr. mens. A. cIↃIↃcccxvi. medicinae et chirurgiae Licentiatus esset creandus.

Nunc ad tertiam operandi methodum, *evulsionem*, transgredior, quae, uti cauterisatio, jam antiquissimis inter Graecos medicis in usu fuit. Etenim duplicem evulsionis modum describit Hippocrates, seu quisquis auctor est libri *de morbis* [1]). Priorem convenire ait illis polypis, qui attactu molles, figura rotunda, ex interioribus nasi partibus promineant. Hos autem chorda, e tendinibus aut intestinis parata, qua ansa formata est, primum ligari, tum chordam seu laqueum per choanas in oris cavitatem ope specilli stannei, cujus altera extremitas perforata sit, primum demitti, dein per os extrahi jubet. Ut nunc evulsio polypi eo melius procedere queat, tractionem versus uvulam dirigit. Id quod hoc modo perficit. Specillum, in altera extremitate sulcatum, versus uvulam directum, exterius firmat, atque nunc chordam, in sulco specilli repositam, versus se attrahit. —

1) Libr. II. p. 471 seq. ed. Foes.

Altera evulsionis methodus, ab Hippocrate descripta, iis tantum dicata fuit polypis, qui e mediis cartilaginibus (ossa haud dubie nasi eorumque involucra intelligit) propullularunt, et molles consistentia sua, ob pedunculi longitudinem extensionisque ejus facilitatem sub exspiratione foras protrusi, sub inspiratione iterum in nares retrahuntur. Quos quidem hoc modo tollit. Spongiam in strias vermiformes dissecat, quae spirae instar convolutae, lino Aegyptio, cui tamen Plinivs [2]) firmitatem denegat, ita obvolvuntur, ut corpus durum inde efficiatur. Id autem alligatur quadruplici filo lineo, quod cubitali sit longitudine atque libera sua extremitate trajicitur per foramen virgae stanneae seu specilli gracilis. Hoc specillo filum lineum, e nasi cavitate per choanas in fauces deductum, inde iterum per oris aperturam educitur. Jam trahenda est spongia, quae accuratissime nasi cavum explere debet, versus uvulam. Quod ut commode effici queat, eodem artificio utitur, quod ante descriptum est. Scilicet specillum, in apice sulcatum, versus uvulam protendit, ibique firmat. Si nunc attrahitur spongia filo lineo, in specilli sulco reposito, ea ante se trudit polypum, qui, in fauces propulsus, tandem a pedunculo divellitur suo. Polypus sic eadem ratione e narium cavitate eximitur, qua obturaculum, e cortice quercus suberis fabrefactum, atque in lagenam intrusum, exsuberis detrahi inde vulgo solet. Hoc modo intellecta descriptio hujus operationis haud tanta obscuritate laborare mihi videtur, quantam in ea invenisse testatur Schregervs [3]).

Cum autem alii jam Gvilielmvm de Saliceto, clericum seculi decimi tertii, sed in chirurgia simul

---

2) *Histor. natur.* lib. XIX. c. 2.

3) *Libro citato* p. 262.

versatissimum, alii, uti HALLERUS[4]), JULIUM CAESAREM ARANTIUM[5]) forcipibus usos esse putent ad evellendos narium polypos, causam, cur a LEVRETO[6]) ille honor ad FABRICIUM ab Aquapendente delatus sit, invenio nullam, nisi forte haec fuerit, ut plagiatus crimen ipsi imputare posset. Etenim expressis verbis contendit LEVRETUS, FABRICIUM, nisi NICOLAI Florentini operam pro sua vendiderit, certe jam ALBUCASEM evellendorum nasi polyporum auctorem ante se habuisse. De NICOLAO rem haud decerno, cum illius libri inspiciendi mihi jam nunc nulla suppetat opportunitas. Sed ALBUCASI FABRICIUM nihil subfuratum esse certo adfirmare queo. Nam ille prorsus alia ratione utitur ad evellendum nasi polypum, quam FABRICIUS. Ille quidem uncum ferramentum polypo immittit, ejusque protracti partem ferro resecat; quo facto denuo unco ferramento arreptum atque e narium cavo protractum polypum discindit, eamque encheiresin repetit, usque dum omnis polypus naribus fuerit ereptus. Videtur ALBUCASIS hac operationis ratione periculum evitare voluisse, quod, qui CELSI aut PAULI Aeginetae methodis polypos narium exstirpandi utuntur, facile incurrunt; ne instrumento secante, in narium cavitatem introducto, partes minime violandae laederentur. Itaque in conspectum protrahebat polypum, ut videret, quasnam partes sectione auferret. Alia autem prorsus ratio est FABRICII. Is immittit instrumentum, quod simul forcipis instar polypum apprehendere atque protrahere, et forficis in modum comprehensas partes ita dissecare potest, ut praeter polypum nullae aliae partes violentur.

---

4) Vid. ejus *Biblioth. chir.* Vol. I. p. 237.

5) *De tumorib. praeter natur. Ven.* 1595. c. 21. p. 170.

6) *Libri laud.* p. 226.

Rationem, qua chirurgus hanc operationem suscipere debet, haud describam, cum hac in re RICHTERVS [7]), CALLISENIVS [8]) aliique mihi otium fecerint. Neque varias forcipum formas, a variis excogitatas, commemorabo, quippe quae ab ARNEMANNO [9]) collectae et a BJM. BELLIO [10]) ejusque interprete [11]) eruditissimo dijudicatae sint [12]). In universum monere licet, forcipes manubrio longiore instructas praestare iis, quarum brachia aeque longa sunt, ac manubria, aut etiam longiora [13]). Priores enim polypum comprehensum fortius retinent. Qua quidem in re peccare videntur forcipes, a LEVRETO depictae tabula II. operis saepius laudati.

Indicatur haec polypos narium exstirpandi ratio tum, cum polypus colore pallido, griseo aut laete brunneo est: tunc enim neque de haemorrhagiae profusioris ortu, neque de malignitate carcinomatica post operationem sese proditura, metuendum est. Color enim pallidus indicat naturam polypi mucosam et exsanguem. Neque tamen ZANGIVS [14]) colore fusco in coeruleum abeunte, splendore atque duritie tumoris sese ab evulsione suscipienda absterreri patitur, sed potius ob haec ipsa symptomata operationem accelerat. Praeterea absentia doloris, qui tunc demum persentiscitur, cum polypus premitur; magnitudinis va-

---

7) *Loc. cit.* Th. I. §. 578 — 591.

8) *Syst. d. neuern Wundarzn.* Th. II. §. 232 — 234.

9) *Uebers. d. berühmt. u. gebräuchl. chir. Instrum. Gött.* 1796. 8. p. 214 — 217.

10) *Lehrbegr. d. Wundarzn.* Th. III. p. 313 ss. ed. tert.

11) Ibid. Th. V. Abth. 2. p. 86 — 89. ed. secund.

12) Cons. praeter allatos scriptores etiam JO. CHR. DAN. HELLERVNG *d. d. instrumentor. ad polypos nar. aur. oesoph. et intest. recti exstirpand. usu chirurg. Hal.* 1797. 8. JO. CHR. FRDR. KLVG d. contin. *histor. instrum. ad polypos* (uteri) *exstirpand. eorumque usum chirurg. Hal.* 1797. 8.

13) COOPER *libr. citat.* p. 123.

14) *Loco laud.* p. 394.

rietas, a tempestate humida siccave pendens, quippe qua spongiosa polypi natura et tractioni facile cedens indicari videtur; mobilitas tumoris, quae, ut respiratione ille antrorsum retrorsum facile moveri queat, permittit; denique adhaesio polypi liberior, uno tantum pedunculo, nos ad polypos narium evellendos invitat.

Contraindicationes vero hae a variis adferuntur scriptoribus: Dolor in sincipite atque nasi radice sentiendus prodere videtur, aut sinus frontales polypi radicem continere, ad quam igitur forcipe pertingi nequeat, aut in ossibus istis vitium quoddam latere, quod asperiorem membranae, ossa investientis, tractationem, qualis cum evulsione conjuncta est, dissuadeat. Porro color valde rubicundus, a prima statim tumoris origine praesens, inter res evulsionem contraindicantes merito referri solet. Nam tales polypi multa continent vasa sanguifera, eorum nexus cum nasi parietibus firmior est, adeoque cum divelluntur et dirissimos efficiunt dolores, et gravissimas, vires aegroti valde debilitantes, haemorrhagias. Dein et malum signum est, quando polypus vel sua sponte, vel a levissima causa sanguinem fundit; nam inde conjecturam facere licet de dispositione aegroti scorbutica atque evulsio ob periculosissimae haemorrhagiae metum institui prius haud potest, quam adfectio illa morbosa aptis remediis sublata est. Tum durities et moles polypi e multorum sententia impediunt, quominus evulsio in auxilium possit vocari. Etenim brachia vulgaris forcipis tunc neutiquam, uti tamen debent, usque ad pedunculum admoveri possunt, quoniam nimis a se invicem distant, quam ut simul in narium cavitatem introduci queant. Cui quidem incommodo obviam itum est sic, ut brachia forcipis formarentur ita, ut a se invicem sejungi et ad modum forcipum obstetriciarum post introductionem utriusque brachii iterum firmiter conjungi possent. Sed

ne sic quidem ob magnam polypi duri molem, quae a forcipe comprimi haud potest, commemoratum incommodum penitus sublatum est. Brachia igitur forcipis, quae plerumque tota recta sunt, post initium rectilineum incurvari atque sic a se invicem removeri solent, uti Richtervs atque Fritzivs fecerunt. Spatium intermedium, a brachiis a se invicem discedentibus relictum, recipit tumorem polyposum, pars autem rectilinea comprehendit pedunculum. Amplitudo polypi semper eadem, ejusdem sub respiratione immobilitas, quae inde pendet, quod polypus pluribus locis, quam solo pedunculo, cum narium cavitate concrevit, denique ichorosa maximeque foetens materies, e polypi vicinia profluens, haec igitur omnia quamquam plerumque inter contraindicantia referri solent, tamen Richtervm non movent, ut evulsionis operationem intermittat et de felici ejusdem exitu omnino desperet. Exper. Zangivs sedem profundam, latam basin, crassum eumque ligamentosum pedunculum polypi, praesentes simul excrescentias in ossibus narium, radicem tumoris antro Highmoriano infixam, denique et relaxationem atque prolongationem sacciformem membranae Schneiderianae ad ea, quae evulsionem dissuadeant, refert. Denique et propensio tumoris polyposi ad carcinomatosam degenerationem debet chirurgum ab ista destruendi polypi methodo avocare. Etenim evulsus polypus brevi regeneratur, et post quamlibet evulsionem malignior evadit. Cooperus quidem, Bjm. Bellivm secutus, in ea versatur opinione, ut putet, narium polypos primitus omni carere malignitate, naturamque carcinomaticam, quam polypi tales interdum prodant, pendere ab irritatione, distentione atque pressione tumoris versus partes adjacentes. Sed haud video, cur in polypis narium non idem locum habere possit, quod in verrucis observare licet, quos in carcinoma abire posse, quotidiana probat experientia.

Jam satis de hoc argumento actum esse puto. Longiorem enim dijudicationem trium polypos narium tollendi methodorum post enumeratas res, quae quamlibet earum et indicare et dissuadere videntur, propterea superfluam judico, quod eandem rem, quae jam satis superque pertractata est, denuo retexere debebam. Hoc autem ex his, quae hactenus disputata sunt, videtur luculentissime patere, non unam operationem semper convenire omnibus aegrotis, qui narium polypis laborant, sed tempora a chirurgo intelligente artisque suae perito caute ponderanda esse, quae aut cauterii applicationem, aut ligaturam, aut denique evulsionem prae reliquis commendent.

Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.





Fig. 4.



J. F. Schröter sc.

Tab. II.



J. F. Schröter sc.